This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

SCLANUS

in 1. Aphor.

Hippocrat.

SALVI SCLANI
MEDICI
NEAPOLITANI

IN LIBRVM PRIMVM
APHORISMORVM HIPPOCRATIS
COMMENTARIA.

CVM PRIVILEGIIS.

VENETIIS, M D LXXXXII

Apud Paulum Zanfrettum.

Sumptibus Anielli S. Viti, Bibliopolæ
Neapolitani.

H. 65

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
DE LA FAC. DE MEDICINA

Soy de la Librería
del Colegio
de la Concepcion
de Alcalá.

ILL.MO AC REV.MO D.

DON INDICO AVALO ARAGONIO CARDINALI AMPLISSIMO.

CVM turpe sit seni, vel iam senectutem spectanti, semper ex commentarijs sapere, è scriptoq; pendere, prçsertim si præter ætatem nullum aliud habeat argumentum, quo se diu vixisse probet: Propterea, Cardinalis amplissime, quæ de re medica diurnis, nocturnisq; laboribus, vt iniuncto dicendi muneri satisfacerem, mihi ipsi comparaueram;

honestissimis amicorum monitis, pijsq; discipulorum precibus deuictus, typis mandare decreui. Non ab re fortasse, si iam senex, eius, qui per excellentiam senex dicitur, dignissimum commentatus fuerim opus. Nam, si inscriptionē respexeris, Aphorismos inuenies; quibus nihil excellentius vlla vnquàm attulit ætas. si auctorem petieris, Hippocrates est, quem ob sententiarum grauitatem mille iam annis nemo satis, nè dicam ex tanti auctoris dignitate, (vno excepto Galeno) commentari potuit. Nostros hos igitur primos conatus, futuriq; operis veluti preludia sinas, Cardinalis amplissime, sub tui nominis præfatione commendatiora exire; cum præsertim non tam à me tibi destinata, dicataq; sint, quàm planè debita, vel quod in qua nata sunt liberalitatis tuæ veluti fœtura sint, vel quod tu quicquid vsquàm est meorum studiorū iure quodam tibi vindices, qui me tàm liberaliter tuo semper cohonestasti patroci-

nio,

nio, non immemor dignitatis, amplitudinisq; tuæ familiæ; cuius vetustissima stemmata satius duxi silentio præterire, quàm aliqua tantum parte detegere. Illud sciunt omnes, Clarissimos Reges tuo se proauo dedisse. Quid illustrius? Longiorem, facundioremque orationem res certè postulat; tuum verò ingenium, singularisq; modestia breuiorem, qui in amplissimo hoc honorum gradu constitutus quantùm ad D. O. M. proprius accedis, tantum grauitate morũ, prono ad bonas artes animo, affluenti in studiosos liberalitate, quæ in te præcipuè relucent virtutum specimina, reliquos præcellis mortales. Has igitur lucubratiunculas, quod tibi debitæ, vel verius tuæ sint, accipe, protege, ac fulgentissimo splendore tuo illustra, & simul ab inuidorum maledictis acriter vindica. Ego verò interim, tanto præsidio tutus, vt, ob meæ ęternæ in te obseruãtię testimonium, maiora aliqua, & luculentiora sub eodem titulo citò prodeant.

deant, ſumma ope contendam. Valeas, viuasq́;, noſtrum decus. Datum Neapoli, Anno a Natiuitate Domini M D L X X X I I. XVI. Kal. Iun.

Saluus Sclanus Prochytanus.

Auctori Distichon.

Seu medicas adhibere manus, seu scribere, Salue,
Aggrederis, nomen, scripta, manusq. decet.

Antonius Lemonius Chius.

STEPHANVS CORONACHIA
MARTANENIS
SALENTINVS,
ARTIVM, ET MEDICINAE DOCTOR,
Auctoris Discipulus.

Quantum antiqua Seni Co debet, pulchra Galeno,
Pergamus atque σοφοῖς Græcia vana suis.

Inclyta Parthenope tantum tibi debet, & orbis,
Cùm Prochyta laudes intonet atque tuas.

Hippocratis veram nos artem, & vera Galeni
Dogmata, Salue, doces; barbariemque fugas.

Qui cupis hanc ergo Phœbeam ediscere, lector,
Hoc opus ecce docet: cætera post habeas.

DOMINI STEPHANI
OCTASTICHON

In gratiam doctissimi Salui
Græcè vertit

Io. Franciscus Lombardus, Neap.
Art. & Medic. Doctor.

Ὡς τῷ Ἱπποκράτῃ Κῶς ὄφλει, τῷ τε Γαληνῷ
Πέργαμος, ἢ ψεύδης Ἑλλὰς ἂν ἑπτὰ Σοφοῖς·

Οὕτω Παρθενόπη, Προχύτη, καὶ Κόσμος ὀφείλει
Αἶνους παντοδαποὺς πάντοτε Σάλβε λέγειν.

Γαληνοῖο τέχνην νημερτέα, καὶ τὸ διδάσκεις
Δόγμ' ἐδίδαξ' ὁ μέγας (βάρβαρε φεῦγε) Γέρων.

Ἰατρικὴν ῥα μαθεῖν παθέων Ἀναγνωστὰ μάθησιν
Ταύτην ἀμφαγάπα, λοιπὰ τὰ λεῖψον ἄγαν.

INDEX.

A

ACcessio deterius tēpus est totius circuitus. 137

Accessiones quō indicent victus formam. 284

In accessionibus cibū dare nouū est. 139

In accessionibus licet vti euonibus. 286

Accessionis tēpore an liceat purgare, vel sanguinem mittere. 289

Accessionis tempore, ex parte humoris facilior esset euacuatio, quam in alio tempore. 289

Acida omnia tenuitate substantiæ penetrāt, & ab obstructione liberāt. 278

Actionum imbecillitas, potest stare in sanitatis latitudine. 243

Actus actiuorum fiunt in patiente bene disposito. 113

Acuti qui dicendi sint. 357. 358

Aegri duobus modis dicuntur desperati. 100

Aeger non moritur in declinatione ratione morbi. 328

Aequinoctia duo quæ. 230

Aer quomodo indicare dicatur. 131

Aesculapius baculo nodoso descriptus 3

Aesculapio duo fuere filij, Podalirius, & Macaon. 4

Aesculapio dicari gallum. 3

Aesculapius barbatus, quare depictus 6.

Aestas semper additur ad celeritatem, & hiems ad tarditatem in solutione morborum. 154

Aestate parcius euacuandum est. 209

Aestate homines sunt somnolentiores. 234

Aetas est quædam mutatio tēperamenti, quæ fit temporis progressu. 201

Aetates sunt sex numero. 203

Aetas, & tēperatura quomodo iuuēt, & in curatione morbi, & conseruatione virtutis. 208. 209

Aetate iuuentutis morbi citius terminātur, quam in alijs ætatibus. 154

Agentia, & patientia adinuicem conueniunt in materia. 218

Alexander Aphrodiseus, Aristoteles, Theophrastus artem medicam non ignorarunt. 6

Alimenta secundum substantiæ proprietatem nobis similia sunt. 271

Alimētum quamobrem à Natura institutum sit. 216

Alimentum tripliciter sumitur. 274

Alimonia fouet, & auget morbum. 95

Alterationis nomen, quot modis ex Galeno sumitur contra Arabes. 322

Analogismus est comparatio iuuantiū per similitudinem. 154

Anaxionis Hystoria relata ab Hippocrate examinatur. 189

Anima vegetatiua semper est in actu secundo. 76

Animal ad actiones maximè aptum reperitur in vigore. 202

Anni diuisio multiplex. 229. 230. 231

Anticipatio, & postpositio in accessionibus, quid significet. 155

Anticipationis, & postpositionis modus est aduertendus. 156

Antiquorum nullus negauit virium tenorem posse præcognosci. 148

Antiqui medici in omni morbo vtebantur tota ptissana. 85

Antiqui carebant sacchаro. 365

Antiquiores non omnes prandebant, omnes vero cenabant. 179

Antiqui medici ante Hippocratem post

quartam diem venam non secabant. 196.
Aphorismus, quid sit, ex Philotheo 2
Aphorismorum liber dupliciter conside rari potest. 2
Aphorismorum expositio vtilis, & difficilis est. 2
Aphorismi definitio. 36
Aphorismus a verbo ἀφορίζω dictus est 37
Aphorismorum libri carent ordine essẽtiali, sicuti & ipsi aphorismi. 40
Aphorismi quandoque proferuntur cũ ratione præcedenti, vel subsequenti quandoque sine ratione. 273
Apollo cur dictus ex Platone. 3
Appetentia nõ fit, nisi præcedat tristis sensatio. 75
Aqua frigida, est perpetuum remedium febris. 254
Aqua frigida superinfusa curat neruorum distensionem. 231
Archigenes bis vidit crisim in quarta. 105.
Argenterij error circa modum cognitionis morborum. 170
Aristoteles per scientiam factiuam artẽ proprie dictam intellexit. 9
Aromatica, & odorata semper sunt per miscenda cum medicinis purgantibus. 359
Ars est vniuersalium, & habet præcepta sempiternæ veritatis. 18
Ars medica diuiditur in tres tantum partes, significatiuam, curatiuam, & salubrem. 31
In arte medica, quod raro accidit, nõ destruit sententias vniuersales. 115
Artis definitio, & distinctio eius a sciẽtia. 10
Artes non distinguntur a subiecta materia, sed a fine. 26
Artis nomen communiter sumptum nõ solum includit actiuas, & factiuas artes, sed etiam proprie dictas scientias. 9
Ars medica quo modo coniecturalis dicenda sit. 19
Artis medicæ diuisio in salubrem, & curatiuam est diminuta. 30
Atra bilis iuuat coctionem, non appetẽtiam. 76
Atra bilis, & pituita longos excitant morbos. 150
Athletæ habent pro fine virium incremẽtum, & ideo excessum moliuntur, vt aduersarius opprimi valeat. 73
Athletarum exercitia quæ commoda consequantur. 238
Auerrhois opinio de vacuatione vsque ad animi defectum. 353
Autumno calor incipit vniri. 281
Autumnus assimilatur morbis ex corruptela. 280
Auxilij genus, et qualitas nõ idẽ est. 62 63.
Axiomata artis medicę quæ. 249

B

Bilis cur per tertium, & cur pituita singulis diebus faciat accessiones. 160
Bilis, siue sit in pauca qualitate, siue multa, semper facit accessionem per tertium. 161
Bilis magis resistit putredini, quam pituita, & hac de caussa per tertium affligit. 163
Bilis proprietas oculta caussa est, vt per tertiũ determinate affligat. 164
Bilis omnium humorum calidissima substantiæ tenuis, & fluxibilis, acris, & mordax. 170

INDEX.

Bilis eget coctione. 321

Bilem redundãtem quæ sequantur symptomata. 171

Bilis est vere excrementum, & non potest verti in substantiam aliti. 320

Biliosi humoris redundantis indicia. 67

Bonæ euonis signum est tolerantia. 65

Brasauola Ferrariensis addidit particulam octauam aphorismis. 37

C

Calida, & humida, inflammatæ parti non sunt applicanda, non euacuato prius toto corpore. 194

Calidum semper facit ad mobilitatem, & frigidum ad pigritiam. 149

Calidum innatum, & virtus formatiua sunt vnũ, & idẽ, ex Hippocrate 201

Calidum innatum semper est occupatũ in agendo, & non suppeditato alimẽto corporis substãtiã depascitur. 210

Calidum innatum duo significat. 221

Calidum innatum omnium naturalium actionum est caussa. 211

Calidum innatum est illud, ex quo primum constat nostra substãtia. 212

Calidi innati substãtia humida est. 213

Calidi natiui substantia non alia est a substantia caloris ascititij. 215

Calidum innatum consistit in triplici substantia. 221

Calidum innatum nil aliud est, nisi propria cuiusque natura, & temperamẽtum. 224

Calidum innatum si posset augeri, homo posset perpetuari. 236

Calor congregat homogeneas, & separat etherogeneas. 320

Calor descendens ad pedes declinationem significat. 142

Causæ salubris condiciones. 54. 55

Caussarum salubrium substantiam Hippocrates considerauit. 63

Cerebri ventriculis vulneratis deperditur sensus, & motus. 222

Christophori Vega opinio circa qualitatem auxilij. 64

Chylus est alimento tenuior. 320

Cibus, vt sano robur sic laboranti morbus. 86. 278

Cibus quo tempore particularis accessionis exhiberi debet. 141

Cibum exhibendum esse, cum calor pedes descenderit. 141

Cibus in quolibet morbi tempore indifferenter exhibendus, cum virtus omnino cibo indiget. 144

Cibum non solum propè principium accessionis, sed etiam in ipsomet principio, et vigore quandoque a Saleno exhibitum fuisse. 144

Cibum dare in vigore tutius est quam in principio, vel in augmẽto. 146.

Cibus, & potus cur animalibus datus. 216

Cibus omnis in cuiusuis ventre non concoquitur. 309

Circa initia morborum magis periculosum est inclinare ad tenuem, atq; exquisitum victum, quam ad paulo pleniorem. 97

Circuitus quintani, septimani, & nonani nullo modo conceduntur. 157. 158.

Circuituum accessionum causæ quandoque ad facultatem expulsiuã irritatam, quãdoque ad humorum proprietatem reducuntur a Galeno. 159

Coctionis signa semper fida sunt. 186

Coctio fieri, nequit nisi natura superet caussam morbificam. 331

Coctio perfectissima fit in vigore, ex Galeno contra Auerrhoem. 118

Color signũ proprium est humorum, qui in corpore abundant. 68
Compositos affectus curantes debent esse attentos tres scopos. 255
Concocta oportet medicari, atque mouere non cruda. 133
Concocta sunt crassiora. 319
Concocta propter duas caussas medicari oportet. 329
Concoctio quid sit. 307
Conciliatoris error in diuisione Medicinæ. 11
Concoctio est opus caloris innati. 318
Concoctionis species, seu differentæ. 307.308
Concoctione in omni attenditur assimilatio. 309
Conferentia, & tolerantia in euacuatione facit ad quantitatis, & qualitatis cognitionem. 368
Conseruatio temperamenti vtrum fiat per contraria. 257
Cõseruatio vtrum fiat a similibus. 265
Conseruatio duplex. 266.267
Conseruatio potest fieri a cõtrario. 269
Consistere, est commune ad omnes morbos. 124
Constitutio nihil aliud est, quam ex talibus, ac tãtis vniuersalibus morbi tẽporibus compositio. 149
Continua putrefactio cur fiat a sanguine. 163
Contrariũ per se, et per accidens actuale, & in potentia. 263.264
Cor influit vim pulsandi arterijs. 226
Corpora sana a mutatione tenuioris victus ad crassum magis offenduntur, quam a mutatione crassioris ad tenuem. 96
Corpora habentia venas latas vtrum facilius ferant inediam, quam habẽtia venas strictas. 244
Corpus humanum per accidens in medicina consideratur. 24
Corpus humanũ continue alteratur. 25
Corpus plus æquo repletũ non dẽt per partem affectam euacuari. 194
Corruptionis, & interitus duæ caussæ nobis connatæ quæ. 216
Cosmus, & Damianus, medici. 5
Costæ octo, vel nouem inferiores thoracis nutriuntur ex vnica tantum vena, quæ dicatur vena sine pari. 302
Coxendix seu morbus articularis, ratione caussæ, & loci affecti est affectus cronicus. 152
Crassities fit a nimio calore, & nimio frigore. 319
Cremor ptisanæ est materia victus tenuissimi in extremo. 88
Crisim, & curationem morbi impedientia quę. 51
Crisis raro fit in die quarta. 104
Crisis nomen quo pacto vsurpatũ. 291.292
Crisis duplex per euacuationem, et per abscessum. 294
Crisis optimę, & perfectæ indicia, seu condiciones. 293.295
Crisis fit solũ in morbis, qui habent caussam morbificam. 296
Critica expulsio a symptomatica quomodo differat. 366
Cruditas humorum omnem ipsorum motum impedit. 312
Curatio vtrum fiat per contraria. 263

D

Decũbere in latus affectũ in pleuritide qñq; bonum, qñq; non iuuat. 182
Desperatos Galenus non solum non relinquit, sed etiam cum magno periculo curare conatur. 100

In desperatis tantum parte prognostica utitur Galenus. 100
Diocles dicebat omnem sudorem esse præter naturam. 242.243
Diuus Lucas Antiochenus Euãgelista, teste Paulo, Medicus fuit 5
Diuus Paulus Medicina vsus est. 5
Dolor in pleuritide ascẽdens ad iugulũ indiget sanguinis vacuatione. 182
Dolor continuus in pleuritide nõ est de necessitate.
Dormientes quoad partes internas calidiores, quoad externas frigidiores, vigilantes econtra. 229

E

Ectici, & tabidi superueniente cibo, & potu cur excandescunt. 178.179.180
Epicrasis quid. 275
Epicherastica quæ. 276
Empedocles pisces omnium animalium calidißimos esse dicebat. 270
Emphasis quid significet. 128
Encyclopedia seu orbis doctrinarũ medico necessarius. 6
Epilepsia quo ad sui essentiam est morbus acutissimus, & nõ longus, vel diutinus. 151
Erasistratus Antiocho Rege sanato recepit in mercedẽ aureorum sexaginta millia. 7
Erasistrati, & Plusquam commentatoris opinio refellitur, quę dicebat Medicinã esse scientiã rõne vniuersaliũ, & artem ratione particularium. 11
Erasistratus dicebat Hippocratẽ ęgros fame necasse 91
Errata, quę in victu fiunt circa morbi uigorem, sunt grauiora illis, quę fiunt in morbi principijs. 96
Esaias curauit Ezechiam Regem. 5
Euacuatio est maxima artis pars. 55
Euacuationis bonę, & secundum naturam factæ condiciones. 57.58
Euacuatio sponte facta quæ intelligenda sit. 59
Euacuationis quantitas ex viribus patientis metienda est. 77.78
Euacuatione in omni quę obseruãda. 84
Euacuatio debet fieri per loca, ad quæ natura vergit. 298.299
Euacuatio quælibet fit vna parte expellente, & alia trahente. 302
Euacuationis partitio pertinet ad vtendi modũ euacuatione ipsa. 340
Euacuatio vsq; ad animi defectum quãdoque fieri debet. 341
Euacuatio vsq; ad animi defectum quo pacto intelligenda. 345
Euacuatio vsque ad animi defectũ quãdo facienda 350.351.352
Eusebius Põtifex, et Martyr, medicus pag. 5
Excrementa diutius retenta putrescũt, & pariunt morbos. 56
Excrementa a fortioribus ad imbecilliores partes expelluntur. 303
Excretio dẽt esse morbo cõueniens. 299
Exẽpla debẽt esse notissima, & nõ eorũ quæ nũquã aut rarissime accidũt. 153
Experientia omnium rerum efficacissimus est magister. 6
Experientia est comprehensio, siue memoria eius, quod sæpius, & eodẽ modo visum est. 134
Experimẽtum quamobrem sit periculosum. 46.47
Extrema, & ad summum euacuatio, & repletio quid sit. 71
Extrema eũatio quare sit piculosa. 77
Extreme euacuare, vel replere, periculosum est. 70
Extremi morbi qui. 101

Extremis morbis an conueniant extrema præsidia. 102
Extremos habere labores est proprium vigoris peracutorum. 124

F

Facultatem aliquam necessariam esse quamobrem dici debeat. 12
Facultas nulla defertur per venas & arterias, sed spiritus et sanguis duntaxat. 227
Facultates animales nõ sunt complãtatæ, sed defluunt. 227
Fames naturalis vtrum in Athletis excitari queat. 74.75.76
Fames naturalis quo celebretur. 205
Febre in pestilenti sæpe & multum cibare oportet. 108
Febre in pestilẽti multa & bene nutriẽtia alimenta exhibenda sunt. 100
Febre in pestilenti virtus statim a principio imbecilla est. 109
Febrium pestilẽtiũ mos & natura. 112
Febris, quæ associatur morbis acutis, de necessitate est continua & inseparabilis. 116
Febres continuæ habent solum quinque tempora. 138
In Febribus intermittentibus sẽper nutriri debẽt ægri in interuallo. 142
In Febribus continuis tẽpus nutriendi opportunũ īueniri ex ægri facile tolerãtia & ex cibãdi cõsuetudine. 143
Febris synocha quamobrẽ nõ faciat aliquẽ circuitum. 160
Febris signa quæ. 170
Febris pituitosæ indicia. 172
Febris typhodes, et elodes quæ. 176.177
Febris acuta in pleuritide non est de necessitate, sed quandoque lenis 190
Febris est conuersio natiuæ caliditatis ad igneam. 218
Febris subiectum est calidum complãtatum in ipsis partibus, non calidũ existẽs in sanguine & spiritibus, vt credidit Montanus. 219
Febris primo afficit cor, secundario afficit totum corpus. 219
Febrilis calor etsi cordis substantiam semper alteret, non tamen omnis febris est ethica. 220
Febris non est, nisi cordis substantia alteretur. 220
Febris ecticæ caliditas est in ipsis partibus radicata. 221
Febres omnes vel sunt in habitu, vel in habitudine. 221
Febris ardens quot modis possit terminari. 301
Febris quomodo iuuat coctionem. 318
Febres calidissimæ non eædem sunt cum ardentissimis. 347
Febricitanti cur dixerit Hip. victum humidum & non frigidum conuenire. 2
Finis & scopus re idẽ sunt, ratione differunt. 20
Finis medicinæ nõ consistit in actione, sed debet actiones sequi, et post actiones remanere. 21
Finis est, quo habito quiescit artifex. 22 23.
Fomenta quamuis leniant dolorem, tamen fluxionem augent. 198
Fomentum est semper securissimum: nã vel est signum ad dignoscendum, vel causa salutis. 195
Frigidum ambientis ob tres caussas calidum natiuum auget. 242
Frigidæ potio in ardenti febre 323
Frigidum coctioni inimicum. 319
Frigiditas, & humiditas obtundũt oris ventriculi sensum. 173
Fructus maturi fiunt tenuiores 320

Galenus,

INDEX.

G

Galenus, & Philotheus, aphorismorum Hippocratis expositores. 2

Galenus post Hippocratē doctissimus & celeberimus. 4

Galenus opus aphorismorum diuisit in septem particulas. 37

Galenus semel tantum vidit crisim in quarta. 105

Galenus de nominibus non fuit admodum curiosus. 133

Galenus in materia turgente preparat per ea, quæ insidūt, et attenuāt. 364

Gymnasta differt ab athleta 72

H

Habitus intellectus cur nō sint plures, aut pauciores, quam quinque. 10

Habitus athletarum est exemplum plenitudinis simpliciter & extremæ & periculosæ. 72

Habitus athletarum lubricus, et aptus de facili in mortem repentinā, et morbos incidere. 73

Habitus bonus duplex est simpliciter, & secundum quid. 73

Heliseus curauit Naaman sirum leprosum. 5

Hieme somni fiunt longissimi, & naturales. 234

Heme maxime abūdat pituitosus humor 239

Hieme vrinæ sunt crassiores, & cū maiori, ac crassiori sedimento 242

Hippocrates ex Apollinis familia natus. 4

Hippocrates, philosophorum, et medicorum princeps dictus. 4

Hippocrates pro vsu Medicinæ nūquā mercedem recepit. 7

Hippocratē Galenus coluit vt Deū. 35

Hippocrates Heraclidæ filius verus aphorismorū auctor Naturæ misericordia missus tanquam non peccans, vt medicinam constitueret. 35

Hippocrates tātum artis seminaria tradidit. 38

Hippocrates totius medicationis viam aperuisse uidetur. 40

Hippocrates omnium salutarium præceptorum semina præbuit. 40

Hippocrates diuidit totū circuitum in duo tempora. 138

Hippocrates cur Anaxioni venam secuerit octaua die, & quare hoc commemoret Hippocrates 197.198.199

Hippocrates prætermisit totam partē, quæ ad pulsus attinet, quia eam paruifecit. 168.169

Hippocrates primus nomē pulsus litteris prodidit. 169

Hippocratis consuetudo quæ. 189

Homo in primis diebus est calidissimus in vltima vero senectute frigidissimus. 215

Horror fit ex pituita putrescente acri, vel salsa, vel acida. 172

Horror inter frigiditatem, et rigorē medius est. 172

Humidum duplex, aqueū, & aereum. 252.

Humanum corpus in continua est mutatione et cōtinua eget correctione. 130

Humoris peccantis euacuatio proficua semper est, & bona. 66

Humor quilibet hēt suam accessionē determinatam & propriam. 158

Humor melancholicus per vtranq; qualitatē putredinem oppugnat & ideo eius accessiones sunt per maiora interualla. 163

Humoribus mistis media quædam et mista accidunt signa. 176

Humorum, & spirituum alterationes nõ sunt morbi, sed caussa morbi. 219
Humores putridi sunt caussæ efficiẽtes febris, non febris. 220
Humores tenues non omnes a principio euacuandi sunt, sed expectata concoctione. 321
Humores crassi aliquãdo dicuntur turgere. 334

I

Idiosyncrasia ad unguẽ, & exquisite haberi nequit. 17
Iecur communicat omnibus venis vim sanguificandi. 226
Ieiunium significat, & omnimodam dietam, & ciborum paucitatem. 204
Ignis ardentissimam febrem significat apud Hippocratem. 252
Immodica euacuatio quandoq; refrigerat, quandoque exicat. 77
Imperatores varij fuerunt Medici. 5
Indicans auxilium in genere idem si addatur differentia indicat qualitatẽ, & quantitatem sub illo genere. 120
Indicantia aliquando sumpsit Galenus proprie, aliquando non proprie. 208
Indicatio sumpta a caussa proprie non est curatiua, sed præseruatiua. 57
Indicationes veræ per contrariũ fiũt. 57
Indicationes euacuandi multum, vel parũ, a quibus fontibus dessumantur. 79.80
Indicatio, quæ sumitur a viribus cum multũ vrget, cæteras oẽs, ẽt si multũ repugnent, obumbrat, et uincit. 109
Indicatio cibandi sumpta a morbi vigore est sumpta a facultate. 122
Indicatio cibandi sumitur a viribus. 119.125
Indicatio a viribus sumpta est omnium principalissima. 119
Indicatio curandi, & euacuãdi sumitur a malo, & eius caussa. 125
Indicatio nil aliud est, nisi insinuatio, & repræsẽtatio eorũ, q̃ agẽda sunt. 128
Indicatio per se nõ repræsentat, nisi vtile. 129
Indicationis definitio includit omnes indicationes, etiam illam, quę a viribus sumitur, contra Altemarum. 130
Indicationis definitio assignata a Gal. libro de optima secta non est eadem cum illa, quæ assignatur in libris methodi medendi. 131.132
Indicationi contradistinguitur experiẽtia. 133
Indicatio proprie, arcte, & exquisite quid sit. 133
Indicationibus pugnantibus oportet respicere numerum, & magnitudinem ipsarum. 134
Indicatio ab ętate alia est ab ea, quæ sumitur a temperamento. 206
Indicatio a caussa semper est præseruatiua. 362
Omne, quod indicat, vel indicat sui custodiam, vel sui sublationem. 129
Inedia corporibus calidis, et siccis inimicissima est. 244.& 245
Inflammationum curatio vtrum debeat incipere a fomentis. 194
Instrumenta curationis tria sunt. 102
Omnis immodica intẽperies uires exoluit. 173
Iudicationis nomem tripliciter sumi consueuit. 285
Iudicationes cur fiant in accessionibus 288
Iudicatio perfecta duplex. 293
Iudicium difficile esse quo modo intelligatur. 48
Iuniores legere debent librum aphorismo-

morum post librum sacramenti, & præceptorum Hippocratis. 38
Ius pulli habet vim contemperandi, nō retinendi humores. 278
Iuuentus est ætas vigoris. 203
Iuuenum, & puerorum æqualis est caliditas, nō tamē æqua cōsumptio. 206
Juuenum calor quis. 213
Iuuenum victus non mutatus esse debet, nec facile concoqui.

L

Laboris nomen, quot modis sumatur apud Hippocratem. 105
Lassitudo phlegmonosa, & vlcerosa. 135
Liber aphorismorum legi debet, post omnes galleni libros. 38
Liber de partibus medicæ, non est spurius, sed legitimus Galeni. 33
Liposichia quod. 344
Lipothomia, est casus viriū cum pulsus perseuerantia. 81
Lipothimia quid. 344
Loca euacuationi conuenientia, quæ dicenda sint. 299
Locum non esse conuenientem euacuationi, quomodo intelligi debeat. 301

M

Magnitudo morbi multum differt ab eius more. 112
Magnus Basilius Medicus. 5
Manardi opinio, de artis medicæ subiecto refellitur. 24
Materia firma in loco non debet ante coctionem purgari. 316
Materia turgens, non debet minorari, sed, si est possibile, dēt eradicari. 326
Materia quando est multa inchoantibus morbis, debet moueri. 330
Materiæ multæ, & turgentis eadē sunt pericula. 332
Materia venenosa, & praua affecta qualitate a principio statim euacuāda est. 333
Maturatio concoctionis est species. 308
Mederi rationabiliter, & methodice, quid sit. 125
Medicamēta nostri temporis sunt apta nutrire. 361
Medicamenti definitio. 311
Medicari, quid apud Hippocratē. 311
Medicina non potest esse partim ars, & partim scientia. 13
Medici non vulgares, qui dicantur. 2
Medici nomen Deo Patri, & Christo Jesu fuisse familiare. 5
Medico oēs ferè facultates necessarias esse. 6
Medici soli locupletes, ex Esaia. 7
Medicū posse facere demōstrationes. 13
Medicus qn̄q; vltra sanitatem progreditur qn̄que infra subsistit. 23
Medicus, qn̄que morbum introducit, vt mortem euitare possit. 23
Medicus purgare debet in fine vigoris, vel in principio declinationis. 32
Medicus qualis esse debeat. 51.53
Medicus nō semper est occupatus, circa euonē earū, q̄ natura iudicauit. 307
Medicus multa potest facere, quæ nō potest facere Natura. 354
Medicinæ præstātia diuersis modis confirmatur. 3
Medicinæ inuentores Dei. 3
Medicina ratione finis sui est dignissima. 6
Medicina frugifera est, & ad opes subito parandas præsentanea. 7
Medicinæ necessitas cognita etiam Iurisperitis. 7
Medicina, & philosophia, sorores. 7
Medicina, an sit ars, vel scientia. 8

Medi-

Medicinæ finis est opus, & hac etiam ratione est ars. 11
Medicina ratione suorum theoricorũ ars. 11
Medicina versatur circa ea, quę possunt esse & non esse. 12
Medicinam esse artem effectiuã quæ de nouo nõ facit, sed esse resarcitiuã. 15
Medicinam esse coniecturalẽ, vnde prouenit. 16
Medicina ædificatoriæ maxime assimilatur ex Gal. 16
Medicina diuiditur in theoricã, & practicam. 29
Medicina, proprie loquendo, non est tota practica. 30
Medicinæ partes tres sunt, significatiua, curatiua, & salubris 35
Medicinæ definitio qualis. 56
Membrana, quæ inflãmatur in pleuritide, est duplex. 182
Membrana succingens costas est pars instrumenti respiratorij. 184
Methodus curandi, & quælibet actio medici in quibus consistit. 18
Minorationis materiæ in principio fiendæ necessitas. 331
Minus malum est euacuare eos, qui indigent repletione quam replere eos, qui indigent euacuatione. 94
Modus morbi, & forma morbi idem est. 149
Monstra interdum in arte nascuntur, sicut in natura. 101
Montani reprehensio circa nomẽ accessionis. 287
Morborum diuisio penes acutiẽ, & magnitudinem, & durationem. 88
Morbus, & pathos inter se differũt. 90
Morbus eo magis alimoniam prohibet, quo fuerit vehementior. 95
In Morbis peracutis exqsite in principio victu extreme tenui vti conuenit. 97
Morbi extremi non dicũtur esse illi qui sunt maxime letales. 100
Morbi peracuti sunt morbi extremi qa extremos habens labores. 103
Morbus, quo tempore maior sit, an in principio, vel potius in vigore. 109
Morbi natura ut perfectè dignoscatur, quattuor consideranda sunt, species morbi, eius magnitudo, mos, & motus. 111
In morbi principio virtus est valida, & nondum fatigata à morbo. 111
In morbo fit veluti lucta inter morbũ & naturam. 113
Morbi acuti ut plurimũ fiunt a materia biliosa. 114
Morbus semper est maior in uigore, quã in principio, dummodo materia seruetur ad vnã criticam expulsionẽ. 115
Morbi acuti dantur sine febre. 115
Morbus breuis, & acutus inter se differunt, contra Brasauolum. 124
Morbum vocabant empirici transitum ad similia. 134
Morbus ĩ curatione sol9 pse ĩdicat. 134
Morbi calidi citius terminantur, quàm frigidi. 149
Morbi ex bile citissime terminãtur cum fiant ab humore satis tenui & mobili. 150
Morbi, qui sunt in partibus calidioribus, vel principalibus, citius terminãtur. 150
Morbi quandoque inter se componũtur per confusionem, quandoque per cõplicationem. 174
Morbus, & sanitas, cum sint contraria, debent stare sub eodẽ genere. 219
Morbi sex modis solui, & terminari pos-

possunt. 291
Mors quare ineuitabilis. 202
Moyses à Diuo Hieronymo medicus dictus est. 5
Multa esse, quorũ cãs ignoramus. 162
Mutatio ad inconsueta maxime molestat. 98

N

Natura in suis operibus non semper assequitur finem. 20
Natura morborum est medicatrix. 28
Natura consistit in symmetria. 70
Natura operatur sine cognitione. 76
Naturæ nomen vires significat, ex Hippocrate. 77
Natura, licet in vigore sit debilior, quã in principio, tamen vincit in vigore, quod non potuit vincere in principio. 113
Natura ordinatim procedit. 290.294
Natura quãdoq; in principijs morborũ, nulla præcedente coctione, humorum expulsionem critice aggreditur. 337.338.339.
Nerui optici cur perforati. 221
Neutra decidentiæ. 152
Nox quieti, & somno dicata est. 233
Nutriendum est semper, quãdo morbus minus prohibet. 137
Nutrimur ex ijsdẽ ex qbus sumus. 237

O

Occasio agẽdorum est fere momẽtanea, & præceps dicitur ob subiecti transmutabilitatem. 18
Occasio præceps cur dicatur. 45.46
Ossa nuper natorum veluti cerea sunt, & quasi caseus nup coagulatus. 201
Oxisaccharum incidit, & attenuat citra calefactiouem insignem. 365

P

Pars qualibet proprio calore viuit & animalis facultas destuit veluti lumen à sole. 225
Partibus omnibus animalis desiderium est conuenientis qualitatis. 309
Partium principalium medicinæ subdiuisio. 22
Peracutus morbus quattuor diebus circumscribitur. 104
Periculosum est in arte experiri non solum ea, quę non sunt experientia comprobata, sed etiã periculosum est expertis uti. 46
Periodus quid sit. 137
Pestilenti in constitutione crises vt plurimum fiunt ad malum. 333
Pestilentis materiæ indicium est fluxus colliquaticius. 333
Petechijs apparentibus non semper debemus adiuuare motum cutaneum. 365.366
Petechiæ in febre pestilenti raro apparent cum tolerantia, sed vt plurimum per modum symptomatis. 366
Philotheus diuidit medicinam in spectatiuam, & actiuam. 29
Phlegmatia quid significet. 107
Picrochola corpora non multum appetunt, facile ferunt ieiunium, sed ab eo multum offenduntur. 204
Pituita satis ad putredinem prona est & parum resistit. 163
Pituita Naturæ actionibus rebellis, & non facile superatur. 172
Pituita hieme copiosa ob uictus rationem. 241
Pituita dulcis & acida potest concoqui, assimilari, & nutrire. 310
Pituitosus febricitans vtrum magis sit refrigerandus, quam biliosus. 262
Plato philosophorum Deus, Medicinã non ignorauit. 6

Plato, & Aesculapius, duo Phœbi filij, quomodo intelligendi sint 7
Plenitudo duplex, vna simpliciter, alia secundum quid. 60
In pleuritide materia nō reseruatur vsque ad vnam criticā expulsionē. 114
Pleuritis descriptio, & eius differentiæ. 182
Pleuriticus dolor descēdens ad Hippocondria eget purgatione. 182
Pleuritide in omni semper debet mitti sanguis e vena brachij dextri, ex opinione Vesalij. 302
Pontifices maximi professione medici fuerunt. 5
Portulaca dentium stuporem curat ob proprietatem. 225
Premeditatio quæ habenda ex Hippocrate. 356
Prænunciationes salutis, & mortis in acutis morbis sunt incertæ. 114
Præparatio non semper attenditur penes humorem educendum, sed quandoque penes vias. 324
Præparatio, & concoctio inter se differunt. 325
Præseruatio à nimia siccitate melius fit per refrigerantia, quam per humectantia. 253
Præsidiū quodque, vt exhibeatur, requirit præsentiam illius, quod postulat, siue indicat, & absentiam illius, quod potest impedire. 125
Praxis quid proprie significet. 30
Principia nostræ generationis quæ. 212
Principium in morbis tripliciter sumi potest. 166
Principio morborum materia est cruda. 313
Proœmij libri aphorismorum expositio. 49. 50
Pubertas, quando incipiat. 202
Pueri multum insensibiliter euacuant. 205
Pueri non adeo euacuandi, vt alij. 209
Puerorum substantia est humida, & ad sui conseruationē humido indiget victu. 250
Pueritia omniū ætatū humidissima. 202
Pulsus, & respiratio quare animalibus data sit. 216
Purgantia medicamenta vt plurimum sunt calida, & sicca. 358
Purgantia medicamenta laboriosa, & veneni naturam redolentia. 360
Purgare in principio tutius est, quam in augmento, & principio vigoris. 329
Purgatione in omni, nō solū vitiosorum, sed etiam bonorum fit detractio. 327
Purgatio vsque ad animi defectum nunquam facienda est. 353
Purgationem impedientia quæ. 363
Pus mouentia qualia esse debeut. 317
Pus optimum arguit coctionem perfectam, & securitatem. 114
Putredo à calido fit, & humido, ita tamē, vt humidū præualeat calido. 162
Putredo non tollitur sanguinis missione. 354
Putrescere, & accendi, non idem significare. 164

Q

Qualitas euacuationis quomodo intelligenda sit. 60. 61
Qualitates maxime dissipabiles quæ sint. 215
Qualitatis humorum signa duplicia habuit Hippocrates. 342
Quantitas remedij facit artem medicā esse coniecturalem. 17
Quantitas singulorum præsidiorum artificiosa eget coniectura. 93

Quan-

INDEX.

Quantitatis euacuationis signum habet Hippocrates ægri tolerantiam. 342
Quartanæ duæ faciũt figuram unius tertianæ. 153
Quartanæ æstiuæ breues. 154
Quartanarij, quo tempore sunt à febre liberi, non sunt actu ægrotantes. 152
Quotidianæ febris indicia. 173

R

Rectitudo, siue societas in euacuatione obseruanda. 302
Rectitudo in euacuatione seruanda, nihil aliud est, nisi vasorum consensus, & societas. 304
Rectitudo lateris affecti in pleuritide, dum mittitur sanguis, maxime est obseruanda. 305.306
Reges varios fuisse medicos. 5
Remedia maxima, sanguinis missio, & purgatio. 326
Remedium non solum debet eße contrarium morbo, sed etiam debet habere contrietatis mensuram. 16
Repletio duplex, plethora, & cachochymia. 346
Refrigerationem quæ sequuntur. 23
Rhabarbarum est medicina benedicta etiam prægnantibus exhibenda. 361
Rhetor habet pro fine persuasionem. 23
Rufus secuit in quattuor partes opus aphorismorum. 37

S

Saccharum non æque vertitur in bilem, nec inflammat, vt mel. 365
Sanguis inflammatus vertitur in naturam bilis. 177
Sanguis menstruus frigidus, & humidus. 213
Sanguis est propinquum nutrimentum nostri corporis. 244
Sanguis est chylo tenuior. 320
Sanguis est frenum bilis. 346
Sanguinis missio in febre ardente biliosa, qnomodo facienda sit. 346.347
Sanguinem mittendi scopus est, morbi magnitudo, 379
Sanitas finis est artis medicæ nullo modo subiectum. 20
Sanitas elementorum symmetria consistit. 216
Scientia quid sit, & quot modis dicatur. 9
Semen respectu sanguinis menstrui est calidum, & siccum. 213
Semicani, crudiq; senes, & consistentes, sunt vnum, & idem. 204
Semitertiana febris composita est ex tertiana, & quotidiana, contra Agathinum. 174
Semitertiana est febris continua, & acuta. 174
Semitertiana est febris horrifica, nõ quia incipit cum horrore, sed quia plures habet horroris repetitiones. 175
Senectutis diuisio. 203.204
Senectus est sanitas quædam lubrica, & secundum affectionem. 253
Senes facilime ieiunium ferunt. 200
Senes decrepiti sunt veluti lucerna, quæ est prope extinctionem. 205
Senes paucis egent fomitibus, quia multis extinguuntur. 217
Senum victus valde permutatus esse debet. 121
Senibus raro febres acutæ fiunt, quia eorum corpus est frigidum. 210
Senum pauca fit dissipatio 217
Septemtrionalis regionis incolæ sanguinis euacuationem non sufferunt. 65
Siccitas ad actiones perficiendas necessaria. 201
Signa certa in omni morbo non habẽtur,

vt

vt in pleuritide. 18
Signa diuidi per tres differentias. 181
Signa pathognomonica quæ. 181
Signa quæ inflammationē sequūtur. 183
Signa postea apparentia, seu epiphenomena pleuritidis. 185
Signis crisis apparentibus, ignari medici, & astantes quandoque terrentur. 186
Signa decretoria sunt cino infida. 186
Signum nullū certius est, quam testimonium ex euentu. 367
Significatiua pars medicinæ de necessitate præcedit curatiuā, & salubrem. 31
Simile tripliciter dicitur. 267
Sitis in pleuriticis non necessaria, nec vt plurimum. 192
Socrates ex assumpto veneno moriturus, dicens Critoni se debere gallum Aesculapio, qūo intelligendus sit. 4
Solstitia duo quæ. 230
Somnus ex frigido, & humido prouenit. 172
Somni potissima causa est humiditas, & non frigiditas. 233
Soranus librum aphorismorum diuisit in tres partes. 37
Spiratio facilis magnam vim habet ad salutem in morbis acutis. 115
Spiritus copiosissimus omnes operationes adauget. 214
Spiritus aīalis generatur ī cerebro. 221
Spiritus sunt duplices. 221
Spiritus naturalis datur, & est materia vitalis. 222
Spiritum animalem dari, euidentissime demonstrari potest. 222
Spiritus vitalis generatur in sinistro cordis ventriculo. 222
Spiritus vitalis vsus. 222
Spiritus animalis nō est anima, sed primum animæ instrumentum. 223
Spiritus innatus quis. 223
Spūs innatus facit fecūda semina. 223
Spūs ethicus quis dictus á Stoicis. 225
Sputum significat sputū concoctū. 166
Sputum circa tres primos dies apparēs in pleuritide morbum breuiat. 166
Sputum nigrum vel liuidum valde perniciosum est. 191
Sputa maximā uim habent ad indicandos affectus partium respirationi inseruientium. 192
Status morborū rectius dici posset morborum vigor, quam status. 119
Subiectum alio modo in artibus, & alio in scientijs consideratur. 24
Subiectum totius artis aliud est à subiecto particularium librorum. 25
Subiectum Medicinæ vere est corpus humanum, etiam ex Auerroe. 26
Subiectum multū differt ab obiecto. 27
Subtrahere cibum, quo modo intelligendum sit. 125
Sudor diaphoreticus quis. 243
Suppurationibus Galenus opponit morbos lethales. 114
Symptomata sunt in duplici differentia. 110
Symptomata etiam per contrarium tolluntur. 263
Syncope est præceps omnium virium lapsus. 81
Syncopes quid. 344.345
Syndromes signorum pathognomonicarum est concursus. 183
Synocha febris, est febris ardentissimo. 347
Synocha febris exquisitæ peracutus est morbus 378
Syropi non adiuuāt coctionem propriè, & perse, sed per accidens. 318

Syropus de corticibus citri coctionem iuuat. 318

T

Tabidi,& suppurati interdiu leuiter afficiuntur,noctu vero plurimum vexātur. 177

Temperamentum est occulta proprietas. 225

Temperamentum seruatur similibus,sicut & ætas. 253

Temperamentum frigidum an per frigida conseruandum sit,vel potius reduci debeat per contraria. 254

Temperamentum duplex,originale, & adscititium. 258

Temperatum corpus solum bene afficitur à similibus,cetera verò à contrarijs. 269

Tēpora ratione caussæ alia esse ab his, quæ sunt ratione morbi, & symptomatum. 109

Tempora morbi non per se indicant in euacuatione,aut cibatione,sed iuuant per accidens,quatenus per ea dignoscimus facultatis robur. 125

Tempora duplicia. 137

Tempora morborū sunt manifestæ ipsorum varietates. 137

Tempora particularia sex. 138

Tempora morborum vniuersalia,& particularia non eodē modo se hñt. 146

Tertianæ duæ faciunt figurā vnius quotidianæ. 153

Thadæus Florētinus,cum peregre proficiscebatur, pro mercede cuiusque diei habebat aureos quinquaginta. 8

Theoricum,& practicū in diuisione medicinæ sumuntur pro eo, quod est magis, minus remotum ab operatione. 29

Thessalus dicebat Hippocratem ægros suffocasse cibi copia. 91

Theßalus monstruosa victus ratione in ægris vtebatur. 92

Thorax totus nutritur ex vena sine pari. 306

Turgentem materiā cur à principio purgare liceat. 315.316

Turgentes humores sunt fere segregati. 317

Turgere quid, & à quo sumptum id nomen fuerit. 314

Turgere proprium est materiæ,quæ acutos excitat morbos. 335.336

Tussis est actio naturę imitatæ à causa pręternaturam. 184

Tussis sicca ex quibus causis oriatur,& fiat. 191

V

Vasorum inanitio, omnes enacuationes complectitur. 58

Venæ in iecore,thorace,& pulmone cur facilius rumpantur, quam in alijs locis. 74

Venenum, quid propriè. 311

Ventres hieme, & vere calido innato calidissimi sunt. 228

ventriculus proprio calore cōcoquit,& eius calor fouetur ex partium propinquarum calore. 237

Vere debemus magis nutrire, quam in æstate, & autumno. 282

Ver assimilatur plethoricæ dispositioni 281

Victus extreme tenuis,& extreme crassus est periculosus,quia vnus inter extremas uacuationes, alter inter extremas repletiones reponitur. 83

Victus ratio non solum includit cibum, & potum, sed etiam omnia necessario alternantia. 86

Victus mediocris in morbis longis conuenit

uenit. 87
Victus plenus, & tenuis quis. 87
Victus tenuissimus in extremo. 87
Victus, qui ad extremum deuenit tenuitatis, valde periculosus. 91
Victus, quo vtebatur Petrona. 91
Victus ratio, quæ omnibus morbis indifferenter competat, est impossibilis. 92
Victus paulo plenior non est adeo periculosus, vt exquisite tenuis. 97
Victus tenuior periculosus non ratione sui, sed ob errata, quæ in eo contingunt. 98
Victus extreme tenuissimus inter extrema exquisitè remedia connumerandus est. 100
Victus in vigore attenuandus est. 106. 107
Victus ratio institui debet ex præcognitione futuri vigoris. 107
Victus forma, & figura, quæ sit intelligenda. 248
Victus humidus, quid significet. 251
In vigore phlegmasiæ maximæ existunt. 111
In vigore non solum symptomata, sed etiam morbus augetur. 111
In Vigore putredo, quoad quantitatem, est maior, quam in principio, sed non adeo rebellis, ac naturæ inimica. 113.
Vina recētia multam pituitam reaggregant. 241
Virium imbecillitas, quandoque ob resolutionem, quandoque via grauaminis accidit. 94
Vires non ex eo, quod ingurgitatur, sed ex eo, quod bene concoquitur, instaurantur. 275
Viriū imbecillitas potest variare victus rationem, quoad quantitatē, & quo ad qualitatem. 122
Virium custodia est indicationum omniū principalissima. 343
Virtutis custodia semper præ oculis habenda est. 106
Virtus, & cætera oīa pter morbum per accidens indicant in curatione. 134
Virtus in curatione proprie nō indicat, sed contra indicat & impedit. 208.
Vitam esse breuem, cur ab Hippocrate dictum sit. 6
Vitę nomē quinque modis ex Philotheo vsurpari solet. 43
Vita nostra in se breuis est, sed multo magis breuis est facta ad artem medicam collatione. 43
Vlcera in partibus sitioribus maioribus indigent exicantibus. 261
Vni vnum est contrarium. 13
Unum non potest nisi vnum indicare, quia vnum vni est contrarium. 207
Vrina, quæ bonas hēat cōditiones, qualis dicenda. 187
Vrinę tenuissimę, maximę cruditatis indicia sunt. 192
Vrina est consideranda in omnibus morbis, in quibus adest febris. 193
Vrinā prospicere, in omnibus affectibus bonum est. 193

Z

Zulapia in febribus ardētibus ante euacuationem conueniunt. 323

FINIS.

SALVII SCLANI
MEDICI
NEAPOLITANI
IN LIBRVM PRIMVM
APHORISMORVM
HIPPOCRATIS
PRAEFATIO.

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
DE LA FAC. DE MEDICINA

CVM superioribus annis aduersa valetudine premeremur, & multis alijs causis nõ leuioribus impediti essemus; à medicinę lectione, quã in Neapolitana academia publicè profitebamur, cũ summo nostrorũ discipulorũ dolore destitimus. Non desinerũt postea, illi potissimum, quorum apud nos auctoritas summa erat, rogare, & quodãmodo cogere, vt saltẽ, quæ viua voce docere negauimus, in publicum mãdaremus. Quod onus, tum quia nostris tenuibus ingenij viribus impar, tum quia inopina mala corporis dispositio à musis animũ reuocauerat, aggredi diffidebamus. Sed, cum (summi Dei opificis beneficio) post multa, & varia nostræ artis ingenia valeamus, & nostri discipuli, ac familiares nũquam desinant in idem impellere: tãdem manus dedimus, & illis assentiri decreuimus: & vt eorum votis omninò satisfaciam, ante quemuis alium arreptæ expositionis laborẽ, nostræ tractationis series, Hippocratis Aphorismos expo

 nere,

nere, & commentarijs dilucidare tentabit. Eò magis ad hoc commoti, quia vidimus, eũdem, post Galenũ, & Philotheum, multos subiisse labo res: sed aliquos, adeò breuiter, & succinctè, eosdem exposuisse, vt parum Aphoristicæ doctrinæ, & sententiarum difficultati, quæ latum, ac diffusum expositionis cāpum requirit, satisfecisse videri possint. Plerique vero, qui latas cōmētandi fimbrias expanserunt, etsi in multis Hippocratis scopum attigerunt, in multis alijs, ab eius, & Galeni mēte deuiarunt. Et nos, quę hic sunt succinctè, & obscurè pertractata, ex alijs Galeni locis, in quibus Hippocratis dogmata latius explicauit, dilucidabimus: Et in quibus ab alijs dissentimus, nostram proferemus sentētiam. Sed, ne tempus frustra teramus, ad hanc tractationem descendentes, rem cominus aggrediamur: admonētes, huius nostri instituti maximam esse difficultatem, & vtilitatē: difficultatem quidem, cum Aphorismi (vt infrà dicemus) sint sentētiæ breuissimę, admodum pręgnantes, & quædam veluti oracula, totam medicam facultatem sub breuitate complectentia: vt vniuscuiusque sententiæ sensus sit, simul cũ profunditate doctrinę, adeò abditus, & abstrusus: vt non immerito dixerit Philotheus: Aphorismum esse, quoad verba quidē inopem, quoad sensum vero locupletem, & cũ verbis adeò paucis multa includātur, sinè maxima difficultate, & labore minimè elici possunt, utilitatem verò inueniemus maximam, cum sentē tias explicauerimus. Quia in paucis verbis, multa admodum necessaria, vtillimaque in arte, reperiuntur. Quare illi erunt medici non vulgares, & mea sentētia magnoperè laudandi, qui ad verbum aphorismos omnes memoriæ mandant. Id enim cōmodè efficere possunt: cum exiguus hic libellus, totam artem breuissimis circũscriptam sententiis includat: & sic in omnibus, quæ in arte occurrunt, habebunt aliquod principium, ad quod, tamquam ad sacram anchoram, poterũt cōsiderata ferè omnia re ducere. Sed, cum liber iste Aphorismorum possit cōsiderari, vt totam artem cōtinet, & vt est liber quidam peculiaris ab omnibus alijs distinctus: nos, celeberrimorum virorum sententiã secuti, antequam ad Apho rismorum expositionem descendamus, prælibabimus aliqua, quę ad totam artem pertinent, & deindè quædam alia, quæ præcisè ad hunc attinēt librum. cum verò multa sint toti arti cōmunia, ne opus nostrum ad tantam magnitudinem temerè circa inutilia extulisse videamur, eligemus tantum vtiliora. Et antè omnia de nostræ artis pręstantia, dignitateque disseremus: deindè, vt eius subiectum diffinire valeamus, disputabimus, an sit scientia, vel ars. Alio enim modo in scientijs, alio verò in artibus subiectum consideratur. Addemus insuper, quis sit eius scopus, & finis. Et tandem, quot sint artis medicæ partes, contra multorum opinio nes examinabimus. Et, his habitis, circa hunc librum peculiariter multa

Propositio.

ta

ta dicemus de auctore, de inscriptione, in quot partes diuidatur, & quo ordine legi debeat, & an etiam inter ipsos Aphorismos mutuus ordo reperiatur: quoniam, istis elucidatis, erit facilior aditus ad alia percipienda, & explicanda. Sed inter ea, quæ ad totam artem pertinent, à primo initium sumentes, videamus artis nostræ præstantiam, & nobilitatem: inueniemus enim ipsam esse nobilissimã: siue eius originem intueamur: quoniam à dijs, vel deo coniunctis: siue attendamus ad eius cultores, vel ad eos, qui eam exercuerunt, quoniam hanc Deus, & sancti, Imperatores, Reges, Põtifices, & celeberrimi viri: siue multitudinẽ, & difficultatẽ eorũ, q̃ in hac arte sciri debẽt, quæ sunt ferè innumera: siue consideremus eius subiectum alioqui nobilissimum, ipsum scilicet corpus humanum, siue eius vtilitatem, cum habeat pro fine sanitatem, omnium bonorum optimam, & reparatricem: siue cum vulgo metiamur eius vtilitatem, ex pręmijs, quæ ex ipsa ad artifices consequi solent: in omnibus enim inueniemus hãc artem esse nobilissimam: vt non sinè firma ratione, fuerit ab Hippocrate dictum, hanc esse omnium artium præstantissimam. Sed agè omnia distinctius percurramus. De eius origine inquit Plinius, quòd omnes dijs ascripserunt, & ab oraculis deorum multifariam petita est. hinc aliqui existimarunt, Isidem Aegyptiorum Reginam, & Mercurium eam primũ inuenisse: aliqui Arabum, Apollinis, & Babylonię filium: aliqui verò ipsummet Apollinem, vnde ars Phœbea, & Apollinea, à Poetis pluries fuit nuncupata: immò, vt Plato in libro de recta nominum impositione, qui Cratylus inscribitur, asserit, antiquos non temere, sed cũ magna obseruantia nomina imposuisse, vt nobis per ea rei naturam significarent: & inter alia inquit vocauerunt Apollinem, vt eum artem medicam calluisse nobis denotarent. nam ἀπολύων, idest abluens à malis. sic etiam dicebat Eusebius, ꝙ dicitur Apollo ἀπὸ τοῦ ἀπαλλάττεσθαι τὰς νόσους, idest, quia ab ægrotationibus liberat: & Apollini posteà asserunt fuisse filium Aesculapium, qui medicinę multa attulit incremẽta, vt puta qui eam rudem, & vulgarem paulò subtilius excoluit: & ob id (vt inquit Celsus) in numerum deorum receptus est. Hunc pingebant antiqui cum baculo nodoso, vt artis denotarẽt difficultatem: subiungebant etiam draconem, qui est omnium animalium vigilantissimus, significantes per hoc, medicos, quorum princeps est Aesculapius, debere esse vigilantissimos. huic etiam sacrificabant gallum, vel ad denotandum vigilantiam, quæ in hac arte requiritur: Gallus enim multas ante horas futuri diei lucem prænunciat, vel ad significandam maximam artis vtilitatem, quoniam fugat morbos, & mortem euitat, sanitatem verò producit, ac efficit, & hoc, per diem, illud verò per noctem potest quàm optimè significari. hinc prisco quodam ritu inualuit, à grauissimis morbis euasos

De artis medicæ præstantia.

Æsculapio gallum offerre. Sed non temerè hæsitaret quispiam : si hoc efficiebant, qui à morbo erant liberati: quid sibi voluit Socrates apud Platonem in Phędone ? qui cum ex assumpto veneno iam iam esset moriturus, discipulos allocutus, dixit, Crito, debemus gallum Æsculapio, soluite: &, quamuis multi dicunt, hoc fecisset, quia sic vouerat, & ne Æsculapio apud Rhadamãtum voti reus fieret, Critoni, vt debitum redderet, præcepit: tamen aliqui alij dixerunt hoc fecisse, vt denotaret, nos omnia debere diuinæ prouidentiæ, quæ est omnium morborum curatrix : quæ optimè poterat significari per gallum, qui diei, & solis, hoc est vitæ, & veri luminis nuntius existit. Picus vero Mirandulanus in oratione, quam habuit ad Romanorum cœtum, inquit, per gallum nos debere intelligere partem nostram diuinam : ipsam scilicet animam, quam timet Leo, idest omnis terrena potestas: & hoc gallo canente, homo resipiscit: hũcque gallum Socrates moriturus Æsculapio consecrandum præcepit: sperans, partem suam diuinam, maioris mundi diuinitati se copulaturum. Aliter, & forsan magis ad propositum, in illo loco dici posset, quòd, cùm Socrates moriturus, in Phędone, de animę immortalitate longam, & pulcherrimam disceptationem fecisset, & iam putaret immortalitatem validissimis demonstrationibus demonstrasse: subiungit: Crito, debemus gallum Æsculapio, hoc est, cùm iam probatum sit, animam nostram esse immortalem; & mortem esse separationem quandam huius partis diuinæ, ab hoc caduco, & mortali corporis ergastulo : debemus multò magis in morte, quàm in vita, Æsculapio, & dijs gratias referre, necnon sacrificiorum offerre solemnia: cùm per mortem à tot miserijs, & ęrumnis efficiamur immunes. Sed ad id, vnde nostra discessit oratio, reuertamur, cum historijs asserentes, Æsculapij duos fuisse filios, Machaonẽ, & Podaliriũ, qui (vt inquit Homerus) digressi ad euertendam Troiam, multam opem exercitui in curandis morbis attulerunt: quod etiam in principio sui operis testatur Celsus. Hinc posteà ex eadem familia successit magnus Hippocrates, medicorum omnium facilè princeps, & medicinæ parens: qui artem perficere cępit, eamq; grauissimis sententijs ornatam litteris mandauit; &, Galeno teste, circa ea, quæ ad artem pertinent, omnium bonorũ fructuum semina præbuit: & vltra hæc etiam philosophorum probatissimi, multa ex eo principia acceperunt, quoniam, ex ipsius sententia, fuit non solum medicorum, sed etiam philosophorum princeps antesignanus. Successerũt postea Praxagoras, Diocles, & alij, & inter nostrates Celsus, & Plinius. Post quos Galenus omnia perfecit, cuius innumeras laudes tacere decreuimus. & satis sit, omnium consensu, ipsum fuisse omniũ medicorum, Hippocratem semper excipiendo, doctissimum, & celeberrimum, quem secuti sunt ferè omnes. & sic, si artis nobilitas ex antiquitate,

7. Meth. 2.

tate,& origine est metienda, erit hæc nobilissima, cum sit inuentũ Deorum,& antiquissima,& postea à celeberrimis viris perfecta. Et nos secundum Sanctam fidem possumus idem comprobare. inquit enim Iesus filius Sidrac, in eo libro, qui Ecclesiasticus inscribitur: Honora medicũ: propter necessitatem etenim creauit illum altissimus. à Deo enim est omnis medela, & à Rege accipiat donationem, disciplina medici exaltabit illum, & in conspectu magnatum collaudabitur: Altissimus creauit de terra medicinam, & vir prudens nõ abhorrebit illam. & rursus: Nonne à ligno dulcorata est aqua.& parum infrà: Fili, in infirmitate tua da locũ medico: etenim illum dominus creauit: & non discedat à te, quia opera eius sunt necessaria. Quid clarius cõtra illos, qui adeò malè de medicis, & de medicina sentiũt? Et libro Exodi: Deus altissimus cũ docuerit Moisen, quomodo dulcorãda esset aqua, subiungit, Si audiendo audieris vocem Dei tui, & quod rectum est coram eo feceris, omnem languorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te. Ego enim sum Deus sanator tuus,&, vt alij interpretantur, Ego enim sum Deus medicus tuus. Sed & Christus Dei filius, & dominus noster, medicum se profitetur: cum inquit: Non est opus benè valẽtibus medico. quod posset ex Sacro Euãgelio multis locis comprobari. Hanc artem etiam multi sancti Deum secuti exercuisse videntur. Et, vt breuibus multa perstringam, in his, qui sunt veteris testamenti, Moises à Deo medicinam edoctus à diuo Hieronymo medicus fuit dictus: Heliseus inter alios curauit Naaman Sirũ leprosum, Esaias curauit Ezechiam Regem. In his, qui sunt noui Testamenti, diuus Paulus hac arte est vsus: scribens ad Timotheum: Noli, inquiens, adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter stomachum,& frequentes tuas infirmitates; Diuus Lucas Antiochenus, vnus ex Euãgelistis, fuit (teste Paulo) professione medicus. Post quẽ Eusebius põtifex,& martyr,& Basilius magnus, Cosmus,& Damianus,& alij multi. At, si ad mundi magnates descenderimus, hanc artem exercuerũt multi Reges, relinquendo Ægyptios, inter quos fuerunt, Osiris, Isis, Mercurius: & inter Græcos, Hercules, Theseus, Iason, & alij. Scribitur, Regem Salomonem fuisse hac arte peritissimum: sic & regem Ezechiam, quem etiam asserunt scripsisse librum de medicamentis. hanc artem etiam calluisse,& cum amicis ægrotantibus etiam exercuisse Alexandrum Macedoniæ Regem, asserit in eius vita Plutarchus. asserunt etiam inter Romanorum Imperatores, aliquos fuisse medicos, vt Cæsarem Augustum, Tiberium, Neronem, Adrianum, Titum, Constantinum,& alios. Et inter Summos Pontifices, Nicolaum quintum, aiunt fuisse professione medicum. idem asserunt de Ioanne vigesimo, qui prius Petrus Hispanus nũcupabatur, cuius extat liber in hac arte, qui dicitur Thesaurus pauperum.

rum. Inter Philosophos diuinum Platonem, ab aliquibus philosophorũ Deum appellatum, hanc artem, ex his, quæ in Timæo de morbis, & febribus, earumque differentijs memoriæ prodita sunt, constat non ignorasse. Idem dicere licet de Aristotele, de Theophrasto, si ea, quæ de causis morborum, de plantarum natura, & alia multa, quæ ad hanc artem pertinentia dixerunt, considerauerimus. Sic etiam de Alexandro Aphrodiseo inquit Plusquam cõmentator extare librum de febribus. Quòd si ex multa rerum cognitione, artium nobilitatem metiri velimus: hęc vtique erit nobilissima. vltrà enim, quòd in ea requiritur exactum iudiciũ, & multa experientia, quæ est omnium rerum (vt inquit Plinius) efficacissimus magister: sunt etiam ad eam consequendam multæ aliæ facultates, & scientiæ necessariæ. & hoc testatur Hippocrates in libro de aqua, aere, & locis: & posteà multis rationibus confirmat Conciliator, probãs, medicinam omnium artium orbem amplecti: & Hieronymus Montuus in libro de his, quæ ad rationalẽ medicinã pertinent, probat medico esse necessarias oẽs ferè facultates. vt Grãmatica, Historiarum cognitio, Poetica, Logica, Rhetorica, Mathematica, Arithmetica, Geometria, Cosmographia, Geographia, Topographia, Musica, Astronomia, Physica, & Metaphysica, & denique orbis ille doctrinarũ, quem Gręci Encyclopedian vocant, ad hanc artem attinet. & hac ratione pingebant Æsculapiũ barbatum, vt denotarent esse difficillimum, medicum esse perfectum, nisi sit ætate prouecta, cum tot ad huius artis absolutionẽ requirantur. & tã tũ magis, quòd præter hæc Medica facultas in se est difficillima; & ideò Hippocrates statim in huius libri exordio dixit, vitam esse breuem, respectu huius artis longæ & difficillimæ. In ea enim est occasio agendorũ præceps, & momentanea; experimentum in subiecto adeò nobili periculosum, & iudicium inueniẽdi difficile. Si vero ex fine eius dignitatem perspicimus; erit hæc ars dignissima, cum habeat pro fine sanitatẽ, omnibus huius vitæ bonis anteponendam; qua neglecta, vt inquit Hippocrates, nulla est cæterarum rerum voluptas. Sinè qua, vt in ipsius hymno cecinit Orpheus, cuncta sunt hominibus inutilia. Vnde vulgò dici solet, Qui est sanus, est diues; & Aristoteles inquit, sententiam esse vulgatam, benè valere esse hominibus præstantissimum. Plato etiam in Gorgia scribit cantilenam conuiualẽ, & solitam à discumbẽtibus celebrari: ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον ἐστὶ. τὸ δὲ δεύτερον καλὸν γενέσθαι. τρίτον δὲ τὸ πλουτεῖν ἀδόλως. idest, Optimum esse benè valere, secũdo loco esse formosum, & tertio habere diuitias, nulla fraude acquisitas. Erit igitur dignissima medicina, quæ tantum bonum efficit, & conseruat. Et, quamuis à philosophia differat, quia illa circa animæ, hæc verò circa corporis sanitatem versatur, & hac ratione dicebat Diogenes Laertius, Phębũ genuisse duos filios, Æsculapium,

3. art. Med Cõmen. 38.

Lib. 26. c. 2

Diff. 5.

Lib. 3. de dieta

2. Rhet.

lapium,

sapium,& Platonem, vt ille corporibus, hic vero animis mederetur: & sic Cicero philosophiam medicinam animæ appellauit: tamen hæ duæ facultates adeò coniunctę sunt, vt ratione multorũ, in quibus conueniunt, non possint sine maxima difficultate separari. & ideo dixit Celsus, medicinam semper admistam fuisse sapientiæ: & Ioannes Alexandrinus inquit, philosophiam, & medicinam esse sorores, alterã corporis, alterã animi medicatricem. Et Galenus librum edidit hoc titulo inscriptum, ꝙ optimus medicus sit etiam philosophus: immo, si rem intimius consideremus; vtique philosophia vt suum finem assequatur, in multis hac facultate indiget: quoniam, cùm animi mores corporis temperaturam insequantur, vt in libro, sic à Galeno inscripto, probatur, quomodo poterit philosophus mores corrigere, nisi per medicum prius corporis intemperies corrigatur? Et, vltrà quòd mente capti, Lethargici, Apoplectici, & similiter affecti, instrui nequeunt, nisi prius curentur; inter sanos etiam biliosi faciles sunt ad iram, pituitosi ad pigritiã, & melancholici ad odiũ sunt proni: & corrigere hos mores, attinet etiam ad medicum, quatenus scilicet faciunt ad morborum generationem, vt ipsemet Galenus testatur. & quamuis hoc non, vt philosophia, primaria ratione efficiat, tamen quomodocunque sit, hæc ars vtilissima reperitur, non solum ad corporis, sed etiam animi sanitatem consequendam. Necessitatem, & vtilitatẽ huius artis cognouerunt etiam Iuris periti, qui sanciuerunt, fiscum posse priuare hereditate eum, tamquàm iniquum, qui ad defunctum medicos non aduocauerit; & in multis quid sit iudicandum relinquũt medicorũ iudicio. videlicet, an vulnus sit letale, an ex vulnere, vel ex superueniente febre æger perierit; vtrum quis sit verè furiosus, an furorem fingens impunè delinquat; & an morbus ex eadem causa, an potius ex noua redierit. In quibus omnibus multoties de pœna capitis agitur, & iudicis sententia ex medicorum iudicio pendet: ex quibus, aliqui, considerata huius artis præstantia, asseruerunt ad ipsam non esse admittendos spurios, cum minimè sint dignitatis & honoris capaces. Et tãdem, si cum nostro corrupto sęculo, omnium dignitatem, & præstantiam ex quæstu, & vtilitate, quæ artificem consequitur, metiri velimus, (quamuis hanc multo à quæstu digniorem, & diuiniorem existimauerit Hippocrates, qui, scribens ad Abderitas, nunquàm pro eius vsu mercedem recepisse asserit) tamen adhuc eam inuenies nulli in hac re esse inferiorem. nullã enim videmus apud antiquos fuisse magis frugiferam, & ad opem subito parandam magis præsentaneam: vt non ab re senserit Esaias, solos ferè medicos esse locupletes. Scribit enim, Non sum medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentũ. Idem voluit Accursius in decantatis versibus: Dat Galenus opes, & sanctio Iustiniana: Ex alijs paleas, & ex istis collige

1. de Tuen. da valet. cap. 8.

colligе grana. Et, si in hoc exempla requiris, Erasistratus, Antiocho Rege sanato, recepit in mercedem centum talenta, quæ sunt ex Budeo nostrorum aureorum sexaginta millia:& Plinius numerat multos, vt Cassium Aruntium, Carpintarium, & alios, qui habebant apud principes, pro annua mercede, ducentum quinquaginta sextertia, quæ secundum Budęum, sunt sex mille ducenti quinquaginta aurei;& ad posteriores accedendo, Thadæus Florentinus quãdo peregrè proficiscebatur, habebat pro mercede cuiuslibet diei aureos quinquaginta: quamuis aliqui, hoc Petro Apponẽsi attribuant. &, cum semel curasset Honorium Pontificẽ, decem millia aureorum reportauit. &, ne etiam nostri tẽporis medicos defraudemus, nonne diebus nostris vidimus medicos celeberrimos, cum foras proficiscuntur, plusquàm triginta aureos in singulos dies pro stipendio recepisse? Vt, ex omnibus, cum Hippocrate cõcludi possit, hanc esse omnium artium præstantissimam. Et ad alia accedamus, si prius dixerimus, quòd, cum de artis medicæ præstantia, & origine, à Poetis, & aliarum facultatum auctoribus, multa sint dicta, ideò in hac tractatione licentiam assumpsimus multum hinc inde vagãdi. quod minimè faciemus in alijs, in quibus, vt per vtilia incedamus, non intendimus transcendere nostræ facultatis limites. Sed, cum adeò digna sit hæc facultas, videamus, vtrum sit ars, vel scientia. quod Quæsitum, vt patet ex Introductorio medicorum, fuit antiquum. Methodici enim asserebant, esse totam scientiam. Erasistratus ait, quòd, dum versatur circa vniuersalia, est scientia. cum verò versatur circa opus, hoc est circa conseruationem, & curationem, est ars. & author illius libri, quem sexto Epidemiorum Galenus asserit fuisse Herodotum, tenet, quòd tota sit ars. Inter Arabes etiam fuit controuersia. tenet enim Auicenna eam esse totam scientiam: Auerroes verò, quòd tota sit ars: & Petrus Apponensis in suo Cõciliatore tenet, quòd fuit ars, in inuentione: nunc verò, inuenta, est scientia. At Plusquam cõmentator, quoad vniuersalia, & causarum cognitionem, dicit ipsam esse scientiam; quoad actionem verò, artem: vt etiam dicebat Erasistratus: & solum hoc addit, quòd hæ partes habent etiam diuersa nomina. quoniam, quæ versatur circa vniuersalia, dicitur medicina: quæ verò circa actionem, dicitur medicatiua. Montanus inquit, quòd tota est scientia, quoad habitum, qui est in anima medici; tota est ars, quoad dirigitur ad operationem. Argenterius, & quidam alij tenent, quòd nec est verè scientia, nec verè ars, sed est quoddam medium inter illa, ita, vt liceat appellare eam, artem scientificam, vel, vt alij dicunt, scientiam factiuam. Tot ergo fuerunt de proposito quæsito opiniones. Circa quod nos, cum Galenicam in omnibus (maximè in quibus eum benè sentire opinamur) sectemur doctrinam, eum ordinem obserua-

Cap. 5.

Comen. 2. cõmento. 42

seruabimus, quem in propositis quæstionibus esse obseruandum libro de salubri ad Thrasybulum, scriptum reliquit: inquiẽs, quòd oportet ante omnia, partes q̃siti animaduertere, & eas benè perpendere, & examinare: quoniam sic quæsiti veritas elucescet: & ideò, cum sit propositum, vtrum medicina sit ars, vel scientia, est videndum, quid intelligimus per medicinam, quid per artem, & quid per scientiam: & quomodo ars, & scientia, inter quas cadit quæstio, adinuicem differant. his enim benè perspectis, facilè erit determinare, vtrum scientiæ, vel artis genere medicina debeat definiri. Circa medicinam non opus est nunc immorari quid sit. nam habebimus infrà, quòd sit quædam facultas, quæ versatur circa corpus humanum, ipsum conseruando, vel curando, & habet pro fine sanitatem: sed oportet videre quid sit ars, & quid scientia, & quomodo inter se differant: quoniam, habitis artis, & scientię cõdicionibus, ipsas medicinæ applicabimus & sic elucescet propositi quæsiti solutio, vtrum sit scientia, vel ars. Et, quamuis omnia faciliter ex Galeno haberi possent: tamen, cum in hoc idem cum philosophis sentiat: dicta omnia cum Aristotele considerabimus. Sed, antequam vlterius progrediamur, est sciendum, quòd tàm scientiæ, quàm artis nomen, potest sumi communiter, & propriè: & communiter dicta scientia includit etiam artẽ, tum actiuã, tum factiuam: cum Aristoteles scientiam diuidat in Theoricam idest speculatiuam, & practicam idest actiuam, & factiuam, vt habemus secundo, & sexto Methaphysices, & tertio Cęli. sic etiã ars communiter dicta non solum includit tum actiuas, tum factiuas artes, sed etiam propriè dictas scientias, vt patet apud Galenum libro de constitutione artis. Et ideò, quando fit quæstio, vtrum sit scientia, vel ars, oportet accipere sciẽtiæ & artis nomen non communiter, sed propriè: quoniam sic vnum, cõtradistinguitur ad reliquum. Secundo, propter nonnullos est etiam sciẽdum, quòd, quando Aristoteles diuidit scientiam, in Theoricam, practicam, & factiuam, per scientiam factiuam nil aliud intellexit, nisi artem propriè dictam: quoniam in locis allegatis, & vndecimo Methaphysices, eandem dat differentiam inter scientiam Theoricam, & factiuam, quam dedit Sexto Ethicorum inter propriè dictam scientiam, & artem: scilicet, quòd principium scientiæ factiuæ est in ipso artifice, & principium sciẽtiæ Theoricę cum versetur circa necessaria est in re: & tertio Cęli inquit, quòd scientia factiua differt à speculatiua, quoniam finis speculatiuę est scire, & factiuæ est opus: in quibus dixit sexto Ethicorum differre scientiam ab arte. & hoc dixi propter eos, qui tenent, quòd scientia factiua non sit idem, quòd ars, sed media inter scientiam, & artem: & hinc dixerunt, quòd medicina non est scientia, non est ars, sed est scientia factiua, quæ mediat inter scientiam, & artem. quod minimè verum est, & ad con firma-

Cap. 1. *Cap. 1.* *Cap. 1.* *Cap. 7.* *Cap. 2.* *Cap. 6.* *Cap. 4.*

Sup. tex. 61 firmationem est Simplicij auctoritas, qui in expositione loci allegati tertio Cœli, in scientia factiua, cuius finis est opus, exemplificauit de vestiaria, idest de arte conficiendi vestes. & sic vel esset dicendum, quòd vestiaria non est ars, sed media inter scientiam, & artem, vel oportet fateri ꝙ idem est intelligendum per artem, & per scientiam factiuam. Sed iam videamus, quid sit scientia, & quid ars: & cum Aristotele dicamus, quòd circa vtrunque versatur pars animæ nostræ cognoscitiua, quæ dicitur intellectus: sed, cum quandoque operetur per se, & absolute, quandoque verò propter appetitum rectum eorum, quæ sunt ad extra: diuersi in eo resultant habitus: quoniam, si operatur absolutè, & propter veritatem, vel versatur circa principia, & resultat habitus, qui dicitur intellectus, vel versatur circa cõclusiones, & resultat habitus, qui dicitur sciẽtia: vel versatur circa vtrunque, & resultat habitus, qui dicitur sapientia: & intellectus, his habitibus præditus, dicitur speculatiuus: si verò intellectus operatur propter appetitum, & dirigitur ad extrà circa ea, quę fiunt à nobis, quoniam vel hęc sunt agibilia, quorum finis est actio, vel sunt factibilia, quorum finis est opus: duo etiam resultant habitus: & circa agibilia dicitur prudentia: circa factibilia verò dicitur ars: & intellectus, hos duos habens habitus, dicitur intellectus practicus: ex quibus possumus colligere aliqua, in quibus differt scientia ab arte: primum, quia scientia est habitus intellectus speculatiui, & ars est habitus intellectus practici: secundum, quia finis scientiæ est scire, artis verò finis est opus. Tertium addit eodem libro Ethicorum Aristoteles, quoniam sciẽtia versatur circa vniuersalia, quæ nõ contingit aliter se habere, ars verò versatur circa contingentia. Quoniã, si fieri possent ex sua natura nõ indigerent artifice. Hinc sequitur quartum, in quo illa adinuicem differunt, quoniam principiũ artis est in ipso artifice faciente; principium verò scientiæ est in ipsismet rebus. non enim fieri potest ꝙ aliter sint. & sic ars est habitus quidam intellectus practici, cuius finis est opus; & versatur circa factibilia, q̃ sunt nostra opera, & sic contingentia; & eorum principium est in ipsomet artifice. Scientia verò est habitus intellectus speculatiui, cuius finis est veritas; & versatur circa ea, q̃ sunt necessaria, & eorũ principiũ est in ipsismet rebus à natura insitum. Et hinc licet colligere, quomodo sit intelligenda

6. Ethico. 1.

Tex. 17. sententia secundi Posteriorum, quòd ars versatur circa ea, quæ fiunt, sciẽtia verò circa ea, quæ sunt. quoniam bene Philoponus per ea, quæ fiunt, intellexit contingentia; & per ea, quæ sunt, intellexit necessaria; quæ dicũtur esse, quia sunt à sua natura, & illa alia dicuntur fieri, quia non sunt à sua natura: & in tantum sunt, inquantum ab externo principio fiunt. vt hinc possit patere quantum fuerit allucinatus Conciliator, qui ex loco allegato colligit, quòd quęlibet facultas, etiam nobilissima, dum est in

fieri,

fieri, & in inuentione, est & dicitur ars; cum verò est inuenta, dicitur scientia; & sic saluat, quòd medicina tempore Hippocratis erat ars, quia erat in fieri, & in inuentione; nunc verò, cum sit inuenta, dicitur, & est scientia: quod est satis absurdum: sequeretur enim, quòd omnes scientiæ, dum inuenirentur, fuerunt artes: & quòd quælibet ars, etiam vilissima, dummodo sit inuenta, est scientia. Sed, ad Quæsitum accedentes, videamus, vtrum scientiæ, vel potius artis condiciones competant medicinæ. Relinquentes pro nunc primam condicionẽ, quoniam ex alijs poterit postea faciliter concludi, vtrum sit habitus intellectus practici, vel potius speculatiui, & venientes ad secundam, videamus, quem finẽ habeat ars medica, vtrum scire, vel opus: & clarè patet ex pluribus Galeni locis, quòd artis medicæ finis sit opus, ipsa scilicet sanitas: & hac ratione erit ars, non scientia. Sed, quoniam Erasistratus, & Plusquã commentator dicebãt, quòd hoc est verum, quò ad partem, quę versatur circa particularia, circa ipsam videlicet conseruationem, & curationem, sed quãdo versatur circa vniuersalia est scientia: ideò in his insistendo, dicimus, quòd hæc non sunt nec ad Aristotelis, nec ad Galeni mentem: Aristoteles enim voluit, quòd finis artis est opus, & tamen in proœmio Metaphysices, vult, quòd ars, vt contradistinguitur ad experientiam, est vniuersalium, & versatur circa principia, & causas: & dixi, Vt contradistinguitur ad experientiam, quoniam, vt colligitur ex eodem loco, & ex Galeno nono Methodi, ad perfectum artificem requiritur vtrunque, vt habeat artem in vniuersalibus, & exercitium in particularibus: sed ex Aristotele ars cõsistit pcipuè in vniuersaliũ cognitione: cũ ars sit multorũ experimentorũ vniuersaliũ facta collectio, & iõ nõ propter hoc ꝙ in arte sint vniuersalia & particularia, circa vniuersalia non erit ars, immo in his cõsistit principaliter ars, vt dictũ est. Galenus etiã in libro de salubri ad Thrasybulum, vult, quòd artes non distinguantur ab actione, non à materia, nec ab aliquo alio, sed solum à fine: & cùm totius artis medicæ finis sit sanitas, sequitur, quòd tota sit ars, & nullo modo scientia. Sed, quoniam aliqui tenent, quòd est scientia ratione præceptorum, & suorum Theorematum, quæ, ex Galeni sententia, sunt firma, & æterna, ideò de istis etiam aliquid addamus, asserentes, quòd ista etiam declarant totam facultatem medicam esse artem. inquit enim in libro de optima secta, quòd præcepta debent esse vera, vtilia, & sibi ipsis consentanea. & cum declarasset, quomodo essent vera, explicat, quomodo debent esse vtilia, & inquit, quòd vtilia sunt, si faciunt ad finem illius artis consequẽdum. in hoc. n. consistit eorum vtilitas. & cum finis in hac arte sit opus, & eius præcepta, & Theoremata ad hunc finem dirigantur, absque dubio etiam eorum ratione erit ars. Sed videamus tertiã conditionẽ, vtrũ

Cap. 6.

Cap. 25. & 28.

Lib. de opt. secta cap. 4

Medici.

Medicina versetur circa ea, quæ possunt esse & non esse, vel potius circa necessaria: Et cum omnia in ea dirigantur ad sanitatem, quam ars attingere intendit, per particulares medici actiones, quoniam non medicamur hominem in communi, sed, vt dicebat Aristoteles, Socratem, & Calliam, & actiones particulares nullam habẽt necessitatem, (possunt enim hoc, vel illo modo fieri) vtique ars medica erit circa contingentia. Immo, cùm artium quædam sint certæ, quædam verò incertæ, & coniecturales, quæ multoties frustrantur suo fine; videbimus, quòd inter has est medicina. Quid clarius, ad probandum, quòd nõ versatur circa ea, quæ sunt necessaria? & quamuis in hac facultate sint Theoremata firma, & æterna, non propter hoc est circa necessaria: quoniam sic omnis ars esset scientiæ: cùm artes sint vniuersalium, vt prius etiam ex Aristotele dictum est; & Galenus nono Methodi vult, quòd ad artem non solum requiritur Methodus in vniuersalibus, sed etiam exercitiũ in particularibus. Et nono de Placitis dicebat, Vniuersalis Methodus, sinè exercitatione multa, in particularibus, artificem bonum efficere non potest. atque hoc tibi in omnibus videre licet: quod etiam in quibusdam tantam habere vim, perspicuum est, vt vniuersalem methodũ vnius anni spatio discere, vel absolutissimè vnusquisque possit. nisi tamen eam assiduè, per totius vitæ curriculũ, exercuerit, in artis operibus impedimentum offendet. & exemplificat postea in multis artibus. Vt ex dictis pateat, quòd ad hoc, vt dicatur aliqua facultas versari circa necessaria; non sufficit, vt habeat quædam firma: sic enim omnis ars esset circa necessaria: sed oportet, vt in fine consequendo semper circa necessaria versetur; & per ea procedat; vt hac etiam ratione medicina minimè dici possit scientia, sed ars. Sed, ad quartam condicionem accedentes, videamus, vtrum medicina habeat principium in faciente, vel potius in re. & ex Aristotele septimo Methaphysices habemus, quòd habet principium in faciente: vult enim, quòd medicus, præconcepta sanitate, inuenit media, quę possunt illam introducere, & hoc pacto ex sanitate fieri sanitatem asserit. & liceret idem cum Galeno ex pluribus locis comprobare: sed sufficiat locum vnum pulcherrimum considerare. inquit enim libro de salubri ad Thrasybulũ, quòd, quamuis in corpore humano plura sint bona, vt pulchritudo, bonus habitus, & sanitas, quæ omnia possunt insequi ad medici actiones, sanitas tamen, & non alia debet dici medici finis, quoniam est in potestate medici ipsam introducere, & impedire: cætera verò, etiã medico nolente, si sanitas fuerit introducta, superueniunt. Ex quibus clarè patet, quòd sanitas, quatenus est medici finis, est etiam eius opus, & principiũ habet in ipso artifice: & dixi, Vt est medici finis: quoniam, vt infrà probabimus, alio modo fit à natura, & principium habet in re. Ex

In proœm. Meth.

Cap. alleg.

Cap. 2.

Cap. 7.

Cap. 14.

quibus omnibus concludere licet, quòd, cum medicina non habeat pro fine ueritatem, sed opus, non uersatur circa necessaria, sed circa contingentia: non habeat principium in re, sed in faciente: non erit, absque dubio, scientia, sed ars: nec potest esse partim scientia, & partim ars: quoniam tota dirigitur ad vnum finē, hoc est ad sanitatem, quæ est opus: & sic tota erit ars, & per consequens erit habitus pertinēs ad intellectum practicum: & ideò erit habitus faciendi cum vera ratione. Sed, quoniam aliqui in oppositum vtuntur quadā ratione, quæ apud eos videtur insolubilis, ideò & illam dissoluamus. Inquiunt enim: Illa facultas est scientia, in qua fiunt demōstrationes: in medicina fiunt demōstrationes: ergo erit scientia. Ad hanc respondent aliqui, non esse verum, quòd in medicina fiant demōstrationes: quoniam in ea minor propositio semper est particularis: &, si quandoque demōstrat, tunc induit habitum philosophicum. Quæ responsio est nulla, quia potest hæc ars versari circa vniuersalia, & quærere propter quid, & non trāscendere suos limites: vt habemus etiam octauo de Placitis, quo loco vult, quòd facultas medica potest cōsiderare etiam elemēta, & non trāscendere suum genus: & sic multò magis poterit considerare temperamenta, facultates, actiones, & sanitatis, ac morborum causas, & alia vniuersalia. Et Hippocrates, vt medicus, demōstrauit primo de natura humana, inquiens, Si vnum esset elementum, non doleret, & si doleret, vnum esset remedium. eo enim loco, non induit habitum philosophicum, vt existimant multi, quoniam statim in principio illius libri dixerat, quòd, qui vuult de natura altius cognoscere, quàm pertinet ad medicum, non audiat istos sermones: & sic omnia eo libro considerat vt medicus: immo demōstrando vtitur principijs, & medijs medicis: quoniam ex Galeno primo de elementis, medicina supponit tanquam artis principia, multos esse morbos, & multa esse remedia: & his medijs vtitur eo loco Hippocrates. Demōstrauit etiam in hoc primo Aphorismorū, assignans causam, quare senes facillime ieiunium ferunt, non sic consistentes, minus iuuenes, & omnium minimè pueri: subiungens, quoniam, qui crescunt, plurimum habent calidi innati. Galenus etiam pluries demonstrat, & omnia ordinans ad suum finem, medicinæ limites non transcendit. Et ad obiectionē aliter respondentes, dicimus, maiorem propositionem, non semper esse veram: quoniam in artibus artifices aliquando sciunt propter quid, & sic possunt demōstrare, & Aristoteles non posuit differentiam inter sciētiam, & artem, quòd in eis fiant, aut nō fiant demōstrationes: sed potissimum habuit rationem finis. Vnde Auerroes secundo Methaphysices, exponens Aristotelis verba, quod, quamuis operantes considerent causam in eo, quod agunt, tamen non perscrutantur causam propter seipsam, sed

Cap. 3. *Tex. 5.* *Cap. 5.* *Aph. 14.* *Cōment. 3.*

sed respectu eius, quod agunt: inquit enim: scientia operatiua, quamuis vtatur ratiocinatione, & speculetur de causis, tamen non est digna vocari scientia speculatiua, quia non perscrutatur de causis rerum, & de finitionibus earum, nisi vt scientes agant, & non vt sciant, vt in scientijs speculatiuis. Ex quibus patet, quòd scientia, & ars non differunt, quia in vna fiant demõstrationes, & definitiones, & in alia non: sed, quamuis fiat in vtraque, quia in arte diriguntur ad opus, non meretur nomen scientiæ. Sed aliquis adhuc instaret, si scientia est habitus conclusionum, per demõstrationes acquisitus, vt scribitur sexto Ethicorum: ergo, vbi sunt demõstrationes, erit scientia. Ad hoc dicendum, quòd ideò Aristoteles dixit, quòd scientia est habitus conclusionum, ut denotaret, quòd ad ueram scientiam requiritur, ut omnia sint per demonstrationes conclusa: & scita, quoniam habitus significat quoddam firmum, quod ex multiplicatis demõstrationum conclusionibus habetur: & quantum facultas cadit ab illo, tantum cadit ab esse scientiæ: & hac ratione, ut inquit Introductorius medicorum, nec scientia naturalis est uerè, & exquisitè scientia. nõ enim semper demõstrat, sed ut plurimũ: & ideò dicitur scientia, eo modo, quo scientiæ nomen, Aristoteles sexto Methaphysices ampliauit, ut se extendat etiam ad facultatem, quæ non semper, sed ut plurimũ demõstrat: & maximè quia semper habet ꝓ fine ipsum scire: & à fine artes distinguũtur. Ars uerò medica, quoniam habet pro fine opus, & multa assequitur coniecturis, quamuis in ea fiant demõstrationes, nullo pacto erit scientia. Quibus omnibus correspondẽt dicta Introductorij medicorum, qui uult, quòd scientia est conueniens, constans, & nunquam à ueritate declinans cognitio, quæ uix ad homines peruenit; medicina uerò est comprehensionum plurium collectio, ad uitæ cõmodum spectantium, & sic est ars. nam, ut adimerentur morbi, & sanitas tueretur, fuit inuenta. & ideo concludamus esse artem. & non immerito Hippocrates statim in huius libri exordio, artem appellauit, & in libro de lege dixit, ipsam esse omnium artium præstantissimam. Sed, cum conclusum sit esse artẽ, uidendum est, in quo genere artis sit reponenda: & Galenus libro de constitutione artis, sumens artis nomen, ut se extendit etiam ad scientiã, dixit, quòd artium, quædam habent pro fine ipsum scire, & sunt speculatiuæ; quædam habent pro fine actionem, & post actionem nihil remanet, & sunt actiuæ, ut ars saltandi, & canendi; quædam habent pro fine opus, & sunt factiuæ; quædam nihil faciunt, sed facta inquirunt, ut ars uenatoria, & ars capiendi pisces. & libro de salubri ad Thrasybulum, hac utitur inductione, Medicina non est propter scire tantum, ergo non est speculatiua; finis eius non consistit in actione; ergo non est actiua: non inquirit facta, sed circa corpus aliquid molitur;

Cap. 3. *Cap. 2.* *Cap. 5.* *De quarũ artium numero sit medicina. Cap. 2.* *Cap. 3.*

litur; ergo non est acquisitiua. relinquitur, quòd sit effectiua. sed, cũ hæc sit duplex, vel enim aliquid de nouo facit, vt ars sutoria, vel collapsa resarcit, vt quæ corrasas, & laceratas vestes consuit, & inter istas est medicina: quoniam, vt inquit libro de constitutione artis, non est, vt ars ędificandi, quæ de nouo aliquid facit, & dirutum resarcit: medicina enim totum corpus moliri nequit; sed pro parte instaurare potest, & sic medicina erit ars factiua, quæ tamen de nouo non facit, sed facta resarcit: erit ergo effectiua resarcitiua. Sed, quia, teste Hippocrate, naturæ sunt morborum medicatrices, subiungit Galenus, quòd nec medicina est, quæ resarcit, sed est ministra naturę resarcientis: natura enim est illa, quæ, præterquàm in quibusdam casibus primò resarcit, medicina verò ministrat naturæ, remouendo impedimenta, & sic erit ars factiua resarcitiua, non primò, sed potius resarcientis naturæ ministra.

6. Epid. cōmē. 5. tex. 1

Lib. de salubri loco allegato.

Sed, quia, collocando hanc artem in suo genere, videtur in dictis Galeni contradictio, ideò & illam perpendamus. libro enim de constitutione artis, voluit, quòd hæc ars nihil de nouo faciat, sed solum resarcit facta, & sic differebat ab arte ædificandi, quæ potest vtrunque facere. cuius oppositum dixit libro de optima secta, vbi dicebat: Artium aliquæ de nouo aliquid faciunt, vt nauis structoria; aliquę conseruant, vt gubernatoria; aliquæ vtrunque faciunt, vt ædificatoria. & posteà subdit, ꝙ ars medica est inter illas, quæ faciunt, & conseruant, vt ædificatoria. Quid ergo in hac locorum pugnantia dicendum? Ad hæc dicerem, ꝙ Galenus in allegatis locis ad diuersa respiciens, diuersimodè locutus est: quoniam, quando dixit, quòd hæc ars nihil potest de nouo efficere, sed potest tantum resarcire; intelligebat, quòd non potest sanitatem introducere, vt natura, efficiendo scilicet, & formando totum corpus humanum; sed potest tantum in hoc corpore à natura recepto, si in eo aliquid deficit, illud resarciendo, sanitatem conseruare, vel introducere: & sic differt ab ædificatoria, quę potest vt natura aliquid de nouo facere, & potest etiam collapsum resarcire. Et, quòd sic sit eius sententia intelligenda, ipsemet libro de salubri ad Thrasybulum declarat, inquiens: Istarũ vero (loquens de effectiuis) duplex est officium: aut enim aliquid integrum, quod prius non erat, efficiunt, aut ex parte vitiatum corrigunt: at, quę nunc quęritur ars, totum corpus hominis moliri nequit, sed pro parte instaurare potest: & sic eo loco respexit ad ipsam sanitatem, vt est opus naturæ, & sequitur ad eius actiones: quoniam Natura à principio partes, & corpus totum sic miscet, temperat, & format, ut ad eius actiones sequatur sanitas. At in libro de optima secta, respexit solum ad sanitatem, vt est medicinæ obiectum, & finis. Et, cum hęc aliquando deperdita, à medico introducatur, & fiat; aliquando verò iam præsens conseruetur;

Cap. 5.

Loco allegato.

seruetur; dixit, quòd medicina poteſt vtrunque facere, vt ædificatoria. Et tanto magis, quia, quamuis tota ars ſit correctiua, tamen, ut inquit libro de ſalubri, aliquando reſarcit adeò ſenſibiliter, vt uideatur aliquid omnino de nouo facere: aliquando verò reſarcit inſenſibiliter, & ſic videtur potius conſeruare, & ideò optimè poterat ædificatoriæ aſſimilari. Et hanc eſſe Galeni ſententiam oſtendunt verba, quæ ſequuntur: cum enim dixiſſet, quòd ars medica eſt inter eas, quæ faciunt, & conſeruat: ſubiungit: Non idcirco tamen geminum eſſe artis finem, credere oportet: ſed, cum vnus ſit finis, duo ſunt modi, hunc finem, ideſt ſanitatem, conſequendi, per curationem ſcilicet, & conſeruationem. & ſic abſque dubio eo loco reſpexit ſanitatem, vt eſt medici obiectum & ipſam per ſuas actiones attingere intẽdit. Sed, cum ex Introductorio medicorum, artium factiuarum quædam, niſi debita deficiat materia, ſuum finem ſemper attingunt, vt ars ſutoria, & ædificatoria: quædam verò, etſi ſemper ſuum finem, tanquàm obiectum, & ſcopum, ſibi conſequendum prę ponunt: tamen ipſum non ſemper attingunt, vt rhetorica, gubernatoria, & ars ſagittandi: & inter has repoſuit medicinam: quoniam quandoque fruſtratur ſuo fine. Quod etiam poteſt ex Galeno comprobari, qui in multis locis aſſerit, artem medicam eſſe coniecturalem. & in hoc non eſt controuerſia. Sed difficillimum eſt ſcire, quid eſt illud, quod facit hanc artem eſſe coniecturalem, & maximè, quia Galenus in hoc videtur uarius, & inconſtans: quoniam, libro de optima ſecta, reprehendit eos, qui aſſerebant, Medicinam eſſe artem coniecturalem, quia habet præcepta, & Theoremata coniecturalia: quoniam non ſolum hæc ars, ſed quælibet alia, habet præcepta firma, æterna, & inuariabilia. Et hac ratione nulla eſſet ars coniecturalis: Sed ars medica eſt coniecturalis, ex medici opera, & actione: quoniam opera, & particularis medici actio cauſantur coniecturam in arte. In libro verò, de curatione per ſanguinis miſſionem, inquit, quòd remedij quantitas facit artem eſſe coniecturalem. Et libro ſecundo de compoſitione per locos, aſſerit, quòd affectuum cognitio eſt cauſa, quòd ars medica ſit coniecturalis. Sed ad hæc, ſaluo ſemper meliori iudicio, dicerẽ, quòd, quamuis dictis locis uideatur dicere diuerſa; tamen, ſi benè animaduertimus, ſemper dicit idem. quod ut intelligatur, eſt notandum, quòd remedium, ad hoc, ut ſit uerè remedium, & ſufficiat pro curatione, non ſolum debet eſſe morbo contrarium, ſed etiam debet habere contrarietatis menſuram. debet enim eſſe contrarium in eodem gradu. Si enim morbus eſt calidus ut duo, remedium non ſolum debet eſſe frigidum, ſed debet eſſe frigidum ut duo, ut habemus tertio artis Medicinalis: & hoc, quia (ut inquit ſeptimo Methodi) eatenus redeat ad naturam eorum, quodque neceſ-

Marginalia: *Loco allegato.* — *Lib. de opt. ſecta.* — *Cap. 5. Quod ſit ars, coniecturalis.* — *Cap. 4.* — *Cap. 12.* — *Cap. 2.* — *Tex. 37. Cap. vlti.*

ſe eſt,

ſe eſt, quatenus à natura receſſit. ſi enim fuerit minus affectus, non curabitur: ſuperabitur enim à contrario: ſi verò fuerit maius, cõtrarius morbus generabitur, vt addit nono Methodi. oportet enim cognoſcere non ſolum morbi ſpeciem, ſed etiam ipſius quantitatem, & magnitudinem, vt conueniẽs exhibeatur remedium. ſed quãtitas morbi nõ põt dignoſci niſi per cõparationem ad naturalem habitum: tantus.n. eſt morbus, quãtus eſt factus receſſus ab eo: vt habemus nono Methodi. Vt ergo morbi magnitudinem metiri poſſimus, oportet cognoſcere ægrotantis naturalem temperiem: & ideo dicta confirmans primo ad Glauconem dicebat, medicos melius curare eos, cum quibus habuerunt tempore ſanitatis aliquam conſuetudinem, quam alios: nec eſt exiſtimandum, quòd per hæc voluerit, ꝙ circa familiares, licet ad vnguẽ morbi quãtitatẽ definire. hoc.n. quãtũ ſit difficile, & ferè impoſſibile, patere põt ex his, q̃ ſecũdo de rõne victus ĩ acutis Galenus dixit, & clarius ex tertio Methodi, vbi ait, ꝙ, cũ vniuſcuiuſq; ꝓpria natura, & indiuidualis, q̃ ideo ſyncraſiã vocãt, ſit cõſiderãda: hæc aũt ad unguẽ, & exq̃ſitè haberi nequit. quadã ſciẽtifica cõiectura debemus eſſe cõtẽti. & ſubiungit, Si.n. cuiuſq; ad vnguem naturã ſcirẽ explorare, talẽ me eſſe putarẽ, qualẽ mẽte cõcipio fuiſſe Æſculapiũ. Et ideò, cũ haberi nõ poſſit exquiſita cognitio, debemus eſſe cõtenti cõiectura quadã ſciẽtifica, q̃ melius in his, qui fuerũt nobis familiares, q̃ in alijs, fieri põt. Et iã ex dictis cõcludi põt, ꝙ quãtitas remedij facit artẽ cõiecturalẽ, qm̃, cũ mẽſuretur à quãtitate morbi, eſt impoſſibile, non cognita morbi magnitudine, remedij quãtitatẽ exq̃ſite cognoſcere; morbi verò quãtitas, ſi tãtus eſt morbus, quãtus eſt receſſus à naturali habitu, haberi nequit, niſi optimè naturalis tẽperies dignoſcatur: & hæc exquiſitè dignoſci nõ põt: qm̃, vt ex dictis patet, in eius dignotione debemus eſſe cõtẽti ſciẽtifica quadã cõiectura, qua ſi nõ exquiſite eã dignoſcimus, quãtũ fieri põt ꝓpè ad veritatẽ accedamus. Et ideo, cũ hæc habeatur cõiectura; cõiecturalis erit ẽt morbi, & remedij quãtitas, & iõ de omnium quãtitate pulcherrimè tertio Methodi ſcriptũ reliquit. Nulla eſt in arte medica, nec res, nec medela; q̃ ſpecie dicibilis nõ ſit; ſed qđ nec dici, nec ſcribi, nec omnino percipi põt, id quãtitas in vnoquoq; eſt. & iõ, cũ finis medici ſit vnius cuiuſq; affectus inuenire remedia, & per ea ſanitatẽ vel efficere, vel cõſeruare, & remedia nõ ſolũ debẽt eſſe qualia oportet, ſed ẽt quãta; & remediorũ quãtitas nõ poſſit haberi niſi coniectura: ergo quãtitas remedij facit artẽ cõiecturalẽ. Nec eſt mirũ, ſi qñq; dixit, ꝙ affectuũ cognitio eſt cã cõiecturę. hoc.n. parũ, immo nihil differt ab his, q̃ dicta ſunt: cũ in vnoquoq; ignoret quãtitas. & q̃a nõ exquiſitè habetur morbi quãtitas, hinc quãtitas remedij cõiecturalis efficitur. Sed inſtaret aliquis hoc cõcludere, qñ, quoad ſpeciẽ, affectus dignoſcit: ſed eius quãtitas, &

Cap. 11.

Cap. 24.

Cap. 1.

Text. 11.

Cap. 7.

Cap. 5.

magnitudo nõ exquisitè percipitur, sed qñq; ignoratur etiã species, & ad eius cognitionẽ vtimur cõiectura, & tũc ars nõ ob solã quantitatẽ, sed ẽt hac rõne erit cõiecturalis, quia (vt dicebat in quinto de tuenda valetudine) nõ habemus in omni morbo signa certa, vt in pleuritide: sed pleriq; morborũ cõiecturalẽ habẽt cognitionẽ. Ad hoc dicerẽ, ꝙ hoc etiã ꝓuenit ex eo, ꝙ nõ exquisitè cognoscimus ægrotãtis naturã, nec recessus quantitatẽ. his. n. bene cognitis, morbi cognitio minimè nos fugeret: vel dicas, & sit secũda responsio, ꝙ in arte medica accidit cõiectura: vno mõ circa dignotionẽ, alio mõ circa curationẽ: & circa dignotionẽ ars reddit cõiecturalis pp plures morbos, quorũ dignotionẽ nõ exq̄sitè habemus, sed cõiectura tm̃ assequimur. Circa curationẽ verò est ars cõiecturalis propter remedij quãtitatẽ, vt prius dictũ est. Sed dubiũ est, quid sit dicendum ad illud, ꝙ ars est cõiecturalis ob medici actiones. sed hoc ẽt nõ caret solutione. dictũ est. n. ex Aristotele, & Galeno, ꝙ ars est vniuersaliũ, & habet ꝑcepta firma, & sempiternæ veritatis, & eorũ rõne nunquã ars aberrat à suo fine. Sed, quia ars medica, vltra ꝑcepta vniuersalia, & in vniuersalibus methodũ, oportet ẽt vt habeat in particularibus exercitiũ; & in actionibus particularibus oportet cõsiderare particularis vniuscuiusq; naturã, & hoc nõ põt fieri, nisi cõiectura quadã, vt dictũ est, ideò sequit, ꝙ, cum in particulari actione sit circa naturę dignotionem cõiectura, erit ẽt cõiectura circa quãtitatẽ remedij, qđ mensurat à quãtitate morbi, qui tantus est quãtus est recessus à naturali habitu: & sic dicere, ꝙ ars est cõiecturalis. ob particulares medici actiones, & ob remedij quãtitatẽ, est vnum, & idẽ. Et vt hoc clarius intelligat, est sciendũ, ꝙ curandi methodus & quælibet medici actio, consistit (teste Galeno) in quatuor, scilicet in remedij qualitate, quãtitate, vtendi modo, & tẽpore, siue occasione. sed inter hæc, ars in vniuersali, nõ põt docere nisi duo, remedij. s. qualitatem, & vtendi modũ, vt eodẽ loco Galenus asserit. qm̃ ars potest docere, si talis est morbus, talia debent exhiberi remedia: sic etiã ꝙ in tali, vel tali affectu, remedia debent per hanc, vel per illam regionẽ approximari; qm̃ ad qualitatẽ remediorum docendam, sufficiunt vniuersalia artis pręcepta: & ad vtẽdi modũ sufficit Anatomicarũ administrationum notitia. Sed non potest ars sic in vniuersali docere remedij quantitatẽ: qm̃ hæc debet mensurari ex particulari ipsius ægrotantis natura, nec etiã potest docere, vt oportet temporis occasionẽ, vt putà quando remediũ sit applicandũ, qm̃ agẽdorũ occasio est ferè momentanea & ideo eã præcipitẽ vocauit Hippocrates: & hoc non ob aliud, nisi ob subiecti trãsmutabilitatẽ, vt inquit Galenus in commẽto. & ideò ad ipsam eligendã, considerare oportet particulares corporis mutationes. qđ nõ põt fieri nisi in particularibus actionibus, & est adeò difficile, ut dixerit Galenus ꝙ ad hoc, vt tẽporis occasione

Cap. 11.

1. ad Glau. 1.

1. aph. 1.

sione

sione vti sciat, oportet medicũ in artis operibus esse exercitatissimũ. Cũ ergo inter quatuor ad artẽ medicã necessaria, non possit in vniuersali docere, vt oportet, nisi duo, & alia sciri non possunt, nisi in particularibus actionibus, & tũc non nisi quadã coniectura: ergo sequitur, ꝙ ars est coniecturalis, ob particulares actiones: & tñ hoc non est diuersum ab eo, qđ supra determinatũ est; qm̃, quod in particularibus est, coniecturę cã, est remedij, quãtitas, quæ exquisitè percipi non põt: & occasio reducitur ad qualitatẽ, vt nũc dicemus, si declarauerimus primò, quõ (si adeo imperceptibilis est vniuscuiusq; remedij exquisita quãtitas) põt verificari, ꝙ primo ad Glauconẽ dixit de occasione, ꝙ sit oĩum difficillima. quo loco absque dubio vr̃ tenere, ꝙ maiorẽ habeat difficultatẽ, q̃ remedij quantitas, & ꝙ occasio ẽt sit cã, ut ars reddatur coniecturalis. Et in illius loci expositione inquit Montanus, ꝙ difficultas in arte medica, vel attẽditur penes cognitionẽ, & sic, ob dictas prius cãs, quantitas est oĩum difficillima, vel attẽditur penes executionẽ, & sic oĩum difficillima est occasio: qm̃, si exquisitè cognoscerémus remedij quantitatẽ, facillimè eã morbo applicãdo quod intendimus exequeremur; nõ sic in occasione, q̃, cũ sit momẽtanea, etiãsi dignoscatur, anteq̃ ea vtamur, aufugit. Et ideo Galenus dixit, ꝙ oportet medicũ esse exercitatissimũ, vt ẽt in momentaneo illo tpe, occasione vti sciat, sed hæc solutio non oĩ ex parte dubitationem euacuat. explicat. n. solũ, quare aliqñ quantitas, aliqñ occasio est oĩum difficillima: sed adhuc, dubiũ relinquitur, quare in tot locis explicãs, ꝙ quantitas est cã coniecturę, nullã fecit mentionẽ de tpis occasione: cũ & ipsa cõiecturã pariat, vt dictũ est. Et ideo aliter cũ Galeno dicerem, ꝙ, qñ prætermisit occasionẽ, eam comprehendit sub quãtitate. inquit. n. tertio artis medicinalis: & hæ duæ sunt intentiones rei, quæ adhibetur, qualitas scilicet, & quantitas. neq;. n. est rõni consentaneũ, ẽt tpis occasionem, quæ in alijs, q̃ dicta sunt, continetur, veluti tertiũ aliqđ ab his, q̃ dicta sũt, introducere, si. n. tanta, & tali re allata indigeat corpus, nemini dubiũ, quin etiã in tpe oportuno afferatur occasio. Et, si instares, quare ergo multoties posuit occasionẽ distinctã ab alijs: subiũgit eodẽ loco, ꝙ in reiveritate nõ est quod dã distinctũ; sed qñq; ponitur clarioris doctrinę gratia: vnde non est mirũ, si qñq; additur occasio, qñq; non. Immo circa hoc est animaduertendũ, ꝙ Galenus solet ad clariorem doctrinã addere tpis occasionẽ, magis in curatione, quã in conseruatione: quia, ipso teste, in parte conseruatiua non est adeo præceps occasio, vt in curandis morbis, in quibus magni momenti est occasionẽ eligere: & ideo, etsi in alijs contineatur, ipsã addit ad maiorẽ claritatẽ. Et hæc circa id, ꝙ medicina sit ars factiua, resarciẽtis naturæ ministra, & cõiecturalis, dicta sint. Et ad alia accedamus. Et, q̃uis prius de subiecto, q̃ de fine artis, esset disputãdũ, tñ, qa cũ Galeno deter-

Cap. alleg.

Tex. 7.

5. de tuenda valet. Cap. 3.

minare intendimus, quòd sanitas est medicę artis finis, & nullo pacto subiectum, vt aliqui existimarunt: & ad ea, quæ dicenda sunt, multum facit finis præcognitio, ideò de artis fine prius, & posteà de eius subiecto disseremus. Et, vt ordinate procedentes, melius, quæ dicenda sunt, intelligantur: antè omnia animaduertendum esse existimo, vtrum finis sit idem, quod scopus, qui apud nos sonat propositum, obiectum, siue intentum; vel potius inter se differant? Et auctor Introductorij medicorum inquit, quod scopus, & finis re vera sunt idem, sed differunt secundum rationě, quoniam dicitur scopus, vt mouet agens; dicitur finis, vt posteà ab agente obtinetur. quod optimè declarat exemplo artis sagittandi, in qua, qui eã exercent, præponunt sibi metam, quæ quatenus dirigit actus sagittandi, dicitur scopus, vt posteà à perfecto artifice obtinetur dicitur finis. Idem cõfirmat Galenus in libro ad Thrasybulũ, vbi inquit, propositũ, siue scopũ esse illud, quod intendit artifex: finis verò nihil aliud est, nisi propositi consecutio: & sic idem est scopus. & finis secundum rem, & ratione tamen differũt. Et philosophi scopũ qui mouet agens, finem in aĩa, ipsius vero consecutionem, finem extra animam & finem in re appellant: & hoc est illud, quod dicebat septimo Methaphysices, ex sanitate fieri sanitatem: quoniam ex sanitate in aĩa medici præconcepta, quærit medicus sanitatem obtinere in re. Sed sciendum, quòd finis non est, (vt inquit Quintilianus) quem artifex semper assequitur; & hac ratione falso putauit, quòd Retoricæ finis sit benè dicere, & non persuadere: cum illud, & non hoc semper rhetor assequatur. Quæ definitio si esset vera, nihil fieret frustrà: & ars esset perfectior ipsa natura: quoniam natura in suis operibus non semper assequitur finem. Et ideo dicamus cum Aristotele primo de Partibus, quòd finis est, ad quem terminatur (si nihil impedit) oĩs motus. cuius sententiæ fuit Galenus libro ad Thrasybulũ, asserens, finẽ esse; quo habito, quiescit artifex: quod & nomen finis ostendit: & sic talẽ finẽ in hac arte inquirere oportet, ad quẽ terminatur medici operatio, & quo habito, quiescit: qui etiam prius medico præponitur, vt scopus: & in illlum tanquam in proprium finem contendit: & inquit Introductorius medicorum, quod scopus, propositum, siue obiectum artis medicæ est sanitas, finis verò est sanitatis acquisitio: nec oportet ex dictis locis, cum aliquibus sumere occasionem errandi, qui asseruerunt, quòd dicta verba sunt intelligenda solum de parte curatiua, & non de conseruatiua; & inquiunt, quòd, quamuis in tota arte vnus sit scopus, ipsa scilicet sanitas, tamen, cum hunc scopum quandoque attingat per curationem, & morborum sublationem, quandoque verò per conseruationem; duo erunt fines, sanitatis scilicet adeptio in ægris, & sanitatis possessio in sanis: quoniam non fit adeptio vbi non fuerit prius facta deperditio.

De artis Medicæ fine & scopo.

Cap. 12.

Text. 23.

Cap. 1.

Cap. 16.

Et

Et sic, si finis esset solum sanitatis adeptio, non includeret partem conseruatiuam: quoniam in ea non acquiritur sanitas, cum non sit prius deperdita, sed possidetur, cum adsit, & ab arte conseruetur. Et sic, quando Introductorius medicorum, & Galenus asserunt, quòd finis artis est sanitatis adeptio, dicunt, quòd tunc non loquitur de tota arte, sed solum de parte curatiua. Sed hæc positio est omnino contra Galeni placita. ipse enim libro ad Thrasybulum, cum declarasset, quòd nec ab actionibus, nec à subiecta materia distinguuntur artes, sed à proposito fine: subiungit: Hunc enim inuenit ratio, tanquam iudicem omnium, quę in arte pertractantur: cum à finis resolutione quælibet ars constituatur. Tunc, si verum esset, quod isti dicunt, sequeretur, artē medicam non vnam esse artem, sed duas. duos enim haberet fines. Præterea, sequeretur totum oppositum illius: quod eo loco probare intendit. quoniam adducit hoc ad probandum, quòd pars salubris, & euectichi, quæ bonum corporis habitum conseruat ad artem medicam attineat: hac vsus ratione, quòd eundem habeat finem, ipsam sanitatem. quod secundum istos non esset verum. &, si aliquis instaret, quod sanitatis adeptio non potest esse finis, etiam in parte conseruatiua, in qua sanitas non acquiritur, sed possidetur: dicimus, quòd cùm ars medica, sit ars factiua, in qua post actionem debet remanere opus. propriè loquendo, nec sanitatis adeptio, nec sanitatis conseruatio, quatenus sunt in via, & in fieri, possunt esse artis medicæ finis: quoniam hæc sunt medici actiones, ad quas posteà sequitur finis, quemadmodum nec sanare, nec omnia facere, quæ ad sanitatem pertinent, nec morborum causas adimere, possunt dici huius artis finis, vt multi, Galeno teste, asseruerunt: & hoc, non ob aliud, nisi quia finis huius artis non consistit in actione, sed post actionem debet remanere: nisi quis existimauerit esse veluti saltatoriam. quod est ab omni ratione alienum. finis enim in hac arte non consistit in actione, sed debet ad actiones sequi, & post actiones remanere: & sic sanitas, vt remanet post medici actiones, debet finis censeri: sanitatem verò adipisci, sanare, conseruare, & alia huiusmodi facere, sunt medici actiones, q̄ hūc finem præcedunt. &, quoniam hunc finem attingit, quandoque ars per conseruationem, quandoque per curationem. hinc, vt inquit primo de tuenda valetudine. duæ sunt primæ, & maximæ artis partes, salubris, & curatiua: quæ eundem habent finem, ipsam sanitatem, sed duo sunt modi acquirendi ipsam: quæ omnia correspondent his, quæ dixit libro de optima secta, vbi asserit, quòd, quamuis ars medica in sanis conseruet sanitatem, & in ægris sanitatem deperditam introducat, non propter hoc geminum habet finem: sed vnum habet propositum, & scopum, ipsam sanitatem, & vnum habet finem, sanitatis consecutionem: quamuis duo

Cap.29. *Cap.1.* *Cap.5.*

sint modi hunc finem consequendi, per curationem, & conseruationem. & ne circa hoc aliqua remaneat difficultas: est notandum, quòd, quando Galenus inquit, quòd finis est sanitatis consecutio. vt libro de optima secta, vel sanitatis adeptio, vt libro de sectis: non oportet intelligere, sanitatis acquisitionem, vt est in via, & in fieri, vt contrarium asserentes sunt arbitrati: quoniam sic est actio medici, non finis: sed debemus intelligere per sanitatis adeptionem, sanitatem adeptam, ad differentiam ipsiusmet sanitatis, vt est artis scopus. dicitur enim, vt prius dictum est, scopus antequam obtineatur; cum verò obtinetur, dicitur finis. &, cũ obtineatur, tempore, quo est introducta, non quando adhuc est in acquisitione, ideò sanitas adepta, non ipsius adeptio, erit artis medicę finis. Et, quòd hoc sit ad Galeni mentem, patet ex primo de ratione victus in acutis. quo loco sic exponebat mentem illorum, qui dicebant, curationem esse finem artis: dicens, curatio per se exercetur, dignotio verò, & prænotio propter curationem. vnde aliqui curationem esse artis finem asseruerunt: & subiungit, per curationem verò oportet intelligere morbi sublationem: non quæ fit, sed quæ facta est: significans, per hæc, quòd curatio, quę fit, cum sit actio, quæ dirigitur ad finem, nullo pacto debet finis iudicari. &, vt inquit Galenus libro ad Thrasybulum, dicere, curationem, sanationem, omnia pro sanitate facere, & alia huiusmodi, esse finem artis; hominis est, non potentis distinguere finem, ab actione, quæ finem præcedit. Et ex dictis licet concludere, quòd sanitas, vt est adepta, & ab artifice obtinetur, est artis medicæ finis. Sed aliquis contra determinationem instaret, adducens Aristotelis sententiam, qui primo Topicorum, inquit, quod medicus non tenetur sanare, sed tantum facere ea, quæ sunt ad sanitatem, & sic non erit eius finis sanitas. Ad hoc dicimus, quod Aristoteles non contradicit his, quæ dicta sunt: quoniam ipsemet, primo Ethic. asserit, sanitatem esse medicæ artis finem; & primo Topicorum, non circumscribit artis finem, sed medici officium; quoniã, cum medicus non faciat finem, sed finis sequatur ad eius actiones, non tenetur sanare, sed facere ea, quæ sunt ad sanitatem. Sic Rhetor, quamuis (quidquid dicat Quintilianus) habeat pro fine persuasionem: hæc enim post actionem remanet: tamen eius munus est, non semper persuadere, sed tantum benedicere: ad quod sequitur, vt plurimum, tanquàm finis, persuasio, cuius gratia cætera fiunt. Sed adhuc aliquis insurgeret. Si ex Galeno finis est, quo habito quiescit artifex, & ex Aristotele finis est, ad quem terminatur omnis motus, vt prius dictum est, sanitas non erit artis medicæ finis: quoniam aliquando medicus subsistit infra sanitatem: quandoque vero vltra progreditur. Infra inquam subsistit, quando, curando vnum morbum, alium derelinquit, vt de luxatione cũ

Cap. 1.

Cõmento 3.

Cap. 27.

Cap. 2.

maxima

maxima inflammatione, & dolore, Galenus tertio methodi exẽplificat. In quo casu attendens medicus, id, quod magis vrget, inflammationem curat, luxatione derelicta, ne, si tentet, reducendo ossa, luxationem curare, adeò dolorem augeat, vt inde æger perire cogatur. Infrà etiam medicus subsistit, cum non solum vnum morbum derelinquit, vt alium curet: sed etiam morbum nouum inducit, vt mortem euitare possit, vt in eodẽ loco ex Galeno habemus. Si cui enim fuerit per transuersum vulneratus, sed non omnino discissus neruus, & sequitur conuulsio, quæ citam mortem minatur, tunc medicus, vt curando conuulsionem, mortem euitet, neruum omnino abscindit: &, quamuis ex hoc, conuulsio curetur, per totum tempus futurum erit læsa pars, vel in sensu, vel in motu, vel in vtraque. Infra sanitatem etiam consistit medicus, quando in morituris prædicendo futurum euentum, ad curationem non se intromittit, ne rerum euentus suo ascribatur errori: quoniam tunc habet pro fine prædictionem, non sanitatem. Vltra verò sanitatem medicus progreditur, quando quærit robur in actionibus, optimum habitum, & pulchritudinem introducere: quæ sunt, & sequuntur post sanitatem introductam. vt ex istis ambigere liceat, circa datam determinationẽ. Sed omnia diluamus. Et ad primum dicimus, quòd, quamuis medicus aliquando infra subsidat, hoc non facit, quia sanitas non si, principalis eius finis: sed, quando desperat, posse vltimum, & principalem finem obtinere, eligit quod minus malum, & efficit quod melius: exemplo ipsius naturæ: quæ, quando propositum finem non potest assequi, facit, quod melius, generando monstra, mutilata, & ex perfectissimis imperfectissima: vt ex equis, vespas. Et ideò Aristoteles dixit, quòd finis est, ad quem (nisi adsit impedimentum) terminatur omnis motus. Sed, quando adest impedimentum, tunc natura, & ars facit, quod melius, & tali ratione vtitur ars medica, quando non potest suum obtinere finem: & sic in luxatione cũ maxima inflammatione, ne curata luxatione, ex dolore pereat, totum animal eligit quod minus malum, & relinquit luxationem. melius enim est, vt vna pars afficiatur, quam quòd totius sequatur destructio. & eadem ratione, in secundo exemplo medicus abscindit neruum, & conuulsionẽ curat, minus malum eligens. inducit enim mordum in parte, vt totum animal saluare possit. Ad id verò, quod dictum est de morituris, dicimus, quòd, cum tunc medicus sit desperatus à suo principali fine, ad hoc, ne simul cum ægro pereat eius fama, neue ars, & eius remedia infamentur, quæ multis fuerẽ saluti, prædicit futurum euentum, & sola vtitur parte prognostica. Ad id verò, quod medicus quandoque vltra progrediatur, dicimus cum Galeno libro ad Thrasybulum, quòd sanitas est finis artis medicæ; robur verò in actionibus, bonus habitus, & pulchritudo, sunt

Cap. 9.

Cap. 14.

fructus, qui sequuntur ad sanitatem; & postea exhibet rationem, quare debemus dicere, sanitatem esse artis finem, & non illa: & est, vt inquit, quia medicus potest remedijs sanitatem introducere, &, si noluerit, impedire: robur vero virium, & pulchritudo, si sanitas fuerit introducta, non possunt à medico impediri: quanto enim sanitas introducta fuerit perfectior, tanto robustiores sequuntur actiones, & bonus comparabitur habitus, & pulchritudo: quæ, velit, nolit medicus, subsequuntur: & non introducta sanitate, est impossibile aliquod illorum, artis beneficio introducere. Et hæc de artis Medicæ fine. Et ad aliud, quod propositum fuit, accedamus: quid videlicet sit medicæ artis subiectum. Et fuit Barbarorum sententia, quòd artis subiectum sit corpus humanum sanabile: quoniam medicus circa corpus humanum versatur, vt in eo introduci, & seruari sanitas possit. Sed hanc positionem Manardus, & ipsum secuti in dubium reuocarunt, immo eam ex toto damnantes asseruerunt, ꝙ nullo pacto corpus humanum sanabile sit huius artis subiectum: sed sanitas. quod multis rationibus, & auctoritatibus cõfirmarunt. inquiunt enim, Illud est proprium alicuius facultatis subiectum, quod est capax omnium eorum, quæ in illa facultate tractantur, & ad quod tractata omnia diriguntur, & per illa facultas ab alijs distinguitur. Sed, quæ in hac arte traduntur, non tractantur ratione corporis, non diriguntur ad tale corpus: nec per illud hæc ars distinguitur ab alijs: sed omnia tractantur ratione sanitatis, ad sanitatem diriguntur, & per sanitatem, ars medica distinguitur ab alijs artibus: ergo non corpus, sed sanitas erit in medicina subiectum: confirmant idem ratione, auctoritate fulcita: quoniam Galenus libro de partibus artis medicæ inquit: quod corpus humanum per accidens consideratur in medicina, ratione scilicet sanitatis: & quod consideratur per accidens, non potest esse in illa facultate subiectum: & sic non corpus, sed sanitas erit subiectum. Idem confirmãt auctoritate diui Thomæ in secunda secundæ, vbi ait, quod obiectum medicinæ est sanitas. Nos vero, vt dicenda dilucidè, & ordinatim percipiantur, multa prætereuntes, ad logicam potius, quam ad hanc facultatem, attinentia, aliqua præponere intendimus, nostro instituto admodum opportuna: & ante omnia dicimus, alio modo considerari subiectum in artibus, alio in scientijs, quia subiectũ scientiarũ propriè est, de quo (iuxta philosophorũ sententiã) probantur passiones, & proprietates, p ipsa, vocata principia; in artibus verò, subiectũ est, circa qđ artifex operatur: & in qđ introducere formã aliquam artificialem, totis viribus conatur. Et tale subiectum non indiget, vt de ipso probentur passiones: sed satis est, vt circa ipsum artifex uersetur & formam artificialem introducat. quod colligitur ex Aristotele primo Rhetoricorum ad Theodecten: vbi vult, ꝙ

De artis medicæ subiecto.

Cap. 8.

Quæstione prima art. primo.

singulæ

singulæ artes circa id debent versari, quod sibi subiectum est: vt medicina circa corpus, quod sanari,& ægrotare potest:& Galenus in libro secundo de crisibus, & libro ad Thrasybulum asserit,quòd corpus, est subiectum,siue materia, in qua operatur medicus. Secũdò est animaduertendum, quòd differt quærere subiectum totius artis, siue scientiæ; & quęrere subiectum alicuius libri particularis in illa arte,vel sciẽtia: quoniam in tota arte, vel scientia consideratur subiectum, vt prius dictum est, in particularibus verò libris consideratur alio modo, pro eo scilicet, quod in illo libro tractatur:& tunc idem significat subiectum, quod res tractata. quemadmodum in philosophia naturali subiectum est corpus mobile, vel naturale: & tamen in libris de generatione, in quibus tractatur de illius mutationibus, de ortu scilicet,& interitu, non corpus tale, sed ortus,& interitus,erit illius libri particulare subiectum.de istis enim tractatur,quæ, si respicimus ad totam scientiam, sunt passiones, quę probantur de totius scientię subiecto.sic etiam in libris medicinalibus, multa erunt particularia subiecta, iuxta diuersitatem eorum, quæ particulatim in diuersis libris pertractantur. His suppositis,ad propositum redeuntes,dicimus,quòd,quando quęrimus, quid sit subiectũ in arte medica,intelligimus de subiecto totius artis, non particularium librorum,& inquirimus subiectum artis,non scientiæ. probatum nanque est Medicinam esse artem. & ideò oportet, vt eius subiectum sit circa quod operatur artifex: & tale absque dubio est corpus humanum, vt Galenus locis allegatis asserebat. Et hoc licet ex alijs locis comprobare: quoniam in hoc primo Aphorismorum dicebat occasionem esse præcipitem, propter subiecti transmutabilitatem: corpus enim humanum continuè alteratur,& ab internis,& ab externis causis: & experimentum esse periculosum, propter subiecti nobilitatatem: non enim tractamus ligna, corium,vel lapides,in quibus licet ignaris artificibus multa impunè experiri At in arte medica,ea experiri,quæ non sunt experientia comprobata,maximum est malum: cum mala experientia,ad totius animalis interitum terminetur.Et secundo de Crisibus inquit,in arte medica esse duplicem materiam; vna,in qua medicus operatur,& est corpus humanũ: altera,ex qua,& sunt præsidia,& causę salubres,quibus operatur. & hoc confirmat etiam libro ad Thrasybulum. Cuius sententiæ etiam videtur fuisse Aristoteles loco allegato: vbi dicebat, quòd subiectũ artis medicæ est id,quod sanari,& ęgrotare potest:per hæc innuens corpus.Sed, vt nihil remaneat intactum,est notandum, quòd non sine ratione dixit, quòd subiectum medicinæ est id,quod sanari, & ægrotare potest: & nõ dixit corpus humanum:quoniam datur ars medica quædam vniuersalis,quæ ad multa se extendit: includit enim sub se non solum nostram

Cap. 9.
Cap. 28.
Cap. 9.
Cap. 28.

medicinã, quæ circa corpus hominis versatur, sed etiam veterinariam, siue mulomedicinam, quę versatur circa animalia;& vltra hæc includit etiam eam, quæ versari potest circa plantas quasdam, & earum affectus. & volens arti sic vniuersali subiectum proportionatum assignare, optimè asseruit esse id, quod sanari, & ægrotare potest: & nostra medicina erit species illius artis, quæ ad tam multa se extendit. De subiecto etiam nostræ medicinæ dixit Auerroes secundo Physicorum, quòd est corpus hominis. vt iam liceat concludere, non sanitatem, sed corpus humanum esse in medicina subiectum. Sed, his sic expositis, respondeamus ad Manardi rationes:& simul,& semel nostram confirmabimus sententiã. Et ad primam eorum rationem dicimus, nihil penitus valere: quoniam attribuunt subiecto ea, quæ ad subiectum non attinent. Quando enim dicunt, illud est subiectum, ratione cuius, omnia tractãtur, & ad quod omnia diriguntur,& per quod ars differt ab alia arte: omnino à veritate aberant. quoniam illa attributa fini,& non subiecto conueniunt: quod apertissimè asserit Galenus libro ad Thrasybulum: quo loco probat, ꝙ artes non distinguũtur à subiecta materia: quoniam vna materia potest tractari à pluribus, vt patet de ligno,& de corpore: sed distinguuntur à fine. Et ratio inuenit finem, tanquàm iudicem omnium eorum, quæ in arte pertractantur. & sic falsum est, quòd ratione subiecti, ars differat ab arte, & quòd omnia tractantur ratione subiecti, & ad illud dirigantur. hæc enim sunt propria ipsius finis.& sic ex dicto loco per eadem media possumus nostram sententiam roborare,& contra ipsos arguere: quoniã, si artes non distinguũtur à subiecta materia, sed à fine, & ars medica distinguitur ab alijs ratione sanitatis: ergo sanitas erit eius finis,& nullo pacto subiectum. Et, si aliquis instaret, quia à subiecta materia artes distinguuntur: quoniam corpus, vt est generationi, & interitui obnoxium, tractatur à philosopho naturali; vt est sanitatis capax, à medico. Ad hoc respondet Galenus loco allegato,& inquit, quod, qui distinguit artes,& scientias prædicto modo, eas distinguit à fine,& non ratione subiecti: quoniam, si addimus corpori sanitatis capax, cum subiecta materia includimus etiã ipsum finem:& hoc modo ita efficitur subiectũ illius artis, quòd non potest esse alterius: quia contrahitur materia ab ipso fine, & arti redditur propria: & sic diuisio illa adhuc est ratione finis. Et hoc est illud, dicebat Auerroes,& sequaces, quòd subiectum includit duo, rem consideratam, & modum considerandi: qui modus considerandi nihil aliud est nisi contractio subiecti, facta ab ipso fine. Ad rationem verò, quam adducunt ex libro de partibus medicæ, quòd corpus in arte medica consideratur per accidens: dicimus, quòd, cum artes distinguantur à fine,& finis sit, ratione cuius omnia cõsiderantur:

Cõmento 3.

Cap. 28. & 29.

si consideratur subiectum; adhuc consideratur ratione finis: & sic secundariò, & non primò. Et hoc uolebat Galenus loco allegato, dicens, quòd corpus consideratur per accidens: non enim voluit per hoc, quòd consideratur eo modo per accidens, vt opponitur ei, quod est per se: sed voluit idē significare, quòd secundario, & opponitur ei, quod est primum, & secundum quòd ipsum: & hanc fuisse eius mentem, illamet declarant, q̃ eodem loco dixit: subiungit enim: Corpus (vt ita dixerim) per accidēs consideratur in arte medica: quatenus scilicet morbus, & sanitas illius sunt affectiones. & posteà addit, Et corpus per accidens etiā consideratur in philosophia naturali, quatenus. s. generationi, & interitui est obnoxiū. Ex quibus verbis possumus colligere, qđ non voluit, ꝙ corpus cōsideretur omnino per accidens, tū quia addidit, vt ita dixerim, Per accidēs: tū etiam, & clarius, quia idem dicit de philosophia naturali: & sic vel oportet fateri, quòd corpus omnino consideratur per accidens in philosophia naturali: vel quòd in tantum dicitur considerari per accidens, in quantum consideratur secundariò, quatenus scilicet est mobile, vel naturale: quoniam sola prima philosophia considerat ea, quæ sunt, quatenus sunt, & sine aliqua limitatione. Ad id verò, quod dicunt ex D. Thoma, facilis est responsio. Ipse enim dixit, obiectum medicinæ esse sanitatem, & obiectum multum differt à subiecto. diximus enim, quòd nos dicimus obiectum, propositum, siue intentum, illud, quod apud Græcos dicitur σκοπὸς, qui secundum rem est idem, quod finis: quamuis à fine differat secundum rationem, vt prius dictum est. & sic nihil aliud asseruit eo loco, nisi quòd scopus, & finis artis medicę est sanitas, vt nos asseruimus. Et, quòd hæc fuerit D. Thomæ sententia, ipsemet testatur: qui supra libellum Boetij de Trinitate asserit, quòd medicinæ subiectū est corpus humanum sanabile. Et hæc ad eorum rationes. Sed aliqui (facta quadam de subiecti diuisione) voluerunt saluare vtranque positionem: & aiunt, quòd subiectum est duplex, materiale, & formale; & subiectum formale esse illud, quod principaliter consideratur, subiectum verò materiale esse illud, circa quod versatur artifex. Et, hac facta distinctione, dicunt, quòd corpus humanum est subiectum materiale; sanitas verò est subiectum formale. Et hoc idem voluit significare Manardus, per subiectum operis, & subiectum considerationis. Sed, quamuis, hac distinctione, multi etiam probatissimi philosophi vsi fuerint: tamen, vt verum fatear, mihi non placet: quoniam in Galeni doctrina, repugnat dicere, subiectum, & formale, & nullo pacto possunt concurrere sicuti etiam repugnat dicere, quòd idem sit subiectum, & finis, & maximè in artibus, & dixi, Maximè in artibus, quoniam forsitan in scientijs maiorem hoc potest habere apparentiam: cum sit subiectum illud,

de quo probantur passiones,& proprietates, & ad illud videntur omnia dirigi.Sed,si penitus res consideretur,nec in illis finis cum subiecto confunditur. quoniam,si de corpore vt mobili, omnia tractantur in philosophia naturali, & ad ipsum omnia diriguntur: hoc accidit, quia cum subiecto includitur etiam finis: illa enim non solum considerantur de corpore; sed de eo,quatenus est mobile:& hoc nihil aliud est nisi explicare finem: considerat enim corpus, vt generationi,& interitui est obnoxium: & philosophia hoc habet pro fine, vt omnium mutationum causas perscrutetur: & hoc gratia alterius finis,ipsius scilicet veritatis. Sed in artibus multò clarius hęc distinguuntur,quoniam aliud est subiectũ, circa quod operatur artifex,& aliud est forma,quam artifex conatur in ipsum subiectum introducere.&,si benè considerabis,quæ Galenus scripta reliquit libro ad Thrasybulum, inuenies,omnia, quæ dicta sunt,esse vera,& ad eius mentem:&,si finis esse posset idem cum subiecto,inter alia sequeretur, nihil Penitus eo loco concludere. ubi inter alia probat, quòd non a subiecto,sed a fine distinguuntur artes. Et,si instabunt se nihil aliud intelligere per subiectum formale, nisi finem: tunc nihil habebunt contra nos: & quæstio erit de nominibus. Sed, cum vsitatis vti debeamus, non oportet inusitatis nominibus lectores confundere: vt, quid de his boni senserint auctores,non valeant intelligere.& nobis pro nunc sufficiat assignatã diuisionem non esse ad Galeni mentem. & ideò concludamus,quòd, cum sanitas sit artis medicæ obiectum, & finis,nõ potest esse subiectum: erit enim subiectum corpus humanum, in quo sanitas seruatur,& introducitur. Et Auerroes primo Colliget, asserit, ꝙ corpus,vt est mobile,consideratur a philosopho naturali, & inter alios motus est mutatio ad sanitatem,& morbum,& ideo etiam ad ipsum attinet hæc considerare,cum non transcendant eius limites.Et ideo,vt corpus humanum contrahatur ad artem medicam,vult esse addendam cõdicionem, & dicendum, quod in hac arte subiectum est corpus humanum arte sanabile; nec per illam additionem oportet intelligere, quod ars est, quæ principaliter curat: natura enim est morborum medicatrix: sed intelligendum est corpus,arte,hoc est artis beneficio & auxilio sanabile.Sed, quamuis omnia hæc sint vera, tamen non exprimunt solũ artis subiectum,sed, illud cum fine miscendo, ad artem contrahunt. si enim volumus subiectum solum,& ab alijs distinctum considerare, nihil aliud est,nisi corpus humanum,vel,vt dicebat Auerroes, corpus hominis sic absolutè prolatum: quoniam circa ipsum medicus operatur, & in illo intendit sanitatem conseruare, vel introducere tanquàm suum finem,ad quem omnes suas actiones dirigit. Et iam tempus est,vt ad vltimum eorum,quę vniuersaliter de tota arte promisimus,descendamus,

Locis alleg.

De artis medicæ diuisione.

quot

quot scilicet, & quæ sint artis medicæ partes: & circa hoc multæ fuerunt opiniones. Arabes enim (vt licet videre apud Auicennam in principio suorum librorum, & Auerroem primo Colliget) tenuerunt, quod ars medica diuiditur in duas partes, in theoricam scilicet, & practicam. & vtrum hæc diuisio sit laudanda: adeo bene perpenditur à Plusquam Commentatore primo artis medicinalis, vt nihil supra: & reducentes, quæ dicit, ad quædam capita, primo asserit, quod hæc diuisio non fuit inuenta in aliquo Galeni libro. Secundo tenet, quod, accipiendo theoricum, & practicum, vt accipiuntur à philosophis: cum Theoricum habeat pro fine ipsum scire, & Practicum habeat pro fine opus: medicina tota erit operatiua, & Practica, & nullo pacto Theorica. Tertio tenet, quod, quando medicina diuiditur in Theoricam, & Practicam, vt diuisio possit saluari, oportet dicere, quod Theoricum, & Practicum, non sumuntur eodem pacto, quo sumuntur in diuisione scientiarum: ibi enim sunt adeo opposita, vt nullo modo possint conuenire, nec vnum ordinari ad reliquum, quoniam differunt ratione finis: & magnum esset inconueniens asserere. quod eodem pacto, & per easdem differentias, diuiditur genus supremum, & species infima: si enim corporeum, & incorporeum diuidunt substantiam, quomodo poterunt diuidere ipsum animal? Et concludit, quod Theoricum, & Practicum in diuisione medicinæ sumuntur pro eo, quod est magis, vel minus remotum ab operatione. quoniam, etsi tota ars respiciat opus, tamen aliquando tractat de his, quæ sunt magis propinqua operi, aliquando verò de remotis ab opere: de propinquis operi ratiocinatur quando de methodo medendi, vel conseruandi corpora pertractat: de remotis magis ab opere, quando de elementis, de naturalibus facultatibus, & alijs huiusmodi disserit. Sic etiam, quando affectuum originem, & causas inquirit: & hanc partem Theoricam, illam verò Practicam antiqui vocauerunt. Hæc Plusquàm Commentator. Quæ diuisio cum non sit ad Galeni mentem, quem in omnibus profiteri intendimus, non est nobis recipienda, tamen non omnino reijcienda, vt multis visum fuit, qui eã penitus euertere sunt conati. Facta enim Theorici, & Practici diuisione, vt dicebat Plusquam Commentator, omnes rationes in contrarium adductæ faciliter soluuntur. Et ideo potest aliquo pacto saluari talis diuisio. Et non erit penitus inutilis: cum per ea nõ solum medicina, sed multæ aliæ artes vtiliter diuidantur, vt ars canendi, & cytharizandi, & ipsa etiam musica, & multæ aliæ: & tantò magis, quia vltra alios, fautorem habet etiam Græcum auctorem: quoniã Philotheus in principio Aphorismorum diuidit medicinam, in spectatiuam, & actiuam: quod idem est, ac si dixisset, in Theoricam, & Practicam. Sed oportet animaduertere, quòd,

De artis Medicæ diuisione.

re,quòd, qui eam voluerunt omnino eradicare , videntur etiam & ipsi aberrare.tenent enim,quod, propriè loquendo,medicina non diuiditur in theoricam,& practicam, sed est tota practica.quod, proprie loquendo,est falsum. Dictum est enim suprà, quòd medicina est ars factiua , & non actiua : & sic ποιητικὴ,& non πρακτικὴ : quoniam habet pro fine opus, & non actionem,& in recto sermonis vsus πρᾶξις significat actionem:& artes practicæ sunt artes actiuæ : quarum finis consistit in actione, vt dictum est.Et hæc de Arabum diuisione.Alia fuit diuisio quorundam iuniorum, qui, Galeni auctoritate ducti, libro ad Thrasybulum,& primò de tuenda valetudine,dicunt,quòd ars medica diuiditur in duas partes, in salubrem scilicet,& curatiuam ; quoniam, cum finis medicinæ sit sanitas , & medicus consequatur sanitatem, quandoque per conseruationem,quandoque per curationem,inde istæ duæ partes maximæ, & omnium principalissimæ emergunt.Sed hæc diuisio est diminuta,quia non includit omnia, quæ sunt in arte necessaria. In hac enim non includuntur,quæ pertinent ad partem naturalem : nec quæ pertinent ad morborum differentias,& causas : nec etiam quæ attinent ad dignotionem , & prænotionem.Et, si diceres, quòd hæc tractantur propter illa, hoc verũ est,non tamen sequitur, hæc ordinantur ad illa : ergo non possunt esse pars artis.Quoniam, quæ Aristoteles tractauit in Prædicamentis , & libro Perihermenias,& libro Priorum,omnia ordinãtur ad demonstrationem:non tamen sequitur,quod illi libri non sint partes logicæ, vel non contineant logicæ partes. potest enim vna pars ordinari ad alteram . & quod illa diuisio sit diminuta , potest ex Galeno probari, qui,volens in libro de partibus artis medicæ tractare de diuisione artis, statim in principio præposuit multas opiniones : & inter alias posuit hanc diuisionẽ, in salubrem,& curatiuam : & posteà in fine capitis de omnibus vniuersaliter inquit, quod earum aliquæ sunt diminutæ , aliquæ vero superfluæ : & sic hæc fuit reprehensa vel tanquàm superflua , quod non est credendum : vel tanquàm diminuta,& habemus intentum. Sed hæc ex nostra sententia reddentur clariora. Fuerunt etiam multi inter Galenicos probatissimi, qui, auctoritate Introductorij medicorum , quinque statuerunt medicæ artis partes : quarum prima tractat de elementis,de temperamentis,de naturalibus facultatibus, de anatomicis administrationibus,& de partium vsu , & hæc dicitur φυσιολογικόν, idest naturalis, quoniam tractat de his , quæ secundum naturam nobis insunt. Secundat tractat de conseruatione sanitatis,& dicitur ὑγιεινόν,idest salubris.Tertia loquitur de causis morborum, & ipsorum differentijs, & hæc habuit duo nomina,quorum vnum sumptum est à causis , & dicitur αἰτιολογικὸν idest sermo de causis; aliud sumptum est à morbis, & dicitur παθολογικὸν,

Cap. 40.
Cap. 1.

idest

idest sermo de morbis. Quarta loquitur de signis præsentium demonstratiuis, præteritorum rememoratiuis, & futurorum prognosticis, & dicitur σημειωτικὸν. Quinta loquitur de morborum curatione, & dicitur θεραπευτικὸν, idest curatiua. Et istarum partium sic explicant sufficientiam, & necessitatem: quoniam, nisi medicus nouerit, quomodo corpus, & eius partes naturaliter se habeant, non erit possibile exquisitè cognoscere, quomodo in morbis à suo statu euariauerint & quomodo possint ad naturalem habitum reuerti. Simili etiam ratione, nisi benè nouerit morborum origines, & causas, nullatenus potest imminentes morbos præcauere, nec præsentes, contrariorum remediorum adhibitione, curare: &, cum vtrunque istorum habeatur per signa, maxima, sinè dubio, erit signorum in hac arte vtilitas. Et hanc diuisionem omnes ferè sectati sunt. Sed, cum, meo iudicio, non sit ad Galeni mentem, ipsius auctoritate fretus, non vereor, ab aliorum sententia recedere. Videtur enim, quòd talis diuisio non sit acceptanda; quia non est facta per primas artis medicæ partes. patebit enim, ex nostra sententia, quòd physiologica, & ætiologica, siue pathologica, non sunt inter primas artis partes numerandæ: sed includuntur sub ipsa significatiua. & quoniam omnia ex nostra positione magis elucescent, eam in medium afferamus: & cum Galeno tenemus, quòd ars medica diuiditur in tres tantum partes, scilicet in significatiuam, curatiuam, & salubrem: quia, cum duos habeat modos consequendi suum finem, ipsam scilicet sanitatem, per conseruationem, & curationem: hinc duæ resultant partes maximæ principes, salubris, & curatiua, vt habemus primò de tuenda valetudine. Sed, quoniam nec sanitas seruari potest, nec morbus curari, nisi præcedat dignotio, & prænotio: ideo illas duas partes necessariò præcedit alia pars, quæ dicitur significatiua: & istæ tres partes medico in sua arte sufficiunt. Si enim bene dignouerit, & prænouerit, poterit etiam bene conseruare, & curare. *Cap. 1.* Et assignata diuisio est Galeni, qui libro de partibus artis medicę inquit, quòd significatiua de necessitate præcedit curatiuã, & salubrem, quamuis non sit eis æquiparanda, cum per illas assequamur finem: per significatiuam verò non: & ideo postea subiungit illas duas partes esse primas, & proximas: significatiua verò est pars, sine qua non, sed æquè prior, immo quodammodo superior, cum illas de necessitate præcedat. *Cap. 6.* Et, quia aliquis potuisset dicere, quòd in arte medica est etiam necessaria physiologica, idest, naturalium rerum cognitio, & ætiologica, quę de morbis, eorumque causis, & differentijs pertractat. Ad hoc respondens, *Loco alleg.* inquit, quòd istæ partes non debent dici primæ: non enim primò constituunt medicinam, quæ constat tantum ex illis tribus, sed illæ posteà faciunt ad significatiuæ perfectionem: & ideò illi parti debent anne-

cti. ad hoc enim, vt perfectè haberi possit dignotio, & prænotio, est necessaria, tum rerum naturalium, tum morborũ, & causarum cognitio. Sed, quia non deficient aliqui, qui, in hoc non consentientes, dicent librum illum de partibus artis medicæ non esse Galeni, sed esse spuriũ, & ideo non esse ei adhibendã fidem: Ad hæc dicimus, quod, quamuis aliqui dubitauerunt, vtrũ ille liber sit Galeni, hac ratione ducti, quia nunquam in suis operibus de eo mẽtionem fecit: tñ omnes in Galeni doctrina doctissimi tenuerunt, vel esse Galeni, vel eius doctrina dignũ; vt Leonicenus, Manardus, & alij: & Valeriola in libro tertio locorũ communiũ miratur de his, qui hunc librum suspectum habuerunt, & tenet, q sit absque dubio Galeni: immo ipsemet Montanus, qui, Galeni libros ordinando, ipsum inter spurios collocauit, in principio operis, apponendo libri censuram, dixit: Liber, qui, si non est Galeni, eo auctore est dignus. & sic auctoritas ex eo libro desumpta, cum sit adeò clarissima, deberet nobis sufficere. Sed, vt omnis remoueatur difficultas, est alius locus, in quo Galenus idem confirmat, & est in libro eius germano, & non suspecto, quoniam in libro de suffiguratione empirica, vbi Galenus disputat de artis medicæ partibus, & adducit opinionem illorum, qui dicebant dari in arte medica aliquas partes artis constitutiuas, aliquas vero finales, & constitutiuas dicebant esse obseruationem, historiam, & transitum ad similia: partes verò finales ponebant indicatiuam, salubrem, & curatiuam. Et posteà Galenus inquit, quòd illæ partes, quas vocabant constitutiuas, non debent dici partes artis, sed potius medici instrumenta, & actiones: quæ faciunt ad partium constitutionem, sed veræ artis medicæ partes sunt illæ tres, indicatiua, scilicet, salubris, & curatiua. inquit enim, ille animi habitus, quo medicus vel iudicare, vel curare, vel conseruare potest, merito pars medicinæ vocabitur. Abutantur igitur nominibus, vt voluerint: nos in tres partes medicinam secabimus, in indicatiuam, curatiuam, & salubrem. Hæc Galenus. & postea eodem loco partes illas subdiuidit, indicatiuam, in præsentium dignoscitiuãm, & futurorum prognosticam: curatiuam, in diæteticam, pharmaceuticam & chirurgicam: salubrem, in euecticã, idest boni habitus conseruatricem, in salubrem nomine generis, in prophilasticam, idest præseruatiuã, in analecticam, idest resumptiuam, & gerocomicam, quæ senum curam habet. Vt iam patere possit, illam diuisionem esse Galeni, & esse per primas artis medicæ partes, & potest etiam patere, quòd diuisio in salubrem, & curatiuam est diminuta, quoniam deficit indicatiua: sic etiã diuisionem Introductorij in quinque partes non esse per primas artis medicæ partes; quoniam hæ sunt tantum tres, & aliæ ad vnã istarum reducuntur. physiologica enim, & ætiologica sub significa-

Cap. 18.

Cap. 4.

ſignificatiua includuntur,quoniam faciunt ad eius perfectionem,& cõplementum.Sed adhuc aliquis contra iſtam determinationem inſurgeret:quia Galenus in libro de conſtitutione artis medicæ videtur innuere diuiſionem,in quinque partes: quoniam in omnibus illis videtur finẽ reſoluere. Ad hoc dicimus, erraſſe, qui exiſtimauerunt,quòd Galenus reſoluit finem, præterquàm in tribus illis partibus,ſignificatiua,ſcilicet, ſalubri,& curatiua: & hoc facit à capite duodecimo, vſque in finem:&, quoniam tunc erat in artis conſtitutione, quæ non poteſt fieri niſi ex finis reſolutione,& finis non poterat reſolui, niſi prius dignoſceretur: reſolutiua enim doctrina incipit à finis notione. Ideò in omnibus capitibus præcedentibus laborauit circa hoc,vt finis, ideſt ſanitas dignoſceretur:&,cum hoc non poſſit fieri ſine naturalium rerũ dignotione;& cauſarum,ac morborum notitia: contrariorum enim eadem eſt doctrina: Ideò multa de iſtis in medium adduxit,ex quibus, habita finis notione, incipit poſtea illum reſoluere in tribus illis partibus,vt benè conſideránti poterit facillimè patere. Et hinc mea ſententia ſolui poterit maxima difficultas.quoniam aliqui dubitant: ſi Galenus promiſit in principio libri artis Medicinalis, ſe traditurum eſſe totam artem medicam, per capita,& concluſiones: cur poſtea percurrit ſolum, quæ attinent ad partẽ ſignificatiuam,curatiuam, & ſalubrem; & nullam facit mentionem de rebus naturalibus? Nec valet, quod dicunt, quòd omnia poſſunt ad ea, quæ eo libro tractantur, reduci: & ſic volunt, quod in definiendo corpus,quando dixit,quòd eſt temperatum in ſimplicibus,poteſt ad illa reduci: quid ſit temperamentum,& quotuplex; quot etiam ſint elementa, & quæ: Sed hoc eſt ſatis à ratione remotum: quoniam hoc pacto tota logica,philoſophia naturalis,cæteræque ſcientiæ, & artes,& etiam Grámatica poſſent trahi ad hũc librũ:non enim ſic intellexit Galenus ſe tractaturum totam artem per capita, & concluſiones, ſed abſque demonſtratione aliqua,& nulla facta inuectiua, contra contrarium ſentientes, & ſic ad minus,relictis rationibus,erat coactus dicere,quot ſint elementa,quot temperamenta. ſic etiã de naturalibus facultatibus, & alijs multis,quæ eo libro fuerũt prætermiſſa.Sed ad difficultatẽ cum noſtra poſitione poteſt reſponderi, ꝙ Galenus ibi tractauit tantùm tres illas principes artis medicæ partes: &,quamuis ad hoc,vt perficiatur,& conſtituatur pars ſignificatiua, ſint neceſſaria alia multa: tamen in eo libro ars nõ conſtituitur, ſed conſtituta docetur: & ſic ponitur ſignificatiua tanquã conſtituta,& probata:& hac ratione nõ oportuit ad illa ſe intromittere, quæ faciebant ad ſignificatiuæ perfectionem,& complementũ.quod poteſt exemplis explanari.In libro enim artis medicinalis ſcriptũ reliquit, ꝙ ex actione læſa,affectus,& pars affecta dignoſcatur, & magis particu-

lariter, ꝙ cerebri affectus, ex dementiæ speciebus, & ex læsione in sensu, & motu : ꝙ aũt cerebrum sit harum actionũ cã, in illo libro supponitur probatũ. alibi enim illius partis naturã, structurã, actiones, & vsus explicauit. & hæc oĩa faciebant ad constitutionẽ, & perfectionẽ partis significatiuæ, quæ nunq̃ potuisset perfici, si, quæ sunt ſm naturam, artifici fuissent ignota. Sic ẽt de affectibus cordis, vẽtriculi, & aliarũ partiũ, breuiter in eo libro exprimitur, ex quibus signis dignoscãtur. Sed illa fuerũt alibi habita prius, eorũ, quæ partibus natura insunt, & actionum ipsarũ, ac vsuum, cognitione, demonstrata. Sufficiebat enim eo libro, vt sibi prępo suerat, explicare ea, quæ erant veluti capita, & conclusiones eorũ, quę in particularibus libris fusius declarauerat. Et, qui vult omniũ ad plenũ habere notitiã, põt ad libros illos confugere. Sed adhuc aliquis instaret cõtra totã diuisionẽ, qm̃ Galenus primo de rõne victus in acutis, decimo methodi, & libro de Medica officina, & decimoseptimo de vsu partium, vult, ꝙ oĩa quæ tractantur in hac arte, reducuntur ad dignotionẽ, prænotionẽ, & curationẽ: ergo dignotio, prænotio, & curatio sunt partes artis medicæ, & nõ alię. Ideò Altimarus, magister meus, & Christophorus Vega tenuerunt, qđ medicina diuiditur in illas tres partes. Sed ad hæc dicimus, quòd ea, quæ ad ipsorum sententiam probandã adducũt, non sunt contra nos, sed potius confirmant nostrã opinionem, si benè consideramus Galeni loca. Sed ipsi malè collegerunt, quòd dignotio, prænotio, & curatio sint primæ artis medicæ partes. qm̃ curatio vel accipitur ꝓpriè, vt contra distinguitur ad conseruationem, & tunc dicimus, quòd in dictis locis loquitur solum de parte curatiua, quæ propriè apud antiquos dicebatur medicina: fuit enim prius inuenta, & posteà maiori otio fuit ei annexa conseruatiua vt auctoritate Platonis inquit Galenus libro ad Thrasybulum : & sic iuxta nostram positionem duæ partes sufficiunt, curatiua, & significatiua, & hæc posteà diuiditur in præsentium dignoscitiuam, & futurorum prognosticam, vt prius ex Galeno probatum est. Quò ergo ad partem curatiuam, omnia, quæ tractantur in arte medica, spectant ad dignotionem, & prænotionem, quæ diuidunt significatiuã, & ad curationem. Sic etiam possumus dicere, quòd omnia, quæ tractantur in arte, quo ad partem conseruatiuam, reducuntur ad dignotionem prænotionẽ, & conseruationem: & sic ad significatiuã, & salubrẽ. Si verò curationis nomẽ accipiatur largius, pro oĩ scilicet correctione, ita, vt includat sub se ẽt conseruationem: verũ erit, quod oĩa, quę tractãtur in arte, spectãt ad dignotionẽ, & prænotionẽ, quę diuidũt partẽ significatiuã, & ad curationẽ largo modo dictã, q̃ includit sub se curatiuã, & salubrẽ. Et, quod curatio largo modo sumpta possit oĩa hæc includere, patet ex tertio artis medicinalis. Sed, cũ nos ĩquiramus primas artis medicæ partes,

Cõmen. 3.
Cap. 6.
Cõmen. 1.
Cap. vlt.
Tex. 25.

tes,hęc diuiſio nõ debet laudari: tũ quia dignotio,& prænotio,non ſunt primæ partes,ſed primã partẽ diuidunt,tum ẽt,quia vel deficit vna pars præcipua,ipſa ſcilicet ſalubris,ſi curatio propriè ſumitur;vel ſumẽdo curationis nomen ſatis largè,a Galeni ſnĩa eſt quodãmodo aliena,qui primas,& pręcipuas artis medicę partes ponebat,cũratiuã,& ſalubrẽ,ob diuerſũ modũ,quẽ habent circa finis conſtitutionẽ.Et ideò,cũ loca ab iſtis adducta faciãt ad eorũ, q̃ concluſimus,confirmationẽ,bona fronte concludimus,ꝙ tres sũt medicinæ partes,ſignificatiua,curatiua,& ſalubris.

Sed iã tempus eſt,vt ad ea, quæ huic libro peculiaria ſunt, deſcendamus.& ante oĩa dicimus,auctorẽ libri Aphoriſmorũ magnũ fuiſſe Hippocratem:& in hoc,teſte Oribaſio,nullus Græcorũ dubitauit. quod etiã colligere licet,ex Galeno tertio de ſpirandi difficultate:& dixi fuiſſe magnũ Hippocratem,ad differentiã aliorũ.magnus enim Hippocrates,Heraclidæ filius,habuit auum, qui etiã dicebatur Hippocrates,& erat Gnoſidis filius,qui fuit ẽt excellens medicus,&, iuxta aliquorũ ſnĩam, nihil ſcripſit:aliqui verò tenẽt ipſius eſſe libros de fracturis, & de articulis,vt aſſerit Galenus primo de rõne victus in acutis. fuit ẽt Tertius Hippocrates,magni Hippocratis nepos qui fuit Theſſali filius,&,teſte Galeno ſexto Epidemion Cõmen. I. iſte,iuxta Dioſcoridis ſnĩam,fuit ille,qui cõpoſuit librum de morbis.Aphoriſmi ergo ſunt magni Hippocratis,de quo ſufficiat ſcire,ꝙ cũ Galenus coluerit vt Deũ: & primo de rõne victus in acutis teſtatus eſt, eum in vnoquoq; opere agendo ſtatuiſſe propriũ ſcopũ,ita,vt huic attentus oĩno,quiſpiã definitã,certamq; inuentionis auxiliorũ habeat viam:& ſeptimo methodi dixit,eũ omniũ bonorũ fructuũ ſemina præbuiſſe.Et de eo dicebat Cõciliator, ꝙ reperitur in quibuſdã problematibus Ariſtoteli aſcriptis, ꝙ, cũ Deus,& natura miſerti eſſent hominũ,miſerũt Hippocratẽ tanq̃ nõ peccantẽ, & qui medicinã cõſtituere t.Cuius inſtitutũ,in cõficiendo hũc librũ,fuit,in quodã veluti enchiridio, & cõpendio breuiſſimè totã artẽ includere. Sed hoc ex expoſitione primi Aphoriſmi erit clarius.Quare verò inſcripſit librũ titulo Aphoriſmorum,facilius patere poterit,ſi prius ſcierimus,quid ſignificet hæc dictio Aphoriſmus.& iuxta multorũ ſnĩam ſignificat idẽ,ꝙ Sermo ſeparatus.Cuius opinionis fuerũt barbari.& ideò Auerroes pluries ĩ libris Colliget,citãdo hũc librũ,inquit,Vt dixit Hippocrates ĩ libro ſeparatorũ ſermonũ.Idẽ reperit apud Meſuẽ in libro de cõſolatione medicinarũ : quã opinionẽ ſectati sũt multi Latini,vt Zimara,& alij:& iuxta iſtorũ ſnĩam aliqui dicunt,ꝙ, cũ Aphoriſmi ſint ſnĩę conciſæ,& adeò perfectæ,vt vna ab altera non dependat:librũ tales ſententias includentẽ,librum Aphoriſmorum inſcripſit. Quam poſitionem multi Galenici in dubium reuocarunt:aſſerentes,quòd ratio Aphoriſmi nõ conſiſtit in hoc,vt vna ſen-

De libri auctore.

Cap. I.

Cõmen. 18.

Cõmen. 29

Cõmen. 4.

Cap. 2.

De libri inſcriptione.

tentia sit ab altera separata: qm̄ multi aphorismi adinuicem quã optimè continuantur, vt in primo libro, qui sunt de victus ratione à quarto vsq; ad vigesimũ: & Galenus in Commento primi aphorismi, definiens doctrinam aphoristicam, dixit, aphoristicã doctrinam esse, quæ oẽs rei proprietates quã breuissimis verbis circumscribit: & sic in sermonis breuitate, & sententiæ perfectione aphorismi rationem, & non in separatiõne consistere innuit. Philotheus etiã, Græcus expositor, & proprij idiomatis nõ ignarus, sic Aphorismum definit: Aphorismus est oratio breuis, perfectam sententiam, neq; pluribus, neq; paucioribus, quàm opus sit, verbis explicans: vel, vt subiungit, Aphorismus est oratio, quo ad verba quidem attinet, obscura: multis tamen sententijs referta. Et sic, iuxta istorũ sententiã, potius in breuitate sermonis, quã in separatione, Aphorismi ratio consistit. quod nos possumus ex multis Galeni locis comprobare: etenim primo Aphorismorũ, exponens illũ Aphorismum, Qui crescũt, plurimũ habent calidi innati, multa dixit, quæ poterãt videri adeò necessaria in illo loco, vt facilè aliquis posset arbitrari, aphorismũ esse diminutũ. ideo, Hippocratem excusans, subiungit: Cum Hippocrates proposuisset compendiosam, & aphoristicã doctrinã tradere, non ita sermonem ampliauit. Et secundo Aphorismorũ, in expositione illius aphorismi, Febricitãtium non omnino leuiter, inquit, Melius quidẽ erat, si hoc, quod ait plusquàm ratio expostulat, quibus finibus iudicetur aperuisset sed, quia doctrinæ modus est aphoristicus, summã sequens breuitatem, subiungit, se additurũ, quæ ad intellectũ erãt necessaria. & quarto Aphorismorũ, vbi dicebat Hippocrates, excretiones in febribus non intermittentibus, liuidæ, cruentæ, fetidæ, & biliosæ, omnes malæ, inquit Galenus in Commẽto, Forte conueniens fuerat aphoristicæ doctrinæ dici cõpendiosius. Et libro quinto, exponens aphorismũ, hac dare caput dolẽtibus, & febricitantibus malũ, dixit: Miror, qũo, in quibus lac dare iubet, ascripsit: si nullum ex supradictis signis affuerit, quod fuit a breuitate aphoristica alienum. Et quarto de ratione victus in acutis, exponens pulcherrimã illã, & satis prægnantem sententiã, in acutis morbis sanguinẽ detrahes, si vehemens morbus videatur, florueritq; ægrotantis ætas, & viriũ affuerit robur. inquit: Sermo hic nimirũ Hippocrate est dignus: subitq; mihi in admirationem, ꝙ inter aphorismos eum non scripsit, cũ in paucis verbis vis magna comperiatur: quod aphorismis vsu venire solet. Ex quibus omnibus, & alijs, quæ adduci possent, patere põt, ꝙ Galenus voluerit rationẽ aphorismi potius consistere in breuitate sermonis multa includẽtis, quàm in distinctione, & separatione. Sed, quãuis hoc sit verissimum: tñ non oĩno consentio cũ modernis, qui volũt, ꝙ aphorismus solũ breuitatẽ, & sñiarum copiã, & nullo pacto separationẽ simul includat:

Cõmen. 14.

Cõmen. 28.

Cõmen. 47.

Cõmen. 64.

Cõmen. 19.

quoniam

quoniam huius oppositũ fatetur Philotheus, qui statim, assignata aphorismi definitione, subiungit, qua de causa dictus est Aphorismus? & respondet: quoniam in eo circumscribitur sententia, neque illum habet commercium cum his, quæ eam vel antecedere, vel subsequi possent. volens per hæc, quòd sunt sententiæ completæ, & vna alia non indiget. dictus est enim aphorismus à verbo ἀφορίζω, quod significat, distinguo, & concisè, ac breuiter dico: & ideo dicebat Budæus in suis Commentarijs, quod Aphorismus inter alia significat dictum sententiosum: &, secundum aliquos, ἀφορίζω, inter alia significat expurgo. Et hæc omnia mira quadam breuitate inscriptio significat, scilicet, quòd in hoc libro tractentur dicta sententiosa, & sententiæ quædam breues, distinctæ, & ab omni superfluo expurgatæ. Et sic etiam, ex huius inscriptionis inuentione patere potest, quam laudandus sit antiquus noster Magister Hippocrates. Et, si aliqui instarent, ratione à modernis adducta, quòd nullo pacto Aphorismus potest significare separationem: quia tunc nunquam vnus aphorismus posset cum alio ordinari: & tamen videmus aliquos, qui optimè inter se ordinantur: Ad hoc responderem, quòd quamuis aii qui aphorismi inter se continuentur, tamē nō potest negari, quod vnusquisque aphorismorum continet sententiam perfectissimam: &, si continuantur, illud non accidit illis, vt sunt aphorismi: sed quatenus de eadem materia pertractant. Et hæc de inscriptione. Ex quibus potest etiā patere inscriptionis causa: quoniam, vt inquit Galenus in expositione primi aphorismi, videns Hippocrates, quòd vita nostra est breuis, artis comparatione: ita, vt nemo posset simul eam inuenire, & perficere: operæ pretium existimauit, posteris relinquere commentationes, quæ diligenter, citò, & sermone dilucido rerum docendarum naturam interpretentur, & talis est doctrina aphoristica, quæ, & ad primam disciplinam, & ad memoriam est vtilissima. Diuiditur vero liber Aphorismorum à Græcis expositoribus varijs modis, vt in sua expositione inquit Oribasius: quoniam Soranus hunc librum diuisit in tres partes, Ruffus in quatuor. Et Galenus, quem in omnibus sectamur, librum diuisit in septem particulas: quamuis à Brasauola Ferrariensi, fuerit postea addita particula octaua. sed, quia parum refert, si in plures, vel pauciores diuidatur: ideo inutilia resecantes, ad libri ordinē accedamus. & in hoc cōsideremus primo, quē locū inter libros Hippocratis obtinere debeat, quóue loco legi debeat, vtrū scilicet sit preponendus, vel postponendus. Secundò considerabimus, vtrum aphorismi habeant aliquem ordinem inter se. Et circa primum, existimarunt multi, hunc librum, ac si esset introductorius, esse omnibus alijs præponendum, Galenus enim in commento primi aphorismi, adducens positionem illorum qui dicebant,

De diuisione.

Quo ordine legi debeat

ideò Hippocratem in principio dixisse, vitam esse breuem, & artem longam, vt tentaret eos, qui artem medicam essent exercitaturi, si essent apti ad artem adeò difficilem capessendam, inter alia asserit, quòd, qui vellent tutari hāc positionē, dicere possent, librū aphorismorū esse omnibus alijs libris Hippocratis præponendum: & ideò in procemio comunem fecit de vniuersa arte sermonem, volens per illum ostendere, non quencunque esse aptum ad hanc artem addiscendam, sed illos solum, quibus multum suppetat otium, & sunt natura sagaces: & subiungit, quòd, qui dicunt hoc, probabiliter loqui videntur. Sed, quid ipse de hoc senserit, infrà dicemus. Oribasius verò inquit, quòd liber iste alio ordine locari debet, respectu iuniorum: alio, respectu doctorum, quoniam docti debent eum vltimo loco legere, vt omnia, quæ in alijs libris habuerunt, hic commemorare possint. iuniores verò hunc legere debent post librum sacramenti, & librum præceptorum Hippocratis, & sic debet legi tertio loco. Sed ego teneo, quòd absque dubio, hic liber non debet antè alios artis medicæ libros collocari. Quoniam, cum Hippocrates nullibi artē medicam perfectè tradiderit, dicebat Galenus quarto aphorismorum, Nemo debet ad Hippocratem accedere, nisi prius totam artem perdiscat: & clarius sexto methodi, Nemo ad Hippocratis scripta accedat, nisi omnes meos anteà legerit libros. Hipocrates. n. tantum artis seminaria tradidit, & Galenus postea perfecit. & ideò liber iste legi debet post omnes Galeni libros: & inter libros Hippocratis, debet etiam vltimo loco collocari, quia in eo per compendium, & breuissimis sententijs traditur ars tota: qui modus non est tironibus, qui nūc artem aggrediuntur, conueniens vt habemus quarto de differentijs pulsuum: debet enim tironibus id, quod tractatur, exponi fuso sermone, & longa explanatione & cū id, quod traditur, fuerit intellectum, tunc ad limitatam quandam, & breuem orationem est reducendum: & ideò, cum liber aphorismorum habeat breuitatem, & obscuritatem maximam: nulla ratione ex sui natura debet alijs præponi. Et, si videmus contrarium obseruari: (consuetum enim est, legi in publiics studijs, & tironibus præponi) hoc factum est non sine forti ratione: quoniam, cum viderint maiores, artem medicam fuisse in multis, & ferè innumeris libris traditam, & erat impossibile, vt illi omnes à præceptoribus exponerentur: consonum existimarunt, ad aliquos libros confugere, in quibus tota, vel ferè tota ars contineretur: & hac ratione leguntur Aphorismi, & liber artis medicinalis. Et, quamuis, ratione difficultatis, & obscuritatis, aliter fuisset faciendum: quia illud erat ferè impossibile, & libri isti tironibus præponuntur, non vt proprijs viribus addiscantur, sed præceptorum auxilio: hac de causa, paruū illud obscuritatis incommodum multis commodis superatum spernentes,

Cōmen 71.

Cap. 4.

Cap. 2

tes, de præceptorum doctrina confisi, illum ordinem in studijs introdu xerunt. Præceptores enim possunt breuia, & obscura, dilatando reddere clariora, & quę sunt veluti conclusiones ex suis principijs deducere, &, vt breuiter dicam, in eorum, quæ hic continentur, explanatione, omnia in alijs libris fusissime tradita, ad has sententias, tanquam ad quædã principia, deducere. Vt hinc etiam liceat colligere, quale debeat esse eorũ, qui in studijs publicis hanc artem profitentur, officium: quoniam non debent se circa inutilia intromittere, sed quæ ad eorum, quæ hic dicuntur, intelligenda sunt necessaria ex alijs locis deducere, & hoc modo, quę sunt obscura, reddere clariora. Cum enim ars sit longa, & vita nostra breuis, debemus (teste Galeno sexto simplicium) incedere per viam compẽdiosissimam, resecando inutilia, & tractando solum ea, quæ sunt in arte vtillima. Et sic, quò ad præpositum caput, dicimus quòd, cum liber aphorismorum sit breuissimus & potius ad memoriam eorum, q̃ quis prius didicerit, quã ad introductionẽ comparatus, debet alijs etiam Hippocratis postponi: quamuis in studijs publicis non ex sui natura, sed ob prædictas causas tironibus prę ponatur. Et, si quispiam instaret, quia Galenus inquit, quòd, qui dicunt hunc librum esse omnibus præponendum, probabiliter loquuntur: & sic potest alijs ex sui natura prę poni: Dicimus, ꝗ Galenus eo loco non loquitur assertiue: posteà enim confutat eorum sententiam; & inquit, quod dicunt, non esse verum: quia procemium totius artis, non hic, sed in libro cataitrion, idest de his, quæ in medicatrina fiunt, fuit præpositum. Et, stando in dictis, liceret etiam dicere, quòd, si à Galeno innuitur aliquo modo posse præponi, est, intelligendũ posse præponi, non ab ipsis tironibus intelligendus, sed ab alijs explicandus, vt prius dictum est. Sed videamus, an inter aphorismos aliquis ordo reperiatur. quod fuit secundo loco præpositum. Quoniam, vt inquit Oribasius, aliqui existimauerunt, quòd omnes habent inter se ordinem: & nos, ne circa hoc tempus teramus, ratione, & auctoritatibus facilè possumus conuincere, in aphorismis nullũ esse necessarium ordinem. & ratio erit ex sufficienti partium enumeratione. Cum enim tres tantum sint doctrinæ ordini inhærentes, quarum prima (teste Galeno) oritur ex notione finis, & fit per resolutionem, inquirendo, quę precedunt ipsum finem, vsq; ad prima principia: & est doctrina resolutiua: Secunda contrario modo procedẽs, incipit ab eo, quod fuit vltimum in resolutione, & per eadem media contrario modo percurrens, ad id, quod erat primum in resolutione desinit: & est doctrina compositiua: Tertia est, quæ proponit definitionem, deinde eam diuidit in partes & particulas, vsque ad minimas, & singulas explicat: & dicitur doctrina definitiua. Et, cum non sint plures, quam istæ tres, quæ habent ordinem essentialem, & nulla istarum po

Cap. I.

Vtrum inter aphorismos sit or.

test aphorismis accõmodari: sequitur, quòd aphorismi nullũ habeat inter se ordinem essentialem, & necessarium: & dixi, Necessarium, & essentialem, quoniam talis non potest reperiri, nisi in illis tribus doctrinis. Sed non est inconueniens, quòd vltra illos reperiantur aliqui ordines ac. accidentales, vt est ille, quem multi medici seruarunt, qui, tractantes de affectibus particularibus totius corporis, incipiunt à capite, & ordine partium procedentes, descendunt vsque ad pedes, & accidentali ordine, quadam veluti concatenatione: quandoque aphorismos inter se ordinari videbimus: sed quandoque etiam accidentalis ordo in ipsis deficit: & propter hoc multoties Galenus exclamat, desiderans hunc ordinem in aphorismis, vt licet videre libro secundo, & libro tertio aphorismorum. & hoc posset ex multis alijs locis comprobari. sed hæc pro nunc sufficiant. Et si aliquis diceret: ergo Hippocrates, qui tot laudibus fuit à Galeno insignitus vt, eum, superasse non solum medicos, sed etiam philosophos, pluribus in locis asseruerit, debet hac nota deturpari, vt inordinatus dici valeat. Ad hoc respondet Galenus tertio aphorismorum, & secundo de ratione victus in acutis, & inquit, quòd non est mirum, si Hippocrates his, quæ dixit, ordinem non dedit: fuit enim primus inuentor, & primi non possunt esse complementum: nemo enim potest simul inuenire, & perficere, vt habemus in hocmet libro, & ideò dicebat septimo Methodi: Hippocrates, omnium salutarium præceptorum semina præbuit, postulant autem, quæ reliquit, non malos agricolas, qui tum seminent, tum augeant, tum perficiant: quoniam, quamuis capita omnium eorum, quæ ad artem medicam faciunt, tetigerit, tamen adeò erant obscura, quòd hucusque eius doctrina sopita, & occulta esset, nisi eam Galenus explanasset: &, quod deficiebat addendo ad absolutionem adduxisset: & ideò, dans rationem, quare libros Methodi scripsit, si omnis medicationis viam Hippocrates ante ipsum aperuisset, inquit: Quamuis Hippocrates totius medicationis viam aperuisse videtur: ita tamen hoc fecit, vt ad absolutionem, & perfectionem cura, & diligentia indigeat. Cum nanque esset primus inuentor, his, quæ dixit, non dedit ordinem: indicationum dignitatem non exposuit, multas discretiones prętermisit, & pro antiqua dicendi breuitate multa obscurissimè interpretatus est. vltra quod complicatorum affectuum paucissima omnino præcepit. & propterea subiungit, idem faciendum esse in libris Hippocratis, quod Traianus imperator fecit in vijs Italiæ: quę quidem omnes aderant, sed inter eas, aliquæ erant lutosæ, aliquę senticosæ, aliquæ asperę, aliquæ feris obsessæ, aliquæ fluminibus impeditę, ipse vero omnes perfecit: quę lutosæ erant, lapidibus sternens, & quando oportebat aggestionibus subactis ipsas eleuans: quæ senticosæ erant, expurgans: quæ montuosæ erant, per

Cõment. 8. & 12. & 31. & 3. aph. cõmen 103.

Cõmen. 16.

Cõmen. 36.

Cõment. 1. Cap. 2.

9. meth. 8.

per loca plana deducens: quæ erant longæ, alias excidendo breuiores reddens: quæ fluminibus impeditæ, pontibus iungens. Idem oportuit facere Galenũ in doctrina Hippocratis, & ideò dicebat sexto Methodi: Ego nanque non eo consilio, vt nemo Hippocratis libros legat, ad hoc opus scribendum accessi, verum quoniam is mihi primus idonea vsus esse via videtur, nec tamen eam totam compleuisse: cum quædam minimè limitata, quædam imperfecta, obscuraque ab eo prodita, inuenire liceat: idcirco tum omnia ea lucidè explicare, tum quæ parum discreta sunt distinguere, tum quæ deficiunt supplere studui: & eodem libro post aliqua alia addit quædam, quæ demonstrant, quantum Galeni doctrina ad viam ab Hippocrate inuentam, sed tantum inchoatam, & non perfectam, adiumenti, & luciditatis, ac perfectionis attulerit. conatus est enim semper eius dicta explicare, ad bonum sensum ducere, & semper in ordinatis, dans ordinem, & quæ deficiebant adiungens. & vè Hippocrati, si non superuenisset Galenus. & maxima eius debet existimari felicitas, quòd talem habuerit expositorem.

APHORISMVS PRIMVS

Vita breuis, ars verò longa, occasio præceps, experimentum periculosum, iudicium difficile. Nec solum seipsum præstare oportet opportuna facientem, sed & ægrum, & assidentes, & exteriora.

DVBIVM fuit inter expositores, vtrum tota hæc oratio, vnus sit aphorismus, vel duo. &, vt inquit Galenus, fuerunt aliqui, qui existimauerunt, esse duos. quorum sententiam etiam post Galeni tẽpora aliqui sectati sunt, vt Oribasius, qui dictum sermonem diuisit in duos aphorismos. Sed, cum omnes conueniant, quòd tota hæc oratio, siue vnus sit aphorismus, siue duo, est totius operis procœmium, & parum refert quòd sit vnus, vel in duos aphorismos diuidatur: Galenũ sequentes, totã hanc orationẽ, ac si vnus esset aphorismus simul, exponemus. Accedit ad hoc, ꝙ, mea sententia, Hippocrates in vltima orationis parte non recedit, vt infra patebit, ab eo, qđ in prima parte proposuerat. Sed, cũ oratio hæc procœmiũ contineat, maxima fuit controuersia, quid sibi voluerit, tale proponens procœmium; & aliqui (teste Galeno in Commento) dixerunt, quòd tale procœmium proposuit, gratia exhortandi homines ad artem nauiter exercendam: aliqui econtra, causa dehortandi: aliqui verò, vt experiretur, qui essent artem diligenter exercitaturi, & qui secus: aliqui inquiunt, hoc fecisse, vt redderet causam, quare scripserit Commentationes: aliqui addunt aphoristicas: sunt quidam, qui dixerunt hoc fecisse, vt explicaret, quot ex causis contingit, medicum suo fine frustrari; & denique aliqui aiunt hoc fecisse, vt redderet causam, propter quam hæc ars est coniecturalis. Nos autem, vt optimè Hippocratis mentem percipiamus, ante omnia singula verba cum Galeno ponderabimus. sic enim eius mentem facilius assequemur. Sed

ante

ante omnia aphorismum diuidamus, & eius intelligentiam, crassa, vt aiunt, Minerua, præponamus. Diuiditur aphorismus in duas partes, in quarum prima docet Hippocrates, vitam nostram esse breuem, artis medicæ comparatione, quæ est longa: tum quia occasio agendorum est admodum præceps, & momentanea: tum quia experientia est satis periculosa, & fallax: tum, & tertio, quia iudicium est admodum difficile. In secunda verò parte, iuxta Galeni sententiam, Hippocrates dat quoddam veluti cõsilium, inquiens, Nec solum seipsum præstare oportet: de quo posteà loquemur. & ad primam partem reuertamur, quæ adhuc subdiuiditur in duas partes, quoniam primò ponit aphorismum, secundò subiungit causam aphorismi. Aphorismus est iste, Vita breuis, ars verò longa: cætera postea, quæ sequuntur, declarant causam aphorismi, quare scilicet ars sit longa. Sed, antequàm vlterius progrediamur, est notandum, quòd, cum aphorismus sit oratio quædam breuis, quandoque profertur sine ratione, & est, quando vel supponitur, vel est admodum clara; quandoque verò profertur cum ratione, & tunc quandoque ratio præponitur aphorismo, vt habebimus in duobus aphorismis sequentibus; quandoque verò postponitur, vt in hoc aphorismo: prius enim ponitur aphorismus, Vita breuis, & ars longa: deinde sequẽtibus verbis dat causam aphorismi. Sed iã singula verba ponderemus. Vita, teste Philotheo, solet vsurpari quinque modis. capitur enim primo, pro loco, in quo animalia degunt, pro vitæ studio, pro ligamẽto nuptiarum, pro moribus, & vltimo sumitur pro toto illo tẽpore, quo viuimus, inspiramus, & respiramus: & sic definitur ab Aristotele, vitam esse mansionem calidi in humido. & hoc pacto sumitur hic; & hæc vita est breuis in se, teste Hesiodo, & confirmante Dauide in Psalmis: vbi, loquendo de homine, asserit, Vita illius septuaginta anni, in potentatibus autem octuaginta, amplius autem labor, & dolor: siue locum intelligas, quòd totum illud tempus, quo aliqui solent viuere post annos septuaginta; & in potentatibus, & optimè constitutis octuaginta; totum dico, quod superest, est labor, & dolor: siue, & forsitan melius, intelligas, quod vita nostra non est nisi septuaginta annorum, vel octuaginta, amplius labor, & dolor: idest & totum istud tempus vltra, quod est breue, habet hanc infelicitatem, quòd nihil aliud est, quàm labor, & dolor. Sed hæc obiter sint dicta. Et, vltra quod vita nostra est breuis in se, multo breuior reperitur, facta ad artem medicam collatione, cuius ratione ipsam esse breuem pronuntiauit Hippocrates. quod erit clarum, si prius demonstrauerimus, quam longa sit ipsa ars. Sed, quoniam ars aliquando capitur pro habitu ipsius artis: quandoque verò pro vsu, & exercitio, vt licet colligere ex Aristotele libro secũdo Magnorum

Lib. de respiratione.

Cap. 10. rum moralium: sunt enim multi, qui habent artis habitum, & tamen nō habent ipsius vsum, vt aiunt de Auerroe, qui artis medicæ habitum, & methodum vniuersalem callebat, & tamen eam artem nunquàm exercuit. Sic, & in musica, & alijs facultatibus multi sunt, qui quo ad habitū artem callent, & nunquam in ea fuerunt exercitati: econtra sunt multi, qui ignorant artem, quo ad ipsius habitum, & methodum vniuersalem, & tamen habent vsum ipsius artis, vt empirici in arte medica, & citharœdi, & cantores multi, qui illarum artium vsum, & exercitium habet, & methodum, ac rationem vniuersalem artis ignorant. Hac facta distinctione, emergit hinc dubitatio: quid per Artem intellexit Hippocrates, vtrum methodum illam vniuersalem, vel potius vsum, & exercitium in particularibus: non methodum vniuersalem, quia Galenus nono de placitis inquit, quòd quælibet ars, quoad methodum vniuersalem, vno anno, vel paulo plus addisci potest: sed, quoad vsum, & exercitium artis, vix totius vitæ curriculum sufficit. & sic, cum aphorismus non possit intelligi de habitu, videtur, quòd deberet intelligi de vsu artis. hic enim est difficillimus. & eius ratione ars redditur longa. Et hac ratione aliqui sumpserunt occasionem reprehendendi Galenum, qui in Commento, aphorismum exposuit de artis inuentione, & hic de artis habitu, & non de ipsius vsu. Sed isti nihil dicunt, quoniam ars perfecta, nec in sola vniuersali methodo, nec in sola exercitatione consistit: quoniam hæc (teste Galeno nono methodi, & octauo de compositione medicamentorū per loca) sunt veluti duo crura, quorum si alterum deficit, claudicabit. sic etiam nono de placitis post prædicta verba, subiungit: ad perfectū artificem neutrum sufficere, sed vtrunque de necessitate requiri: &, si ad perfectum artificem ambo requiruntur: ergo etiam ad perfectam artem. ars enim facit artificem. Et quoniam per artem hic Hippocrates intelligit artem perfectā: hanc asserit esse longam, cum sit difficilis, tum quo ad vniuersalem methodum, tum quo ad particularem exercitationem: & hoc innuebat Galenus, asserens, ponendo prœmij causam: cum impossibile sit, eundem hominem inuenire simul, & perficere: bonum fuit posteritati relinquere commentationes. Nec valet, quod dicunt: Galenus exposuit aphorismū quo ad artis inuentionē: ergo intelligit de sola methodo vniuersali: qm̄ methodus vniuersalis nō pōt haberi sine exercitatione, in particularibus: qm̄ ars in vniuersali, consistit (teste Aristotele in prœmio Methaphysices) ex multis experimentis, experimentū vero est ex multis particularibus de eadem re, pluries repetita memoria: &, si bene consideras, quæ Galenus inquit primo de arte curatiua ad Glauconem ad hoc, vt medicus sit perfectus artifex, & per consequens habeat artem perfectam, non solum debet scire, quid sit agendum, & quomodo

Quid per artē intellexit.

Cap. 2.

Cap. 1.

do est agendum, quę duo ex vniuersalium cognitione possunt haberi: sed oportet etiam scire, quando, & quātum est agendum, quæ non possunt haberi sinè particularium consideratione. *Occasio præceps.* Præposito aphorismo, quòd scilicet ars sit longa, si ad vitam nostram conferatur, subiungit causas, propter quas ars est lōga, & sunt tres; prima, quia occasio agendorum est præceps; secunda, quia experimentum est periculosum; tertia, quia iudicium est difficile. Et, quo ad primam causam, est animaduertendum, quòd in Græco codice est, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς & significat tempus opportunum, siue occasionem: & ideò male antiquus interpres vertit, Tempus acutū, debebat enim adminus dicere, Tempus opportunum acutum ὀξὺς, enim potest significare præceps, volucre, & etiam acutum, intelligendo per acutum idem, quod consistens in puncto. occasio igitur eorum, quæ fieri debent in arte medica, est præceps, & volucris: adeòquod, si semel effugerit, impossibile sit eam quandoq; recuperare. &, teste Galeno in cōmento, occasio est præceps propter subiecti transmutabilitatem. cum enim corpus nostrum ab externis, & internis causis continuè alteretur, & iuxta diuersas alterationes, diuersa requirat auxilia, accidit, quòd occasio eorum, quæ in arte fieri debent, sit præceps: quod enim in vno tempore conuenit, in alio multoties prohibetur. & ideò Hippocrates, scribens ad Crateuā, dicebat, In omni arte, aliena est procrastinatio, potissimum in arte medica, in qua prætermissio, est vitæ periculum. Est igitur occasio agendorum præceps, ob continuam humani corporis mutationem: quod est subiectum in arte. vt idem nobis accidat, quod inquit Oribasius accidere ei, qui digitum in fluuium deponit: qui, si eum eleuat, & iterum deponit, non tangit eandem aquam. & hinc originem duxit illud Damasceni dictum famosum quòd non est eadem sanitas in sero, & in mane: & non solum ob subiecti transmutabilitatem, sed etiam ob ipsiusmet occasionis imperceptibilitatem. *Occasio est præceps*: cum sit momentanea, & citissimè pertranseat. vt in huius loci expositione inquit Philotheus; & Galenus etiam videtur innuere. Quoniam, cum satis in momentaneo tempore cōsistat, ne eorum, quę facienda sunt, prætereat occasio: requiritur ad hoc peragendum homo acris ingenij, & in arte exercitatissimus. sic enim sciet, quando oportet occasionem eligere. cuius ratione nō immerito ars redditur longa, & maximè, quia (teste Galeno primo de arte curatiua) occasio agendorum est omnium, quæ sunt in arte medica, difficillima. dicebat enim Philotheus, difficile est, etiam si innotescat, quod remedij genus debet adhiberi, cognoscere, quo morbi tempore, & qua hora, illo vti debemus. multoties enim cogitur medicus, ab inuento auxilio abstinere, vt si æger indiget tali, ac tanto nutrimento, & medicus iam sit para- *Cap. 1.*

tus

tus exhibere; si superuenit accessio à cibo, abstinet: quoniam cibandi occasio præterijt. Sed, quod dicitur, de occasione, est intelligendum præcipuè, in curatione, & maximè, acutorum morborum, in quibus agendorum occasio satis in momento consistit: vt, qui eam sciuerit benè eligere, optimus medicus existimetur: dicebat enim Hippocrates primo de ratione victus in acutis: maximè illum medicum laudauero, qui in morbis acutis, vi quorum plurimi pereunt, secus, quam cæteri, se habeat. Non sic autem præceps est occasio in conseruatione, in qua licet paulatim, quæ oportet, administrare, incipiendo à tutissimis: deinde addere, vel diminuere, vt videtur: vt habemus ex Galeno quinto de tuenda valetudine. *Experimentum periculosum*: assignat per hæc verba, secundam rationem, quare ars est longa: & est, quia in ea, ob subiecti nobilitatem, experimentum est periculosum. cum enim duo sint instrumenta, ad quamlibet artem comparandam, experimentum scilicet, & ratio: vt testatur Aristoteles in procemio Methaphysices: & Galenus tertio Methodi; hæc ars est longa ratione vtriusque: experimẽtum enim est periculosum: & ratio est difficilis, vt posteà subiungit, sed notãdum, quod experimentum periculosum, in Græco codice est, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ: quod significat, Experimentum est periculosum, vel fallax. Sed, quamuis σφαλερὴ periculosum, & fallax possit significare: tamen, iuxta Galeni expositionem, melius est interpretari Periculosum, vt bene Leonicenus. Inquit enim Galenus, Experimẽtũ est periculosum propter subiecti nobilitatem. non enim lateres, corium, & ligna, sunt nobis, veluti alijs artibus subiecta materia, in quibus licet illis multa experiri. si enim illa labefactauerint, nullũ est vitæ periculum: non sic in arte medica: in qua cum subiectum sit corpus humanum, alioquin nobilissimum, illa experiri, quæ non sunt experientia comprobata, maximum est malum: cum mala experientia ad totius animalis interitum terminetur. Et sic ex Galeni sententia longa redditur ars. quoniam, si eam volumus perficere, & ars constat ex multis experimentis, per noua experimenta addentes, quod deficit, maximum propter subiecti nobilitatem imminet periculum. Et nos cum Oribasio, non recedentes à Galeni Methodo, addamus, quòd non solum periculosum est, in arte experiri ea, quæ non sunt experientia comprobata: sed periculosum est etiam expertis uti. Vt etiam hac ratione, ars reddatur longa, quoniam experimenta facta adhuc sunt periculosa, vel ad minus fallacia: quoniam non solum requiritur qualitas remedij: sed oportet etiam, vt eius actio sit mensurata, & operetur, quantum morbi magnitudo requirit: minor enim morbum non superabit: & sic non sequitur curatio: maior verò non solum morbum curabit, sed nouum, & contrarium morbum

Text. 8.

Cap. 3.

Cap. 2.

bum introducet : vt de alterantibus medicamentis inquit Galenus septimo Methodi : & de euacuantibus , secundo de ratione victus in acutis . Sed ad hoc , vt sciamus , quantum debet esse remedium : opus est scire, quantus est morbus, qui tantus est , quantus est recessus à naturali habitu : & sic oportet cognoscere naturam vniuscuiusque : quod quantum sit difficile, &, ratione nostri , impossibile, declarat Galenus tertio Methodi , inquiens : Si vniuscuiusque idiosyncrasian ad unguem, & exquisitè cognoscerem: talem me esse putarem , qualem scribunt fuisse Æsculapium . & , cum talis cognitio exquisitè haberi non possit, debemus artificiosa coniectura , quantum fieri potest, propè ad veritatem accedere . Sed , cum non exquisitè cognosci possit morbi quantitas: nullo pacto est possibile, vt exquisitè medicamentorum quantitatem metiamur : & hac ratione, quod fuit alias expertum , redditur periculosum, & fallax: quia, quamquis , ratione qualitatis, conueniat, tamen sumus dubij de quantitate : potuit enim in alijs conuenienti quantitate adhibitum iuuare : & in ægro , qui nunc occurrit, quia est diuersi temperamenti , in diuersa ætate, & diuerso anni tempore , quia in alia quantitate exhiberi deberet, non solum non proficiet, sed quandoque etiam nocebit: & hac ratione videmus pluries ea , quæ iuuant in multis , in aliquibus alijs eadem specie morbi vexatis, non solum non iuuare, sed quandoque etiam nocere , propter aliquod prædictorum , & præcipue propter diuersum ægri temperamentum, à cuius quantitate, & morbi , & medicamenti quantitas mensurari debet. Et sic ars est longa non solum ratione eorum , quæ de nouo experiri tentantur, sed etiam ratione eorum , quæ alias experta sunt. In istis enim etsi non reperiatur tantum periculi , reperitur ad minus fallacia: & de istis exponendo aphorismũ per dictionẽ σφαλερὴ possumus etiam Fallax interpretari. Sed dubitat Oribasius: si experimentum, quomodo periculosum. de natura enim experimenti est, vt sit tutum. Sed hæc dubitatio non cadit supra id , quod ex Galeno diximus de experimento adhuc non facto, sed faciendo: quoniam, iuxta illam expositionẽ, experimentum non est in se periculosum: sed periculosum est , experiri aliquod non prius expertum. Sed dubitatio cadit supra id, quod ex Oribasio diximus, de experimento facto: quod etiã , vt supra probauimus, est fallax, & periculosum: & inquit Oribasius, ꝙ, quamuis experimẽtum de ratione sui sit fidum, & tutum: tamen redditur periculosum quandoque ratione opificis, quandoq; ratione materiæ, quandoq; ratione organi. Ratione quidem opificis, idest medici operantis , si experto medicamento nõ vtitur, ea quãtitate, qua oportet, & eo tẽpore, quo oportet. Rõne materię idest subiecti, vt si expertũ est in vna ętate, & medicus vtitur

in

Cap. vltimo

Commento 12.

Cap. 7.

in alia: vt experientia est comprobatum, quòd sanguinis missio confert in pleuritide: tamen, si in sene, vel admodum puero hoc remedium adhibetur, nocebit. & vniuersaliter iuuat in validis: & in debilibus magnũ affert nocumentum. Ratione etiam organi, experimentum potest esse periculosum; & intelligit per organum assidentes, si alio modo adhibeant remedia, & alio tempore, quam illis fuerit à medico impositum; vt, si adhibeant à cibo, quæ ante cibum erant exhibenda. ***Iudicium difficile.*** hoc, vt inquit Galenus in commento, verificatur, siue per iudicium intelligas rationem eorum, quæ fieri debent in arte medica: quæ absque dubio est difficillima, vt ostendit hæresum, & sectarum multitudo: quoniã, si agendorum ratio esset facilis, non fuissent antiqui medici in tot sectas dispartiti: siue intelligas cum empiricis per iudicium, remediorum diiudicationem, quæ est etiam admodum difficilis: si enim, multis in vno morbo applicatis remedijs, sequitur sanitas, est admodum difficile iudicare, quod illorum fuit introductæ sanitatis causa. &, quoniam existimabant, Hippocratem fuisse de eorum secta, hoc pacto locum hunc exponebant: & quicquid per iudicium intelligas, erit adeò difficile, vt merito sit causa, vt ars reddatur longa. Nec oportet cum Oritasio in hoc loco, per iudicium intelligere crisim: quia, quamuis præcognoscere, vtrũ ad bonum, vel ad malum, & per quam regionem, & quo tempore futura sit crisis, sit admodum difficile: tamen arctius sumeretur iudicium, quam huic loco conueniat. Et, quoniam, vt ad longum in libro de sectis, & de optima secta Galenus testatur, sectæ medicorum fuerunt, tres, & empirici vtebantur sola experientia: methodici sola ratione: dogmatici, è quorum numero fuit Hippocrates, & Galenus, vtraque, experientia scilicet, & ratione: cum nec sola experientia, nec sola ratio, Galeno teste, ad omnia inuenienda sufficere possit. Possumus in huius aphorismi expositione dicere, quòd ars est longa in qualibet secta, quia in omnibus est occasio agendorum præceps. peculiariter est longa empirica, q̃ nititur experimentis: quia experimẽtum est periculosum: est longa secundum methodicos: quoniam ratio, & iudicium sunt difficilia: & etiã est longa secundum dogmaticos, qui vtroque vtuntur instrumẽto: quia experimentum est periculosum, & iudicium difficile. Et, quoniam, vt eligamus occasionem, quando oportet: & aliqua de nouo possimus experiri, ac expertis vti: & in omnibus veram rationem agendorum inueniamus: satis multa requiruntur maximè in secta dogmatica, siue rationali, quam cum Galeno profitemur, ideo ad dicta tria capita multa reducuntur: quoniam oportet cognoscere hominis naturam, & medicamẽtorum materiam, quorum ratione ars redditur satis longa, ob multitudinem eorum, quæ sciri debent: vt, quæ attinent ad elementa, ad temperamenta,

3. meth. 2.

menta, ad naturales facultates, ad anatomicas administrationes, ad usum ipsarum partium: sic, quæ attinent ad morbos, morborumq; causas. Et, vt adsit materiæ copia, oportet habere notitiam herbarum, arborum, metallorum, gemmarum, & (vt breuiter dicam) omnium naturalium rerum. Et hac ratione dicebat Galenus, tertio de differentijs pulsuum: Si in triplum vita nostra prorogetur, adhuc non sufficeret, ad artem adeo longam capessendam. Vt merito reprehensione digni sint, qui circa ea, quæ ab re sunt, tempus conterunt: tanquam si multum tempus suppeteret ad hunc cumulum addiscendum, & quæ necessaria sunt maiori otio indagandum. Est etiam ars longa, ob eorum, quæ sciri debent, obscuritatem: quoniam inquit Galenus loco allegato, & clarius primo de dignoscendis pulsibus, se in pulsuum cognitione per totam vitam laborasse, & adhuc non venisse ad absolutionem, & perfectionẽ: & tamen omnes sciunt, quot sunt, vltra pulsuum dignotionem, in arte medica scitu difficillima. Vt iam patere possit veritas aphorismi, quòd ars medica sit longa, si ad vitam humanam cõferatur. Et, exposito aphorismo, quoad omnes eius partes, tempus est, vt cum Galeno reuertamur ad id, quod primò quærebatur, quid sibi voluerit Hippocrates, tali vsus procemio. Et, vt incipiam ab vltimis positionibus, minimè verum est, voluisse per hoc ostendere artem esse coniecturalem, vel quare multis de causis contingat medicum frustrari à suo fine: quoniam, vltrà; quòd non esset Hippocrate dignum, statim ex abrupto, hęc in libri principio ponere, his etiam non correspondent, quæ sequuntur: cum ait, Nec solum seipsum præstare oportet opportuna facientem: quod non est hominis dubitantis de artis fine, & de veritate eorum, quæ tractantur, sed potius existimantis omnia, quæ dicẽda sunt, esse vera. si enim illa fuisset eius sententia, subiunxisset, contingit autem, & medicum errare, & ægrum, & exteriora: & sic duæ vltimæ positiones sunt absurdæ: & multo magis illa, quæ in ordine est secunda, quòd Hippocrates hoc fecerit, vt auerteret homines à medicinæ studio: quoniam extremæ fuisset dementiæ, simul commentaria posteris relinquere, & illos ab horum Commentariorum studio auocare. Nec etiam est laudanda prima positio, quòd hoc fecerit Hippocrates, vt hortaretur illos ad medicinæ studium: vltra enim, quòd non laudatur à Galeno, hoc non posset verificari: nisi diceremus, quòd hoc procemium est totius artis: sed hoc non est verum, quoniam procemium totius artis positum est in principio libri, de his, quæ in medicatrina fiunt. & etiam est reijcienda tertia positio, quę erat, quòd Hippocrates illud fecit tentandi gratia, vt experiretur scilicet, qui diligenter essent artem exercitaturi, & qui secus: quod non est uerum: primò, quia liber aphorismorum non præponitur aliis,

Cap. 1.

Cap. 1.

D ut

ut dictum est: & hoc procemium attinet ad totam artem. secundò, quoniam præceptum Platonis, quòd in principio debent discipulis præponi difficilia, ut animaduertamus, quo animo artem aggrediātur: perspicaces enim illam vehementiori impetu amplectuntur, & quasi gaudēt, & exultant: non est intelligendum, quòd hoc fieri debeat in scriptis, sed in mutuis colloquijs. & sic, cum dictæ positiones non sint acceptandæ, relinquuntur solum quarta, & quinta: & quarta erat, quòd Hippocrates præposuit hoc procemium, vt assignaret causam, quare scripsit commentationes: quam positionem Galenus laudat, sed multo magis laudat quintam, quæ dicebat, quòd Hippocrates voluit assignare causam; quare scripsit suas commentationes, & in forma aphoristica; quoniam hæc Hippocratis mentem quam optimè explicat: quasi voluerit dicere: cum ars medica, respectu vitæ humanæ, sit adeò longa, ut impossibile sit, ab eodem simul inueniri, & perfici, bonum est posteris relinquere commentationes, & in hac forma aphoristica, ad hoc, vt facile dici possint, & memoriæ mandari; quæ à prioribus inuenta sunt: &, si aliqua de nouo inueniuntur, illis posteà addere, donec ars tota perficiatur. Et hoc pacto possumus in hoc aphorismo saluare omnes condiciones procemij: promittens enim, se tractaturum artem sub forma aphoristica, quæ est facilis, ad primam disciplinam & vtillima ad memoriam, reddit auditorem docilem. dicens verò, quòd sub hac doctrina docet artem satis longam dictis de causis, facit auditorem attentum. &, cum versetur circa ea, quę sunt summoperè vtilia, & ad posterorum vtilitatem omnia scribat; reddit auditorem beneuolum. *Nec solum seipsum præstare oportet*. iuxta Galeni sententiam, in hac procemii parte, Hippocrates nobis cōsilium præbet, ac veluti pactum quoddam nobiscum efficit: si volumus ea, quæ hic dicturus est, si vera sunt, experiri: asserens, quòd, nisi contingat error ex parte medici, ex parte ægri, assidentium, & eorum, quę extrinsecus accidunt, omnia, quæ dicenda sunt, inuenientur esse vera. Et non sinè ratione, antequam ad præcepta descēderet, hoc in medium attulit: quoniam facilè, aliquo interueniente errore, poterat aliquid succedere aliter, quàm ex præceptis, & aphorismis in hoc opere traditis, euenire debuisset. & sic præcepta potuissent reddi suspecta, & non omnino uera. Inquit ergo. Nec solum seipsum, idest, si aliquis voluerit ea, quæ scripta sunt, utrum sint vera, experiri: caueat, ne contingat error ratione istorum quatuor. Oportet enim, vt medicus faciat, quæ fieri debent, & æger obediat medici mandatis: & ministri suum obeant officium, tempestiuè omnia exhibentes: & vltra hæc, exteriora omnia sint ritè comparata. Si enim in nullo istorum fuerit error, promittit Hippocrates omnia dicenda esse vera. Hanc aphorismi par-

tem.

tem declarat etiam Galenus, primo de diebus decretorijs, loquendo de prędictione futuræ crisis, inquiens: quod possumus præcognoscere crisim, & quo die sit futura, nisi in aliquo illorum contingat error, quæ dicta sunt ab Hippocrate in principio aphorismorum: medici enim isti triuiales impediunt crisim: quoniam toties errant, quoties ad ægrum accedunt: semper enim, vt videantur sapientes, volunt aliqua innouare, quoniam de crisi nihil animaduertunt. Vnde nunc sanguinem mittunt, nunc cataplasmata imponunt, nunc clysterē inijciunt, nūc unguenta fieri pręcipiunt, & alia huiusmodi, quę naturam ab opere suo facilè auertere possunt. Sic etiam ægri inobedientes, si noluerint parere medici mandatis, sed potius, sensum insectando, morbo faueant, possunt medici iudicium de futura crisi impedire: similiter & astantes, si non fecerint, quę oportet, si non placidè cum ægris se habeant, sed potius ad iram eos concitent: vel quòd, malum afferendo nuncium, ipsorum animos conturbent. Eodem pacto, & exteriora possunt impedire futurum crisis euentū: Hæc Galenus. Sed per exteriora ibi intelligit omnia ea, quæ inopinatè eueniunt, & ægrum maximè perturbant, vt si æger, ex domus incendio, vel latronibus inuadentibus, vel fluuio inundante, inopinatè cogatur fugere: sic etiā, si incipiat collabi domus, si pluuia maxima domū inundet, si affuerit in vicinis maximus tumultus. hæc enim omnia, naturæ actiones interrumpendo, possunt futurum euentum impedire; & sic prædictionem reddere suspectam: & quoniam hoc efficiunt interrumpendo naturæ actiones, existimare oportet, ꝙ non solum vim habent ad impediendam futurā crisim, sed etiam ad impediendam morborū curationē. Et ideò in hoc loco, ad hoc, vt possint verificari quæ dicturus est, non solum de præcognitione, sed etiam de curatione, vniuersaliter præmisit, ꝙ in istis non debet contingere error: & ideò Galenus in Cōmento subiungit, Nā propter illa, plerunque vel pręcognitionem, vel curationem interrumpi contingit. Sed, qualis debet esse medicus, scilicet, ꝙ sapiens, modestus, cautus, cogitabundus, & alias multas condiciones habens, vide apud Hippocratē in libro de medico, & de decenti ornatu: qualis etiam debet esse æger, & ꝙ in omnibus debet medico obedire, vide libro de arte, quo loco Hippocrates asserit, ꝙ multoties ægri, nescientes, quæ futura sunt, & morbo pleni, ea quæ morbo grata sunt, malunt assumere, quā quę sanitatem faciunt, non, quod ament mori, sed morbum tolerare nō potentes & ideò oportet, vt medicus placidis verbis, eos ab his, quæ nocua sunt, auertat. quoniam oportet ægrum, vna cum medico, reluctari morbo: vt habemus primo Epidemion. & Galenus eo loco inquit, quod medicus agit contra morbum, & luctatur cum morbo: æger verò si obedierit medico, erunt duo contra vnū, & facilè ipsum superabunt: si verò

Commen. 2 Tex. 11.

potius obedierit morbo, medicus superabitur, & sequitur ægri interitus. æger verò tunc fauet morbo, & ipsi obedit, quando non, quæ a medico præcipiuntur, sed quæ morbum oblectant, facit: vt, quãdo, inuito medico, multum frigidæ potum assumit, & alia huiusmodi operatur: vt habemus à Galeno loco allegato. Ministri etiam debent esse periti, & diligẽtes: quoniam (teste Hippocrate libro de decenti ornatu) imperitis nihil est committendum. & circa libri finem, de assidentibus hæc protulit: Oportet, vt eligatur vnus ex discipulis, qui sit diu exercitatus, & profecerit: vt sciat occasionem, & patienter ægro seruiat, & sciat recitare, quæ contigerint circa ægrum. De exterioribus verò multa sunt prius dicta, quòd scilicet inopinatè euenientia possunt, interrumpendo naturę actiones, veritatem aphorismorum impedire. Sed, cum hæc inopinatè, & casu eueniant, est impossibile in illis certam regulam habere: &, quãuis Galenus in Commento per exteriora videatur intelligere etiam habitationes idoneas, vel turbarũ plenas; & Philotheus addit etiam alterationes; iudicio meo, hæc sub exterioribus tunc tantum debent includi, quando, inopinatè circa illa fuerit facta mutatio: vt quando propter ignem æger fuerit coactus moueri de domo in domũ, vel propter aliam hmõi causam, de vrbe in vrbem. Sic etiam, quando propter aliquod inopinatum, domus fuerit, turba plurima concurrente, plena: vel, confugientibus omnibus, remaneat vacua. quando enim nihil inopinatè accidit, ad medicum attinet omnia præcipere, quæ ad sanitatem faciunt: & astantes debent exequi, & errata in exterioribus, tunc debent ad ipsos referri. Et ex hoc potest solui difficultas: si medicus, & assidentes operantur ab extrinseco, quare Hippocrates numerauit hic exteriora, tanquam distincta ab illis. Ad hoc dicunt aliqui, quòd medicus, & assidẽtes concurrunt simul cum natura, & sic sunt causa quædam intrinseca. Sed nos facilius possumus nodum soluere; asserentes, quòd per exteriora in hoc loco, nõ intellexit nisi ea, quæ inopinatè eueniunt, & sic distinguuntur à medico, & à ministris, & etiam ab illis, quæ habent certam regulam, & à medico, ac ministris corrigi possunt. Fuerunt etiam aliqui, qui hanc aphorismi partem ita exponunt, vt quatuor hic posita illis quatuor, quæ sunt in prima parte, correspondeant. quoniam, cum ars sit longa respectu vitæ humanæ, oportet medicum esse diligentem: & circa necessaria debet seipsum pręstare opportuna facientem: &, cum occasio agẽdorum sit pręceps, & momentanea, ægri in omnibus debent esse obedientes medici mandatis: ne agendorum occasio fugiat: & quia experimentum est periculosum, ideò astantes debẽt solum oportuna, & quę à medico fuerũt imposita, facere, & non alia, vt multoties fieri solet. Cum autem iudiciũ sit difficile, ad hoc, vt ad votum, & vt debet, rei euentus succedat, nullum

in

in exterioribus debet esse peccatum. Sed, quamuis hæc habeant aliquam apparentiam: tamen sunt admodum coacta. Et nos, antequam ad alium aphorismum accedamus, aliā in hac aphorismi parte expositionem addemus, quæ quamuis sit diuersa à Galeni sententia, fortasse non omnino displicebit. videtur enim, quòd Hippocrates in hac parte nō recedat ab his, quæ in prima parte proposuerat: quoniam, cum asseruisset, quòd vita nostra est breuis collatione ad artem: & declarasset artem esse longam, propter illas causas, scilicet quia agendorum occasio est præceps, quia experimentum est periculosum, & quia iudicium est difficile: & in hac parte, meo iudicio, addit aliqua alia, quę adhuc sunt causa, vt ars sit longa: quoniam, quamuis medicus, quatenus in se est, præcipiat omnia, quæ ad salutem attinent, & optimè eligat occasionem, benè vtatur experimentis, & ratione, & sic secundum artis votum deberet sanitas succedere, potest tamen impediri ex erratis, ægri non obedientis, assidentiū non applicantium remedia vt oportet, & exteriorum. quæ inopinatè accidendo naturæ actiones interrumpunt: quæ omnia sunt etiam in causa, vt ars reddatur longa: quoniam reddunt suspectam, tum occasionis electionem, tum facta experimenta, tum etiam eorum, quæ facta sunt, rationem, & iudicium: quoniam euentus facilè attribui potest non erratis, sed præceptis ipsius artis: & hoc videtur innuere Hippocrates: quoniam post prædicta subiungit: Nec solum seipsum præstare oportet: colligitur enim facile, ex vi verborum, quòd adhuc loquitur de eadem re, & se continuando ad ea, quæ dicta sunt, non ad alia descendit. Sed tu diceres, videtur, quòd in his verbis pręsupponat se esse locutum de omnibus his, quæ attinent ad medicum: quod non est verum: ad quid ergo dixit, Nec solum seipsum præstare oportet opportuna facientem. Dicimus, quòd Hippocrates, qui maximè breuitati studuit, in prima aphorismi parte, inter alia, innuit omnes medici condiciones: quoniam, cum medicus debeat addiscere artem adeò longam tempore breui, sequitur, qđ debeat esse admodū studiosus: &, cum agēdorum occasio sit præceps & momentanea, debet esse admodum diligens, & vigilātissimus: &, quia experimētum est periculosum, debet medicus esse in arte exercitatissimus, vt sciat expertis vti: & noua, si oportet, sine vitæ discrimine experiri: & denique, cum iudicium, & ratio agēdorum sit difficilis, debet esse prudentissimus: vt in omnibus possit suum iudicium accommodare. Et ideò Hippocrates, supponens in dictis hęc omnia inclusi, subiunxit: Nec solum seipsum præstare oportet. innuens, quòd, quāuis hæc omnia in medico reperiantur: tamen, cum errata possint contingere ratione ægri, assidentium, & exteriorum, in istis etiam reperitur causa, quòd ars medica reddatur longa. Et hæc de primo Aphorismo.

Expositio propria

APHORISMVS SECVNDVS

In perturbationibus ventris, & vomitibus ſpontinis, ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt; ſin minus, contra. Sic & vaſorum inanitio, ſi talis fiat, qualis fieri debet, confert, & leuiter ferunt; ſin minus, contra. inſpicere itaque oportet & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conueniat, aut non.

PRAEPOSITO procœmio, in hoc Aphoriſmo incipit exequi, quod intendebat; tradere ſcilicet artem ſub forma, & doctrina aphoririſtica. &, cum tractatus diuidatur, iuxta Galeni ſententiam, in ſeptem particulas, in hoc Aphoriſmo primam particulam aggreditur. Et rationi conſonum eſt, vt, antequam vlterius progrediamur, examinetur, quę fuerit peculiaris Hippocratis intentio, in hac prima particula. &, vt patere poteſt ex Galeni Cōmentarijs, & Deo dante inferius clariſſimè explicabitur: Hippocrates in hac particula intendit tradere q̄ neceſſaria ſunt circa euacuationem. & circa victus rationem: oſtendens nobis qualitatem, quantitatem, & vtendi modum vtriuſque. Sed ad hoc, vt, quæ dicenda ſunt, percipi poſſint: eſt ſciendum ex Galeno, tertio artis medicinalis, quòd cauſa, ad hoc, vt ſit ſalubris, debet habere duas condiciones ſcilicet, vt ſit in debita qualitate, & quantitate; & ſubiungit, quòd, quamuis quandoque addatur temporis occaſio pro tertia condicione, tamen illud fit ad maiorem claritatem: cum in rei veritate temporis occaſio, in illis contineatur: quoniam, quando remedium non exhibeatur in opportuno tempore, tunc nec in qualitate, nec in quantitate, erit conueniens: ſic etiam addunt quandoque vtendi modum, quomodo ſcilicet, & per quam regionem remedium debet adhiberi, vt ſalubris cauſa efficiatur: quoniam, ſi remedium non exhibetur eo modo, quo oportet, nec in qualitate, nec in quantitate erit conueniens. Sed additur quandoque vtendi modus, pro quarta condicione ad maiorem claritatem. & hac ratione dicebat Galenus, libro primo ad Glauconem: Petijſti à nobis, vt vniuerſalē quandam medendi viam, ac rationem quaſi per ſiguram oſtenderemus: hæc autem & qualitate, & quantitate ſingulorum auxiliorum conſiſtit, nec non & vtendi modo, & temporis occaſione. Et, cum in ſingulis auxilijs condiciones iſtę requirantur: non immerito Hippocrates, cum in hac

Qua ſit Hippo. intētio in hoc primo lib. Text. 7.

Cap. 1.

parte

parte loquatur de duobus auxilijs principalissimis, has omnes condiciones in illis considerauit: loquitur enim de qualitate euacuationis in hoc aphorismo, de quantitate in tertio, de vtendi modo in vigesimo primo, & de tẽpore in vigesimo secundo: idem fecit in victus ratione ab aphorismo quarto, vsque ad decimum nonum, vt ex eorum expositione patebit. & quòd in euacuatione hæc omnia debeant considerari, ipsemet scriptum reliquit sexto Epidemion, inquiens, loquendo de euacuatione, transitus aperiri, vt nares, & alia, quibus opus est, & vt conuenit, & qualia, &, qua, & quando, & quantum oportet, vt sudores, & alia plane omnia. Et Galenus in commento diuinissimo, & primo de humoribus, omnes condiciones necessarias ad euacuationem, ex dictis ab Hippocrate quam optimè explicauit. Quoniam non sufficit, vt præsente repletione euacuemus: sed oportet euacuare eo modo, quo conuenit, & materiam, quæ euacuari debet, per regionem, per quam debet euacuari: & quando debet euacuari: & quantum debet euacuari: quoniam, si aliqua istarum condicionum deficiat, euacuatio non erit causa salubris, & remedium. Et hæc, quò ad id, quod Hippocrates de euacuatione, & victus ratione intendit, in hac prima Aphorismorum particula, sint vniuersaliter dicta. addentes, quòd multoties Galenus, quę vltra qualitatem, & quantitatem, in salubri causa considerantur, inclusit sub vtendi modo, & in victus ratione, vltra qualitatem, & quantitatem, solum vtendi modum considerauit. sub eo includens etiam tempus, vt videbimus, & propter hoc, & etiam quia in ęuacuatione, vltra qualitatem, & quantitatem, non solum considerauit regionem, quæ propriè attinet ad vtendi modum, & tempus; sed etiam cõsiderat euacuationis partitionẽ, & corporis euacuandi aptitudinem, & ineptitudinem. Ideò, cum omnia reduci possint ad vtendi modum; de euacuatione, & victus ratione, simul vniuersaliter diximus; quòd in hac libri parte pertractat qualitatem, quantitatem, & vtendi modum. Sed iam tempus est, vt ad particularem præpositi aphorismi expositionem deueniamus; ipsum prius cum præcedenti connectendo. quod semper obseruantes, aphorismos postea exponemus. Quoniam, quamuis in aphorismis nullus sit ordo necessarius; tamen in eis, & pręcipuè in hac prima particula, reperitur ordo accidentalis, & concatenatio quædam, quę multum facit ad ipsorum intelligentiam. Cum ergo proposuisset, se totam artem sub doctrina aphoristica tractaturum: hic incipiens exequi, quod proposuerat; incipit ab euacuatione: & hoc non immeritò; euacuatio enim est maxima artis pars, vt contra Iulianum inquit Galenus. Hoc etiam fecit alia ratione, quoniam definitio artis medicæ ab Hippocrate in libro de flatibus asignata est, quòd medicina est adiectio, & ablatio; & sic non est mirum, si

Commento 2. text. 33.

Comm. 12

Cap. 1.

volens tractare totam artem, incipit ab illis, in quibus definitionis partes magis relucent: quæ definitio satis laudatur à Galeno vndecimo Methodi, asserens, nihil aliud esse medicinam, nisi adiectionem, & ablationem. medicus enim nihil aliud facere studet, nisi addere quod deficit, & auferre quod redundat. Quod probari potest tum in parte salubri, tũ in curatiua. in salubri quidem, quia (teste Galeno primo de tuenda valetudine) qui conseruat, nihil aliud facere debet, nisi attendere ad instaurationem deperditi. semper enim humidum consumitur, & calor dissipatur: & quia talis instauratio fieri non poterat, nisi per similia; ad hoc, vt nutrimẽtum redderetur simile, fuerunt à natura fabricatę multę partes, in quibus hæc assimilatio fieret: &, cum in omni assimilatione, & concoctione resecentur excrementa: fecit etiam organa, per quæ illa possent expurgari: quia diutius retenta putrescunt, & pariunt morbos. Et ideò eo loco concludit, quòd in parte conseruatiua nihil aliud medicus facerè debet, nisi attendere, vt per alimentum, deperditum instauretur, & vt expellantur excrementa: & hoc nihil aliud est, nisi adijcere, & auferre. In parte etiam curatiua, nil aliud facit, nisi auferre quod redundat, & adijcere quod deficit: vt latè Galenus explicat sexto Epidemion. vbi inquit, quòd medicus aufert euacuando vel insensibiliter per discutientia medicamenta, vel sensibiliter per secessum, vomitum, & vrinam, sudorem, & vterum, per hæmorrohides, per nares, per palatũ: & adijcit, per alimenta conuenientia instaurando quod deficit, sic in alteratione aufert, quod redundat, immodicam intemperiem remouens, & adijcit quod deficit, diminutam qualitatem ad symmetriã ducens. Et, in summa, semper medicus vel adijcit, vel aufert: & sic verificatur dicta definitio quã declarat etiam Introductorius medicorũ, dicens, hanc esse verã, quia est per ea, quæ semper ars facit. quoniam definire eam per sanitatis conseruationẽ, & morbi curationem, est potius finem indicare, quã artem definire: ars enim non facit ista, quoniam ipsa, propriè loquẽdo, nec sanat, nec cõseruat: sed facit ea, ad quæ ista sequũtur. addẽdo enim, quæ deficiunt, & auferendo, q̃ superfluunt, sanitas seruatur, & curatur morbus. Et sic, cũ medicina definiatur per adiectionẽ, & ablationẽ; non immeritò ab illis incepit Hippocrates, in quibus hæc magis relucent. Et incepit potius ab ablatione, q̃ adiectione: tũ quia sępius hæc actio medico occurrit: tũ quia, & melius, hæc est maioris vrgentiæ: & hac rõne dicebat Galenus cõtra Iulianũ, quod euacuatio est maxima artis pars. Sed iã ad aphorismũ veniamus, ad cuius intelligentiam ante oĩa est notandũ, quod, vt habemus à Galeno in Commento sequentis Aphorismi, non totus hic sermo, & longa verborum series, est aphorismus. cum aphorismus ex natura sua sit breuis: sed totus hic sermo diuiditur in tres partes:

Medicina definitio explicatur.
Cap. 12.
Cap. 3.
Cõmento. 1
Cõmento. 2
Cap. 6.

tes: in prima ponitur ratio aphorismi, ex quodam naturæ exemplo: superius enim dictum est, quod, quando aphorismus ponitur cum ratione, quandoque ratio postponitur, vt in primo aphorismo; quandoque præponitur, vt in hoc aphorismo, in cuius prima parte ponitur aphorismi ratio, vt dictum est; in secunda parte ponitur aphorismus, qui est breuis illa oratio: sic & vasorum inanitio, si talis fiat, qualis fieri debet, cōfert, & leuiter ferunt; sin minus, contra. In tertia parte respondet tacitæ obiectioni, dicens, Inspicere autem oportet. Et, quamuis in hoc sermone ratio aphorismi preponatur, tamen, vt facilius Hippocratis mens percipiatur, ab ipsius aphorismi expositione incipiamus: ad cuius intellectum, duo sunt animaduertenda: primum est, quòd nos habemus axioma vniuersalissimum in arte, & est, quod contraria contrarijs curantur: quod quamuis primò verificetur de morbis, teste Galeno vndecimo Methodi: verificatur etiam de causis, & de symptomatis, vt asserit etiam in secundo aphorismorum: vbi dicebat Hippocrates, quicūque morbi ex repletione fiunt, curantur euacuatione: &, quicūque ex euacuatione, curantur repletione: sic & aliorum contrarietas. Quo ex loco habemus, quod, quotiescunque euacuamus, semper illud facimus præsupposita repletione, cum affectus præter naturam per contrarium tolli debeant: veræ enim indicationes per contrarium fiunt, vt habemus libro de optima secta: & nos inferius clarissimè demōstrabimus: &, cum fiant per cōtrarium, euacuatio indicabitur ab ipsa repletione: sed indicatio sumpta a causa non potest propriè dici curatiua, sed potius præseruatiua, vt habemus quarto, & vndecimo Methodi, quoniam, cū repletio per euacuationem remoueatur, ipsam indicabit: nihil enim potest indicare magis, quam idem de se ipso, & non est aliud, quod curatur, & quod curationem præscribit, vt habemus tertio Methodi: & sic, cum contraria cōtrarijs curentur, repletio tollitur per euacuationem, & eandem euacuationem postulat, ac indicat. Secundum animaduertendum est, ꝙ circa curationem non debemus solum stare in methodo vniuersali, & in vniuersalibus indicationibus, vt faciebant methodici, qui solis vniuersalibus, & his, quas ipsi communitates vocabant, erant contenti. Sed Galeni præcepto secundo Methodi debemus à primis indicationibus auspicari, atque hinc ad eas, quæ deinceps sunt, transire, rursusque ad alias, quousque deueniamus ad finem, idest quousque ad particulares, ac specificas differentias descendamus: quoniam, sicut dicebat eodem libro, tot sunt methodi curatiuæ, & medendi rationes, quot sunt morborum ideæ, idest, quot sunt morborum determinatæ species: quoniam non sufficit scire, est morbus, ergo debet auferri, sed oportet considerare vtrum morbus sit in intemperie, vel in compositione, vel in solutione cōtinui:

Cap. 12. Cōmen. 22.

Cap. 45.

Cap. 3.

Cap. 1.

Cap. 7.

Cap. 6.

tinui: &, si est in intemperie, adhuc hoc non sufficit; scire scilicet, quòd intemperies debet per contraria remoueri: sed oportet, magis ad particularia descendentes, videre, qualis intemperies sit: quoniam sic, propriam indicationem curatiuam inueniemus, qua inuenta, possumus postea inuenire remedia ad hoc accōmodata: & hoc est illud, quod principaliter intendimus in curandi methodo. si enim est intemperies calida, indicabit frigida, & per frigida curabitur: &, si est frigida, per calida. Sic & in alijs. Eodem modo, & in euacuatione, non sufficit dicere, quòd indicatur a repletione; non enim oportet stare in hac vniuersali indicatione: quoniam non ad quamlibet repletionem iuuat quælibet euacuatio, sed oportet ad specialia magis descendere, & differentias repletionis animaduertere. si enim fuerit notum, qualis sit repletio, ei propriã possimus opponere euacuationem: & sic, si repletio est bilis, quoniã hic humor redundat, huius humoris euacuatio repletionem tollit: si redundat pituita, ipsam pituitam oportet euacuare: tunc enim vtilis est euacuatio, quando humores, qui morbum faciunt, & non alij fuerint educti. Et hac methodo ductus Hippocrates, inquit, vasorum inanitio, idest euacuatio (& vsus est hac dictione, vt omnes complecteretur euacuationes, quoniam in omni euacuatione contingit vasa inaniri) si talis fiat, qualis fieri debet, hoc est si sit illius humoris, qui replet, & morbum facit, ita, quòd eorum, quæ molestant, euacuatio fiat; confert; quia educitur quod lædebat, ipsa scilicet causa mortifica; & leuiter ferunt ægrotantes, quia vires exonerantur eo, quo veluti sarcina premebantur. Et hic est verus aphorismi intellectus; in quo insinuat nobis, quòd euacuatio non est causa salubris, si alij humores, & non illi, qui faciunt morbum, fuerint educti: sed tunc tantum iuuat, quãdo educuntur humores, qui prius molestabant, & erant morbi causa. & hoc Hippocrates probat exẽplo spontè factarum euacuationum; & inquit, in spontè factis ventris perturbationibus & vomitibus, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt; sin minus, contra: idest, in euacuationibus, quę spontè, & sine artis auxilio fiunt, tunc tantum sequitur conferentia, & tolerantia, quando educitur illud, quod peccat; econtra, si educitur aliud ab illo: & sic habemus rationem aphorismi. Quoniam, si in spontè factis illud accidit, ergo & medicus, qui est naturæ minister, debet humorem peccantem euacuare, & non alium. Sed ad eorum, quæ dicta sunt, intellectum, est sciendum, quod per spontè factas euacuationes, Brasauolus, & alij intelligũt, euacuationes factas à natura. quod quamuis possit verificari, quatenus omnis spontè facta euacuatio, cum nõ fiat artis auxilio quod fiat à natura, largo modo dici potest: tamen, propriè loquendo, non omnis talis euacuatio est naturæ opus, habemus enim a Galeno

Galeno quarto aphoriſmorum, quod euacuatio vel fit artis auxilio, vel ſpontè, & hęc vel fit natura expurgante, quod noxium eſt, vel fit ſymptomatis ratione, & vi morbi: & hæc adhuc bifariam, quoniam vel fit natura irritata ad expellendum, vel fit ipſa non potente continere: quando fit natura recte operante, & expurgante, quod noxium eſt, ſequitur morbi curatio: quando verò fit vi morbi præter naturam irritantis, vel vires diſſoluentis, tunc omnia redduntur peiora. arguitur enim magna morbi vehementia, & malignitas, & aſſignata diuiſio colligitur ex loco allegato: &, quòd omnes dictæ euacuationes dicantur ſpontè factæ, habemus ex eodem Galeno quarto Aphoriſmorum, vbi aſſerebat, quòd dicitur ſpontè fieri, quod fit ſine cauſa exteriori. Et, ad propoſitũ redeuntes, aliorum relicta ſententia, dicimus, quod non immeritò dixit in ſpõtinis, & non in naturalibus euacuationibus, quoniam euacuationes, quę ſunt uere naturales, ſemper iuuarent: & ideò eius ſententia hoc pacto eſt intelligenda; in ſpontè factis euacuationibus, ſi talia purgẽtur, qualia purgari oporter, ideſt ſi ea, quæ purgantur, purgãtur natura expellente, quod noxiũ eſt, tunc confert purgatio, quia educitur cauſa morbi, & leuiter ferunt ægrotantes: quia, quo premebantur, ſunt exonerati; ſin minus, contra. ideſt ſi uerò purgantur non natura expellente, quod noxium eſt; ſed ſymptomatis ratione, & vi morbi, contra ſe habet; quoniam non exonerantur vires eo, quo premebantur, nec educitur cauſa morbi. Et, quòd per hæc verba voluerit Hippocrates diſtinguere naturalem à ſymptomatica euacuatione, teſtatur Galenus libro de optima ſecta; inquiens, quòd Hippocrates nullum habuit ſignum diſtinctiuum inter excretionem naturalem, & ſymptomaticam: ſed ſolum ęgro iudicandum reliquit, dicens, ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt: volens per hoc denotare, cum non poſſit haberi perfectum iudicium, niſi ex his, quæ ſubſequuntur, maximam eſſe difficultatẽ diſtinguere criticã à ſymptomatica euacuatione. Sed ad perfectã aphoriſmi intelligentiã cõſiderare oportet, quid Hippocrates per talia, & qualia voluerit intelligere; & maximè, quia ſemp hoc fuit apud expoſitores dubiũ. Et, quamuis Galenus dicat, ꝙ voluit per illa ſignificare, qđ in hoc aphoriſmo loquatur de euacuationis qualitate: ſicut in ſubſequẽti, de eiuſdẽ quantitate: tñ hæc ſnĩa non eſt minus obſcura: ſtat enim eadẽ difficultas, quid Galenus intellexit per qualitatẽ euacuationis. Et fuerunt quidam barbarolatini, qui dixerunt, quòd per qualitatem Hippocrates, & Galenus intelligunt ſimplicem, & nudã qualitatem, vt caliditatem frigiditatem: quoniam, vt ipſi inquiunt, multoties peccant humores ſola qualitate, quia ſcilicet ſunt calefacti, vel refrigerati, & nos ipſos euacuamus, & hoc conſiderauit in hoc aphoriſmo; quandoque verò humo-

Cõmen. 2.

Cõme. 78.

Cap. 18.

Quid per qualitatem intelligendum.

humores euacuamus, quia peccant in quantitate, & sunt magis aucti, quàm oportet, & hoc in sequenti aphorismo. Quæ positio est omnino falsa, Galenus enim, exponens mentem Hippocratis in Commento, inquit, quòd euacuatio debet esse eorum, quæ corpora nostra grauant; & humorem noxium iubet esse euacuandum, & non alium: & subdit, si pituita redundat, hanc modis omnibus euacuare oportet; sic, si sanguis modum excesserit, sanguinem euacuato, & eius serum, si superabundabit. In quibus verbis, ad humorem redundantem, & non ad solam qualitatem Hippocratem respexisse, apertissimè declarat. & infrà in hocmet libro inquit, quemadmodum molestum humorem, pro qualitatis ratione, euacuare oportet: sic profectò vacuationis quantitatem humoris vexantis copiæ respondere, par est. Et quarto Aphorismorum, exponens verba Hippocratis, qualia, & sponte prodeuntia vtilia; inquit: Cum itaque natura, quod superfluum est, euacuat: iuuatur animal: cum verò aliud excernit, ratione symptomatis, neque inde vtilitas sequitur. Ex quibus patere potest, Hippocratem per qualitatem, non intellexisse nudam qualitatem, sed humorem superabundãtem, & molestum. Et hoc potest confirmari ex eo, quòd, quando humores sunt solum calefacti, aut refrigerati, vel effecti tenuiores, vel crassiores, quàm oportet; indigent alteratione, & nõ euacuatione. euacuatio enim semper supponit repletionem, & ab ea indicatur: si verum est, quod prius diximus, quòd contraria cõtrarijs curantur. Successerunt postea quidam Galenici, qui, animaduertentes, quòd Galenus ponit duplicem plenitudinem, quarum vna dicitur plenitudo simpliciter, & est quando omnes humores æqualiter abũdant; alia dicitur plenitudo secũdum quid, siue cacochimia, hæc enim sunt idem apud me, & est, quando alij humores à sanguine abundant: vt pituita, & bilis vtraque, vt habemus libro de plenitudine, & decimo tertio Methodi. videntes etiam, quòd Galenus secundo aphorismorum, & secundo de compositione medicamentorum per locos, vocauit plenitudinem simpliciter peccatum in quantitate, & plenitudinem secũdum quid, peccatum in qualitate: dixerunt, quòd in hoc aphorismo Hippocrates loquitur de euacuatione facienda in plenitudine secũdum quid, siue cacochimia: quoniã in hac vitium est in qualitate. in sequenti verò aphorismo loquitur de euacuatione facienda in plenitudine simpliciter, cuius peccatum est in quantitate. Et hanc positionem corroborant ex eo, quod Hippocrates vtitur in hoc aphorismo verbo Purgari; & purgatio attinet ad cacochimiam: sicuti euacuatio propriè dicitur de sanguinis missione: quia per eã omnes humores euacuantur, vt habemus secundo Aphorismorum. Sed hæc positio est etiam falsa: primò, quia Galenus nihil diceret quarto Aphorismorum, quando, assignans differen-

Cõmẽ. 23. Cõmen. 2. Cap. 11. Cap. 6. Cõmen. 17. Cap. 1. Cõmen. 8. Cõmen. 2.

differentiam inter hunc aphoriſmum, & illum, inquit: Prius itaque di-
ctum eſt de omni euacuatione generalius hoc modo: ſic & vaſorum ina
nitio, ſi talis fiat: nunc verò de ſola purgatione eandem fecit ſermonē.
Ex quibus ſequitur, quod in hoc aphoriſmo, non de ſola purgatione,
quæ cacochimiæ opponitur, ſed de omni euacuatione generalius per-
tractat. Præterea Galenus in Commento ampliauit hunc aphoriſmum
etiam ad ſanguinis miſſionem, quæ non cacochimiæ, ſed plenitudini
propriè opponitur: dicebat enim Galenus ſecundo aphoriſmorum: ſo-
litus eſt Hippocrates, vbi omnes humores æqualiter augentur, vti ſan-
guinis miſſione: vbi verò aliquis aliorum ſine ſanguine abundauerit, *Loco alleg.*
ſolitus eſt vti purgatione. Et ſic, cùm Galenus ampliauerit aphoriſmum
etiam ad ſanguinis miſſionem, debet intelligi de omni euacuatione. &
hoc confirmat dictio, qua vtitur Hippocrates in aphoriſmo; inquiens,
Vaſorum inanitio: & Galenus inquit, quòd vſus eſt hac dictione, vt in-
cluderet omnem euacuationem: quoniam in omni euacuatione con-
tingit vaſa inaniri: &, quamuis vſus ſit verbo Purgari, eo non vtitur in
aphoriſmo, qui eſt vniuerſaliſſimus; ſed in exemplo, ex quo ſumitur ra
tio ipſius aphoriſmi: quod eſt particulare, ut habemus ex commento
ſubſequentis aphoriſmi: & hic fuit ſemper Hippocratis mos: vt ex
uno particulari aliquod inferret vniuerſale; vt aſſerit Galenus primo de
ratione victus in acutis. Fuit poſtea quorundam Galenicorum opinio, *Cōmen. 18.*
quòd Hippocrates in hoc aphoriſmo, per qualitatem intellexit ſpeciem,
uel differentiam humoris peccantis: & hoc ex Galeno, in multis locis
probauerunt, & præcipuè ex quarto de tuenda valetudine: quo loco *Cap. 4.*
præcipit, ut in euacuatione reſpiciamus humoris ſpeciem, & eius co-
piam: & in hoc aphoriſmo, & ſequentibus, & aliis locis, vult, vt reſpi-
ciamus qualitatem, & quantitatem; & quantitas, & copia ſunt idem; er-
go oportet dicere, quòd intelligit ibi per ſpeciem, idem, quod in aliis
locis per qualitatem: comprobant hoc ex ſexto aphoriſmorum, vbi ex- *Cōmen. 11.*
ponens aphoriſmum; Atrabile uexatis, & renum paſſionibus affectis,
hæmorroydes ſuperuenientes bonum; dicebat, non ſolum ratione eua
cuationis hæmorroydes ſanant huiuſmodi paſſiones; ſed & ipſa quali-
tate humoris euacuati. Quo loco nemo poteſt intelligere per qualita-
tem, niſi ſpeciem, & differentiam humoris, qui euacuatur, quaſi uolue-
rit Galenus dicere, quòd hæmorroydes iuuant in affectibus renum, &
in atrabile: non ſolum quia fit euacuatio: ſed etiam quia euacuatur il-
la ſpecies humoris, quæ infectat; &, quamuis multis aliis locis idem
confirment; tamen, cum ea liceat apud eos uidere, ad ulteriora tranſi-
bimus. Et, non recedendo ab hac vltima poſitione, quæ abſque dubio in
hoc loco ueritatem attigit, ut omnia ex ſuis principiis, & vera methodo
habean-

habeantur. ad confirmationem dictæ opinionis est memoriæ reuocandum, quod diximus ex primo ad Glauconem, scilicet, quod ars medica consistit circa hoc, vt in vnoquoque auxilio, quatuor consideret condiciones, quantitatem, qualitatem, vtendi modum, & temporis occasionem; quæ, ut priùs dictum est, possunt ad duas reduci; qualitatem scilicet, & quantitatem: &, quando ponuntur distinctè, fit ad clariorem doctrinam. & hac ratione Hippocrates in euacuatione omnes condiciones distinctè in hoc libro considerauit; & Galenus in expositione loci allegati sexto Epidemion, vbi dicebat circa euacuationes esse consideranda, & qualia, & qua, & quando, & quantum; per quale intelligit materiam euacuandam, utrum scilicet euacuanda sit bilis, vel pituita; & idem asserit in hoc commento per qualitatem humoris euacuandi exponens humorem, qui molestat, & grauat: & hac ratione inquit, quòd idem significat hæc sententia; quòd talis debet fieri euacuatio, qualis fieri debet: cum ea, quam alibi protulit: quòd humorem noxium oportet euacuare, & non alium. Benè ergo dixerunt isti, quod Galenus, & Hippocrates per qualitatem intellexerũt speciem humoris euacuandi. Sed, vt benè pateat qualitatis significatum, & uis huius dictionis percipiatur: ne cum aliis multis aberremus; est sciendum ex libro de optima secta, quòd medicus in curatione tria debet animaduertere: morbum cum eius causa, facultatem, & locum affectum; quoniam ex illis habet tria, quæ sunt necessaria, & sufficientia ad cuiuslibet morbi curationem. ex morbo enim, & eius causa, habet genus auxilij, quo in curatione vti debet: ex facultate habet auxilij quantitatem; qua scilicet mensura auxilium debet adhibere: ex loco affecto habet quo loco, quo modo, & quo tempore auxilio vti debet. Oportet enim, in quolibet auxilio hæc tria considerare, genus auxilij, quantitatem auxilij, & vtendi modum. Et, cum eo loco, cum quantitate, & vtendi modo consideret genus auxilij, & hic, & multis aliis in locis, cum quantitate, vtendi modo, & occasione consideret auxilij qualitatem, possent aliqui faciliter credere, quòd idem est genus auxilij, & qualitas. Sed, si intimius rem considerabimus, Galenus per qualitatem intelligit quid diuersum à genere auxilij: quoniam intelligit speciem determinatam, vel differentiam specificam sub illo genere. cum enim, vt priùs dictum est, non oporteat stare in vniuersalibus indicationibus; indicatio generis auxilij non sufficit, sed ad specificas indicationes descendere necesse est. quoniam, sicuti morbus, & morbi causa indicant auxilium in genere, vel genus auxilij: ita species determinata morbi, indicat speciem determinatam auxilij; & hæc curat morbum: tot enim sunt medendi rationes, quot sunt morborum ideæ, vt dictum est. Et sic qualitas non significat genus auxilij, sed

Cap. 1.

Cõmen. 2.
Comm. 33.

An genus, & qualitas auxilii sint idem.

Quid sit auxilii qualitas.

ſed ſpeciem determinatam ſub illo genere: quod poteſt probari ex Galeno libro de optima ſecta, vbi, cum probauerit contra methodicos, quòd tempora morborum non indicant aliquod genus remedij; quoniam illi dicebant, ſi non indicant genus remedij, indicant qualitatem, vel quantitatem remedij; ipſe probat, quòd nullo pacto poſſunt indicare qualitatem, hoc medio. Quod indicat genus, id & qualitatem indicare neceſſe eſt. nam ſinè differentia vnumquodque indicans, rei poſtulatæ genus indicat; ſed differentiam accipiens, ipſo genere differens indicat. Ex quo loco habemus duo: primum, quòd non eſt idem genus, & qualitas; ſecundum, quòd qualitas ſignificat aliquod differens ſub genere; & ſic erit ſpecies, vel differentia ſpecifica: quod confirmari poteſt ex quarto de tuenda valetudine: quo loco, in euacuatione humorum conſiderat ſolum ſpeciem humoris, & copiam; per ſpeciem intelligens qualitatem, vt priùs dictum eſt: & quòd qualitas poſſit etiam ſignificare differentiam, patet ex ſecundo de tuenda valetudine, vbi inquit. Genera quidem exercitationum ſunt ea, quæ diximus; qualitas verò, ſeu differentia, (nam vtroque modo ipſam appellare licet) ſunt velocitas, & tarditas. Vt iam patere poſſit; Qualitatem in Hippocratis, & Galeni libris, ſignificare non ſolum nudam qualitatem, ſed etiam differentiam quandam eſſentialem, & ſpeciem determinatam ſub genere. Vt hinc reſpondere liceat ad Pluſquam Commentatorem, & alios, qui tertio artis medicinalis dubitant, quare in cauſis ſalubribus, vltra qualitatem, & quantitatem, non conſiderauit etiam ſubſtantiam, quæ eſt maximè conſideratu neceſſaria: ſed minimè verum eſt, nõ conſideraſſe ſubſtantiam, cũ per qualitatem intelligat omnem dñiam eſſentialem illius, cuius eſt qualitas; & ſic etiam intelligitur Galeni ſentẽtia, primo artis medicinalis, vbi inquit, quod non vult tractare de omnibus, quia ſingularia ſunt infinita, & infiniti non eſt ſcientia: non de quibuſdam, qm̃ ſic doctrina eſſet imperfecta, ſed vult tractare de his, quæ in definitione erant incluſa, & de his, quæ ad totam artem pertinent, qualia nam ſint, hoc eſt, quoad oẽs eorum differẽtias etiam minimas. Et ſic in corporibus, ſignis, & cauſis, nunquàm ab vniuerſalium diuiſione ceſſauit, quouſque peruenerit ad oẽs eorum differentias; vt benè conſideranti patere põt. Sed, redeundo ad id, vnde diſceſſimus, concludamus, quod, cũ curatio per euacuationẽ nõ poſſit ritè ſuccedere, niſi humor moleſtans educatur: hunc enim oportet euacuare, & non alium: ideò Hippocrates hanc humoris determinatam ſpeciem, ſiue differentiam, qualitatem appellans, inquit, quod tunc euacuatio confert, quando talis fit, qualis fieri debet; hoc eſt, quando determinatè illa ſpecies humoris educitur, quæ moleſtat. Et ſic aphoriſmus eſt vniuerſalis, & includit omnem euacuationem: ſed in ea conſide-

Cap. 45.

considerat solum, quam speciem humoris debemus euacuare, siue sit plenitudo, siue cacochymia; &, sicut hic considerat solum, quem humorem in euacuatione debemus eligere; ita in sequenti, in qualibet euacuatione facienda, considerat solum quantitatem, & mensuram: & ideò præcipit, vt consulamus vires. Sed, vt nihil remaneat intactum, sciendũ, quòd Vega vult, vt in hoc loco per qualitatem non solum intelligamus speciem, vel differentiam humoris euacuandi, sed etiam omnem aliam condicionem, quæ requiritur ad optimam euacuationem; in qua non sufficit, vt educatur quod peccat; quoniam multoties, etiam si id educatur, sequitur detrimentum, vt, si tota aqua simul educatur, quando perforantur hydropici, & quando, magno abscessu disciffo, permittitur totum pus simul exire. & sic intelligit aphorismum hoc pacto, si euacuatio sit talis, qualis fieri debet; hoc est, si habet omnes condiciones ad bonam euacuationem requisitas: confert & leuiter ferunt: &, quòd sub qualitate includantur omnes condiciones, probat ex Galeno primo de ratione victus in acutis, quo loco dicebat Hippocrates; & quæ a pulmone excernuntur fuerint qualia oportet; inquit, in Commento, verba illa; Qualia oportet; coctionis habent notas; & sic per qualitatem non solum intellexit speciem humoris educti; sed etiam ipsius coctionem. Sed, quamuis hæc sint vera, & viro doctissimo digna; tamen non sunt ad propositum in hoc aphorismo; quia, quamuis alibi per qualitatem possit omnes condiciones intelligere: tamen non potest verificari in hoc loco; quoniam si in hoc aphorismo, sub qualitate considerasset omnes euacuationis condiciones, alij aphorismi essent superflui. Nec ualet, quod dicit de eductione totius aquæ in hydrope, & totius puris in magni abscessus incisione: quia, si illa euacuatio nocet, hoc non est ratione qualitatis euacuationis, sed ratione quantitatis: quoniam non solum requiritur qualitas, sed debita etiam quantitas: & ideò in sequenti aphorismo vult, vt, vltra qualitatem, consideremus etiam quantitatem humoris euacuandi: & in hoc debemus consulere vires: etsi enim benè fuerit electa qualitas, & species humoris euacuandi; debet tamen eius quantitas mensurari à virtute; & tantum debemus euacuare, quantum vires possunt sufferre. remedium nanque non solùm debet indicari, sed etiam tolerari. Ad id uerò, quod dicit ex Galeno, quòd qualitas includit etiam signa coctionis, potest responderi, ex eo, quod dictum est ex tertio artis medicinalis, quòd in rei veritate sub qualitate, & quantitate includuntur omnia alia, vt vtendi modus, & occasio: sed quandoque considerantur ab illis distincta ad maiorem claritatem. Et, cum in hoc libro Hippocrates consideret utendi modum, & tempus euacuationis, distinctè à qualitate, & quantitate: non debemus sub qualitate includere,

Cōmen. 13.

cludere, quæ propriè ad vtendi modum, & temporis occasionem attinent: signa enim coctionis proprie attinentad tempus euacuationis; & ideò habebimus concocta medicari, atque mouere, non cruda, neque in principijs. Et, quia qualitas largius considerata, potest includere omnes euacuationis condiciones, & etiam quantitatem: dicebat enim Galenus in hocmet libro; quòd Hippocrates nullum habuit in quantitate signum, nisi illudmet, quod considerauit in qualitate: conferentiam, scilicet, & tolerantiam: hac ratione in fine istius particulæ repetit eandem sententiam; inquiens, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt; sin minus, contra. Sed, quamuis videatur eadem sententia, tamen non est eadem; quia illa est multo vniuersalior: in hoc enim loquitur de sola euacuandorum qualitate, & in illo aphorismo includuntur omnes condiciones, quæ ad optimam euacuationem requiruntur: & sic summopere esset laudanda Vegæ expositio, si illud dixisset in illius aphorismi expositione, & non in hoc loco. Inspicere autem oportet & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conueniat, aut non. Quidam Galenici, Oribasium insecuti, asseruerunt, quòd Hippocrates in hac parte declarat; quæ sint in euacuatione consideranda, vltra humoris euacuandi qualitatem: quia non sufficit, ut medicus talem educat humorem, qualis peccat: sed oportet etiam, quæ dixit, hoc loco considerare: & primo regionem: quoniam in regionibus calidissimis, ut in Aethiopia, & in frigidissimis, ut in Thracia, propter immodicam regionis intemperiem non debemus euacuare, vt in alijs. Quod potest ex Galeno confirmari, qui libro de sectis inquit, quòd, qui incolunt septentrionalem regionem, sanguinis euacuationem non sufferunt propter frigiditatem. tempora etiam anni sunt obseruanda: nec enim in calidissimo, nec in frigidissimo fieri debet euacuatio: in calidissimo, quia dissoluta, & debilia sunt corpora: & hac ratione dixit Hippocrates, sub cane, & ante canem difficiles sunt medicationes; & Galenus in commento assignans aphorismi causam, inquit: Exusta enim tunc natura, non suffert medicamentorum acrimoniam: in frigidissimo debemus etiam abstinere: nam quælibet euacuatio refrigerat: & est sciendũ, magna ex similibus sequi pericula. Cum enim corpora eo tempore sint refrigerata, ipsa magis euacuatione refrigerare, est admodum timorosum, vt habemus primo ad Glauconẽ. Debemus etiam considerare morbos: in aliquibus enim conuenit euacuatio, & in aliquibus non, quoniam non conuenit in syncope, in tabidis, & consumptis, nec in his, quorũ corpora a diuturno morbo sunt labefactata. Aetas etiam est consideranda, quia non semper licet euacuare: abstinemus enim in pueris, & in senibus: in pueris quidem; etenim eorum

Cõmen. 13.

Cap. 14.

Cap. 17. rum corpora, teste Galeno nono Methodi, facillime difflantur: in senibus verò, quoniam eorum calor est admodum imbecillus. Et cum hæc, vltra qualitatem humoris euacuandi, sint consideranda: ideò, iuxta istorum sententiam, Hippocrates in fine, hanc appendicem apposuit. Quæ omnia quamuis sint uera, & medico in arte exercenda satis vtilia: tamen ad hunc aphorismum non attinent: quia, etsi multa de euacuatione considerari possint, in hoc aphorismo, iuxta Galeni, & Philothei sententiam, Hippocrates solam considerat qualitatem: Quæ verò isti dicunt, non faciunt ad qualitatem euacuationis dignoscendam, sed ultra qualitatem, quæ alia sint consideranda, docent; & ideò ad hunc aphorismum non attinent. Et ab his, quæ supra dicta sunt, non recedendo, cum Galeno, & Philotheo dicimus, quòd in hac parte videtur respondere tacitæ cuidam obiectioni: potuisset enim aliquis dicere: dictum est, quòd ad hoc, vt euacuatio sit proficua, & bona, necesse est, vt sit humoris peccantis, & non alterius: præceptum laudo, sed difficultas consistat in hoc, vt ante euacuationem dignoscatur, quis humor redundat, & est causa morbi, & per consequens debet euacuari: conferentia enim, & tolerantia, cùm ad euacuationem sequantur, non præcedant, nullá habent vim ad indicandum, quæ sunt necessaria in euacuatione non facta, sed adhuc facienda. Ad hoc respondet Hippocrates, & inquit, quòd ad dignoscendum, quis humor peccat, inspicere oportet & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conueniat istius, vel illius humoris facere euacuationem. etenim in regione calida solet abundare bilis, in frigida pituita; in tempore anni calido, vt in æstate, bilis; in frigido, vt in hyeme, pituita; in vere sanguis; in autumno melancholia. Sic etiam in ætate pueritiæ propter ingluuiem, & in senibus, propter caloris imbecillitatem, abundat pituita, in adolescentibus sanguis, in iuuentute bilis, & in ætate consistentię melancholia. Oportet etiam considerare morbos; quia ex illis habere licet, quis humor peccat: & euacuari debet, quoniam tertiana efficitur à bile, quartana à melancholia, & quotidiana à pituita. Sic & alij morbi, vel ab hoc, vel ab uno aliorum humorum suam habent generationem. Et sic ex dictis potest ante euacuationem cognoscere medicus, quis humor redundat, & est morbi causa, & illum posteà debet euacuare. Sed videtur, quòd Hippocrates multa prætermittat: Galenus enim in quarto Aphorismorum, vltra dicta, considerat cęli statum particularem, naturam ægrotantis, consuetudinem, vitæ studium, & præcedentem victus rationem: quæ non minus, quàm illa, ad redundantis humoris cognitionem conferunt: & difficultas redditur maior, si consideramus Hippocratem, propria euacuandorum humorum indicia

Comment. 1.

præter-

pretermisisse, & confugisse ad communia, & minus certa. vult enim Galenus loco allegato, vt primò cuiuslibet peccantis humoris propria indicia consideremus, & posteà alia communia; inter quæ sunt illa, quæ hic ponuntur ab Hippocrate. Sed ad primam difficultatem dicimus, quòd, cum particularis cęli status, natura ægrotantis, & alia adducta, indicent eodem pacto cum regione, & aliis positis in aphorismo, non curauit Hippocrates de omnibus facere mentionem: quoniam, quando vnum illorum ponitur, cætera omnia subintelliguntur, vt optimè declarat Galenus infra, & ad longum libro octauo de placitis. nam, sicut in regione calida abundat bilis, & in frigida pituita, sic in constitutione cęli calida abundat bilis, & in frigida pituita: & sicut in ætate calida bilis, in temperata sanguis, in frigida pituita: sic etiam, in temperie calida bilis, in temperata sanguis, & in frigida pituita: adeò quòd omnia ista, eodem penitus modo indicant: & ideò non est mirum, si aliqua non posuit; cum quandoque etiam sufficiat vnum illorum apponere, & omnia alia subintelliguntur, vt priùs dictum est. Quantum verò ad id, quòd signa propria, & certiora reliquerit: Galenus videtur in commento respondere, asserens, quòd Hippocrates noluit signa propria esse prætermittenda, immo vult, vt hæc primò considerentur, cum ex istis deueniamus in veram, & certam notitiam redundantium humorum: & posteà ad exquisitiorem doctrinam, & ad confirmationem consideramus regionem, & tempus, & ætatem, & alia. Sed ad horum perfectam intelligentiam est sciendum, quòd signa, ex quibus redundantem humorem licet cognoscere, quædam sunt signa tantum, quædam sunt potius causæ; sed, cum etiam faciant ad cognitionem, dicuntur signa, & causę. Signa tantum sunt, quę vt plurimum sequuntur peccantium humorum naturam, & apparent vel in actionibus, vel in corporis affectibus, vel in excrementis; vt redundante bile, solent adesse vigilię, cordis, morsus, oris amaritudo, sitis, color ad citrinum, vel croceum vergens, & alia huiusmodi; Signa, & causę in cognitione bilis, sunt, quę præcesserunt, & potuerunt bilem aggregare, ut si præcessit æstas, si incoluit regionem calidam, si est in ætate iuuentutis, si præcessit uictus ratio calida, & sicca: ex istis enim faciliter potuit bilis copia generari. Sic etiam abundantem pituitam dignoscimus, ex quibusdam, quæ sequuntur eius naturam; & sunt signa tantum, & posteà ad exquisitiorem doctrinam, consideramus ea, quæ sunt signa, & causæ: vt de bile dictum est. Est tamen sciendum, quòd, quamuis humores possint dignosci tum ex propriis indiciis, tum ex his, quæ præcesserunt, & sunt signa, & causæ: tamen (teste Galeno in sexto Epidemion) primam ac tutissimam naturæ febrium

Cōmen. 12. Cap. 6.

Cōment. 1. Cōmen. 10.

notitiam ex his, quæ in corpore apparent, acquires. *Secunda vero, & ab extrinsecis causis notitia, ad eorum, quæ inuenisti, certiorem fidem haud parum expediet.* Ex quibus verbis habemus, & ex hoc commento etiam colligitur, quòd uera, & propria cognitio humorum redundantium habetur ex indicijs proprijs: quibus consideratis, examinanda sunt regio, tempus, ætas, & alia huiusmodi ad exquisitiorem doctrinam. Inter signa autem humorum propria maximam vim habet color: color enim (vt inquit Galenus in commento) similis efflorescit humoribus; nisi ad intra regurgitauerint. in sanguine enim color apparet ruber, vel ex rubro, & albo permistus: in bile apparet croceus, ut ictericorum: in pituita albus, & propter frigiditatem ad liuidum quodammodo vergens: in melancholia apparet niger. Adeo quòd facilè ex colore possumus peccantem humorem dignoscere, dummodo humores ad intra non regurgitent: tunc enim ex colore fidum signum non licet accipere; & hæc regurgitatio fit, vt inquit Galenus quarto de tuenda valetudine, vel propter frigus ambientis, vel propter rigores, vel propter animi affectus, vel propter timorem, ingentem tristitiam, & incipientem verecundiam: quorum si nullum adsit, nunquam se in altum recipient succi. Quo loco etiam addit, quòd infidum est quoque signum ex colore, quando humores concitatiori motu foras prorumpunt, & ideo in vehementer commotis, aut iratis, aut in pudore, veluti reciprocantibus humoribus, colorem inspicere non oportet. & Hippocrates, præcipuè in illis, in quibus non licet ex colore signum assumere, alia, quæ his subiunxit, consideranda reliquit. Sed adhuc non est omnino soluta difficultas: quoniam, quanto magis est necessarium considerare propria signa, tanto magis videtur Hippocrates defecisse; quia ea prætermisit. Et ideò, vt omnis ambiguitas remoueatur, dicimus minimè hæc prætermisisse. nam, teste Philotheo, per morbos more antiquorum intellexit omne id, quod est præter naturam: & sic non solum intellexit morbos, & morborum causas, sed etiam symptomata, ex quibus tanquam morborum effectibus, vt ex proprijs indicijs morbos dignoscimus: & sic Hippocrates uoluit esse consideranda, tum signa communia, tum etiam propria.

Cap. 4.

Et hæc de hoc Aphorismo.

APHO-

APHORISMVS TERTIVS

Habitus exercitatorum; qui ad summum bonitatis attingunt, periculosi: si in extremo constiterint: neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere. Cum vero non quiescant, neque possunt proficere in melius. Reliquum est igitur, vt decidant in deterius. his de causis, bonum habitum statim soluere expedit, vt corpus rursus nutriri incipiat. Neque compressiones ad extremum ducendæ: periculosum enim: sed, qualis natura fuerit eius, qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit. Sic & euacuationes, quæ ad extremum deducunt, periculosæ. Et rursus refectiones, cum extremæ fuerint, periculosæ.

GALENVS, & Philotheus asserunt, quòd, cùm Hippocrates locutus esset in præcedenti de qualitate euacuationis, in hoc loquitur de quantitate: sed, quid sibi voluerint per hæc, multi non intellexerunt: falsum est enim, quòd in præcedenti de peccato humorum in sola qualitate, & hic de peccato in quantitate loquatur: nec etiam acceptanda sententia illorum est, qui dixerunt, quòd, in præcedenti locutus est de euacuatione, quæ pertinet ad cacochimiã, & in hoc de illa, quæ pertinet ad plenitudinem, ut in expositione præcedentis Aphorismi latissimè demonstrauimus. Sed, iuxta nostram sententiam, cum locutus esset in Aphorismo præcedenti uniuersaliter de omni euacuatione, quoad eius qualitatem, idest quoad electionem humoris euacuandi, in hoc loquitur etiam de omni euacuatione, quoad eius quantitatem; hoc est, quoad mensuram, quæ debet haberi circa ipsam: utrum scilicet euacuatio sit facienda in multa, vel in pauca, aut potius mediocri quantitate: quoniam non solùm scire oportet, quòd hic, vel ille humor debet euacuari, & non alius: sed oportet etiam considerare, quanta debet esse euacuatio; vt libræ, an semilibræ, quãtitate: & sicut indicationem humoris euacuandi sumebat à causa mortifica, & propriè à differentia humoris peccantis, tanquam à suo contrario: ita

in eligenda euacuationis quantitate, & mesura in hoc aphorismo, duos statuit scopos, ex quibus quantitatis indicationem sumit; humoris scilicet peccantis quantitatem, & laborantis vires; quamuis præcipuè respexerit vires, vt videbimus. Et aphorismus diuiditur in duas partes. & in prima exemplo clarissimo ponitur ratio aphorismi, in secunda verò ponitur aphorismus in illis paucissimis verbis: Sic & euacuationes, ad extremum deductæ, periculosæ: & rursus refectiones cum extremæ fuerint, periculosæ. & totum illud, quod præcedit, est ratio aphorismi, vt habetur à Galeno in commento. qui, ultra quòd in principio inquit, quòd Hippocrates tum in hoc aphorismo, tum in præcedenti præposuit quoddam exemplum: in medio posteà commenti inquit (cùm locutus esset de habitu athletarum) Hęc itaque ab ipso de bono habitu athletarum dicta fuere, quæ quidem ipsa, per se ipsa possunt conducere his, qui tale uitæ institutum elegerunt; medicis uerò sunt veluti exemplum sermonis posteà subiungendi: inquit enim: Sic & euacuationes ad extremum deductæ periculosæ. Et nos, etsi ratio aphorismo præponatur: tamen, vt omnia reddantur clariora, vt fecimus in præcedenti; ab aphorismi expositione incipiemus, deinde veniemus ad exemplum, siue ad rationem aphorismi. & ante omnia, sententiam Hippocratis tum in aphorismo, tum in exemplo, breuiter explicabimus; deinde verba aliqua ponderabimus. Sententia aphorismi est, quòd medicus nec debet ad extremum, hoc est ad summum, euacuare, nec ad summum replere: utrunque enim est periculosum; quoniam de omnibus vniuersaliter dicebat Hippocrates secundo aphorismorum: Plurimum, atque repentè euacuare, vel replere, uel calefacere, uel refrigerare, uel quomodolibet corpus mouere, periculosum; quoniam omne nimis naturæ inimicũ. cùm enim natura consistat in symmetria, non est mirum, si (ut inquit Galenus in illo commento) omne nimis animalis substantiam dissoluat. Et in hoc aphorismo, quòd periculosa sit, tum ad summum facta euacuatio, tum ad summum facta repletio: probat Hippocrates notissimo quoddam athletarum exemplo, in quibus, si ad summum bonitatis, ipsorum bonus habitus peruenerit; hoc est, si, quam ipsi desiderant, fuerint nacti plenitudinem, est periculosum: nam, cum consistant in extremo, aut calor innatus extingui periclitabitur, aut succedet alicuius uasis ruptura: Et hac ratione, talem habitum statim soluere; & euacuare expedit. Et in euacuatione, compressiones uasorum, hoc est euacuationes non sunt ad extremum ducendæ: hoc enim est periculosum: sed, qualis natura fuerit eius, qui perferre debet, ad hoc ducere conuenit; idest debemus euacuare quantum vires sufferunt, & non plus: ac si uoluisset dicere, si in athletis, qui habent corpora robusta, & optimo sanguine

Aph. 51.

guine referta, extrema repletio, & extrema euacuatio non est sine magno discrimine: quanto magis in aliis debilioribus: ac si argueret: si de quo minus uidetur inesse, & inest, ergo & de quo magis: sed minus deberet esse periculi in extrema euacuatione, & repletione, in athletis, & tamen adest; ergo multo magis in aliis. Sed iam singula verba ponderemus: & primò circa aphorismum, qui etiam diuiditur in duas partes, & in prima loquitur de extrema euacuatione, & in secunda de extrema repletione, & in utraque nihil aliud intelligit per extremum, nisi summum; ut benè exponit Philotheus: & nos debemus intelligere, illam esse euacuationem, vel repletionem extremam, & ad summum, quæ est ultra id, quod uires possunt sufferre: quod ipsemet Hippocrates in aphorismi exemplo testatur; inquiens, Neque compressiones ad extremum ducendæ; sed, qualis natura fuerit eius, qui perferre debet, ad hoc ducere conuenit: Et sic, si uires possunt sufferre euacuationem, non erit extrema. Quod etiam confirmat Galenus in commento, dicens, in omni euacuatione, uires ægroti oportet attendere, & donec tolerant, & nondum laborant, tentandum est humorem exuperantem educere: cum uerò hæ dissoluuntur, etiam si restent superfluitates, cauere oportet ab earum euacuatione. Et est notandum propter eos qui habent Leoniceni interpretationem, quòd verbum Grecum ἄγουσαι Leonicenus interpretatur, deducunt, & non satis concinnè, quia dictio sic interpretata, reddit sententiam tanto viro indignam. nullus enim ignorat, quòd euacuationes, quæ deducunt ad extremum, sunt periculosæ: etenim non potest periculo vacare, quod ad extremum deducit: & ideò, cum verbum ἄγω tum apud Græcos, tum apud Latinos multa significare possit, melius est, ut ἄγουσαι, idest deuenientes, hoc loco interpretemur: vt sententia talis sit, Euacuationes, quæ deueniunt ad extremum, sunt periculosæ. Vel, sensum insecuti, ut fecit Cenomanus, derelinquendo illam dictionem, dicamus, quòd euacuatio extrema est periculosa, sicut etiam extrema repletio. Vel, & tertiò, si per dictum verbum hoc loco, idem, quod duco, seu deduco volumus intelligere, possumus ad literam ἄγουσαι, idest deductę interpretari; vt ex ipsomet Cenomano in Galeni commento colligere licet: & sic sententia erit, quòd euacuationes, quæ sunt deductæ ad extremum, hoc est, quæ transcendunt metam, quoniam sunt vltra vires, sunt periculosæ. Sequitur secunda pars aphorismi; & rursus refectiones, per aduerbiũ Rursus voluit denotare, quòd de alia re sermonem facit, ita vt hæc pars includat sententiam separatam à priori. Et hinc cum Galeno in commento colligere licet argumentum contra illos, qui dicebant Hippocratem non loqui in his verbis de omni repletione, sed tantum de illa, quæ sequitur ad immodi-

cam euacuationem: quasi per hæc voluerit, ideò immodicam euacuationem esse periculosam, quia refectio, & repletio post illam est cum magno vitæ discrimine: virtute ex præcedenti euacuatione redacta imbecilla. Cuius oppositum denotat aduerbium Rursus: significat enim, quòd hæc sententia est separata à prima: &, sicut in prima parte docuerat, extremam euacuationem esse periculosam: ita in secunda docet periculosam esse omnem extremam repletionem: quod confirmat Galenus ex hoc, quia, si Hippocrates in secunda parte loqueretur solum de extrema repletione, quæ sequitur ad extremam euacuationem, frustra proposuisset in exemplo bonum habitum athletarum: quod non est exemplum plenitudinis factæ post euacuationem: sed plenitudinis simpliciter, & extremæ, & ideò periculosæ. Et sic habemus ex aphorismo, quòd periculosa est tum extrema euacuatio, tum extrema repletio; & sic, cum ars medica sit adiectio, & ablatio: medicus debet animaduertere, quòd nec adiectio, nec ablatio debent esse extremæ; idest ultra vires illius, qui debet perferre. Sed iam reuertamur ad exemplum: & explicatu necessaria consideremus: & primò notandum, quòd, quemadmodum in præcedenti aphorismo, exemplo particulari spontè factarum euacuationum, conclusit aphorismum vniuersalem de cuiusque euacuationis qualitate: ita hic, exemplo particulari ipsorum athletarum, demonstrando omnem euacuationem, & repletionem extremam esse periculosam, vult nobis cuiuscunque euacuationis quantitatem, ac mensuram præscribere. Sed circa verba est notandum, quòd Græcus codex habet ἐν τοῖσι γυμναστικοῖσι, & gymnasta differt ab athleta: cum gymnasta dicatur indifferenter de omni eo, qui in quacunque re se exercet: libro enim
Cap. 41.
ad Thrasybulum, dicebat Galenus, quòd gymnastica ars appellabitur, quæ omnium exercitationum facultatis cognitio est, cuius minima pars, athletarum exercitium. Sed in hoc aphorismo per gymnastas non debemus intelligere genericè omnes exercitatos; sed tantum illos, qui se exercent in palestra, & dicuntur Athletæ; ut Galenus in commento
Cap. 9.
innuit, & libro ad Thrasybulum per hæc verba clarissimè exposuit: Hippocrates inquit, quòd in his, qui corpora exercent, habitus ad summum boni periculosi. at de athleticis, gymnasticisque corporibus, nunc te intelligere oportet, non de illis, qui quomodolibet exercentur, vt de fodientibus, remigantibus, metentibus, aut quippiam aliud ex naturalibus hominum officiis præstantibus, sed de illis, quibus idipsum studium est, vt athleticis viribus contra aduersarios sese muniant. Et idem fatetur Philotheus in commento, inquiens, per exercitatos Hippocrates intelligit athletas. nam, etsi Hippocrates usus sit dictione uniuersali: tamen speciatim de athletis est intelligenda sententia. Sed videamus,

quid

quid intelligit per bonum habitum athletarum. Circa quod est animaduertendum, quòd bonus habitus est duplex, & vnus est bonus habitus simpliciter, alius est bonus habitus athletarum; & hic non est simpliciter bonus habitus, sed cum hac adiectione, athletarum; & sic est bonus habitus secundum quid. Bonus habitus simpliciter, nihil aliud est, nisi saluberrima corporis constitutio, quam nemo est, qui non percupiat: & huius accidens est, in operationibus exercendis strenuitas, & cõstantia: & hoc non immeritò: quoniam, si nomen Habitus significat quid firmum: habitus enim, teste Aristotele, est de difficili mobilis: multo magis per nomen εὐεξίας, idest boni habitus, idem significabitur: Et, cum habitus significet quid firmum, hoc potest esse bonum, & malum: sed per adiectionem boni, denominatur illud esse firmum, & bonum; vt habemus libro de optima corporis constitutione; & hic bonus habitus, qui est simpliciter bonus, si ad summum bonitatis peruenerit, cùm eius essentia consistat in omnium partium symmetria, & commensuratione: non solum non est periculosus, sed est omnium tutissimus, quia ad summum huius boni habitus peruenire, nihil aliud est, nisi ab omni corporis præternaturali affectu esse remotissimum, & hac ratione maximè tutum, vt habemus libro de bono corporis habitu, & ideò Hippocrates non est locutus de hoc bono habitu simpliciter: sed cum adiectione athletarum, qui est bonus habitus secundum quid; & non simpliciter sicut dicimus, simia pulchra, dragma reproba, & alia huiusmodi: & sicut ista dicuntur non simpliciter, sed secundum quid talia: ita bonus habitus athletarum, dicitur secundum quid bonus, & non simpliciter. Ad quorum intellectum, est sciendum ex Galeno libro ad Thrasybulum, quòd athletæ nihil aliud habebant pro fine nisi virium incrementum, quibus aduersarij prosternerentur: & ideò ars athletica excessum moliebatur, multam, & solidam carnem procreans, & sanguinis quàm tenacissimi copiam adaugens: neque etiam vires tantum, sed corpori molem, & pondus adijcere conabatur, vt hac etiam ratione, aduersarius opprimi valeat. Et sic, quod est præter naturam, immodicam scilicet repletionem quærunt, & optant, ac si esset quoddam secundum naturam. & ideo non est mirum, si eorum bonus habitus, est periculosus: dicitur enim bonus habitus, non quod in veritate sit bonus, sed quia ab athletis intenditur, & desideratur: &, si rei naturam consideramus, non solũ nõ meretur dici bonus habitus, sed nec meretur dici habitus. habemus enim ex locis allegatis, quòd eorum dispositio est satis lubrica, & apta de facili in mortem repentinam, & morbos incidere: quod non respondet naturæ ipsius habitus, qui est de difficili mobilis. Et ideò Galenus inquit, quòd Hippocrates istorum dispositionem aliquando non habitum,

Cap. 2.

Cap. 1.

Cap. 36. & 37.

tum,ſed affectionem quandam minimè ſecundum naturam appellauit. Et ſic diſpoſitio, quæ dicitur bonus habitus athletarum, eſt periculoſa: iſti enim, vt inquit Galenus in Commento, multum ſe implent, & vſque ad ſatietatem comedunt, benè concoquunt, & benè ſanguificant, cum robuſtas habeant actiones: vnde, cum peruenerint ad tantam repletionem, vt vaſa non ſint amplius capacia, calidum natiuum, cum nō poſſit ventilari, ſuffocabitur, vel, ſi, vt ſuffocationem euitet, impetum facit, incidet in rupturam vaſorum, præcipuè eorum, quæ ſunt in pulmone, vel in thorace, vel iocinore. & in iſtis partibus rumpūtur potius, quam in alijs, teſte Galeno, *libro de bono corporis habitu*, propter tres cauſas; & prima eſt, quia venæ in illis habeat tunicam laxiorem: ſecunda, quia iſtæ recipiunt prius nutrimentum, & ſic prius, & magis quàm aliæ implentur: tertia, propter copiam innati caloris, qui ibi reperitur; vnde ſanguis ob feruorem, quaſi bulliens, non ſecus, ac muſtum in dolijs, vaſorum tunicas diſrumpit. & ob hæc omnia dixit, talem habitum eſſe periculoſum: imminet enim periculum vel de ſuffocatione, vel de vaſorum ruptura. Et, quod iſte habitus ſit periculoſus, probat Hippocrates hac ratione: Cum hic habitus peruenerit ad ſummum, aut quieſcet in eodem ſtatu, aut proficiſcetur in melius, aut decidet in deterius: non poteſt in eodem permanere, nec poteſt in melius proficiſci: ergo reliquum eſt, vt decidat in deterius. Quòd non poſſit in eodem permanere, Galenus tum libro de bono corporis habitu, tum in Commento probat hoc modo: Cum iſti benè, & affatim comedant, & in eis bona fiat diſtributio, & ſanguificatio; de neceſſitate ſemper fit maior additio: &, cum vaſa non poſſint amplius impleri, de neceſſitate aliquod dictorum inconuenientium ſubſequetur. Quòd verò hic habitus non poſſit proficiſci in melius, patet ex eo, quòd ad ſummum bonitatis peruenerit: & ſic nihil poteſt ei addi; reliquum eſt ergo, vt decidat in deterius, in mortem ſcilicet repentinam, vel rupturam vaſorum. Et ideò nos, antequam hæc ſuccedant, debemus Hippocratis conſilio hunc habitum ſoluere: &, vt Oribaſius, & Philotheus exponunt, per ſanguinis miſſionem euacuare, vt corpus rurſus nutriri incipiat, ideſt, vt poſtea exinanita vaſa ſint de nouo ſuperuenientis alimenti capacia: & ſic corpus tuto nutriri poterit. Sed aliquis contra hanc rationem Hippocratis inſurget, dicens, quod tunc ratio eſſet valida, quando venæ repletæ adhuc traherent; ſed, ſi non attrahunt, ratio erit nulla: tunc enim non erit periculum, vt vaſa magis impleantur, cum non attrahant: nec poterunt ſequi dicta incommoda: quòd autem venæ repletæ non attrahant, probatur ex Galeno primo de ſymptomatum cauſis; vbi vult, quòd ad exercitandum appetitum, & famem, requiruntur

An in athletis excitetur fames naturalis, & quomodo.

quinque

quinque motus : quoniam primo membra dissoluuntur, & inaniuntur ratione calidi natiui semper agentis in humidum, tanquam in proprium pabulum : secundò venæ inanitæ attrahunt à venis, & iecinore: tertio venæ inanitæ attrahunt per hepar, & meseraicas à ventriculo : quarto in ventriculo fit suctio, & tristis sensatio : quinto insurgit animalis facultas, & fit appetentia. Et, si hæc hoc ordine procedunt, sequitur, quòd non fiat appetentia, nisi præcedat tristis sensatio, quæ non aderit, si non fit suctio, & attractio a venis; & istæ non attrahent, nisi corporis partes ui caloris exinanitæ ab illis trahunt: quæ minimè fient in hoc habitu; tum quia membra non solum non sunt exinanita, sed sunt adeò extensa, vt maiorem extensionem non possint sufferre; tum etiam quia uenæ sunt adeò repletæ, vt non possint magis impleri : &, cum non indigeant, non attrahent, & in ventriculo nec fiet suctio, nec tristis sensatio, & ex consequenti non excitabitur appetentia: &, si hæc sunt vera, talis habitus non erit periculosus. Brasauolus ad difficultatem respondet, quòd, quamuis in hoc habitu, ratione, qua illi motus in eo fieri non possunt, non excitetur appetentia: tamen excitabitur alia de causa, vt puta ratione humoris melancholici, qui a liene per uasa quædam expellitur ad uentriculi os, & causatur appetentiam: fuit enim huius sententiæ, quòd appetentia naturalis vtroque modo generari possit. Sed responsio peccat; tum quia dubitationem non euacuat, tum etiam quia non est ad Galeni mentem : non euacuat dubitationem : quia, etsi ex ea habeamus, quomodo in hoc habitu fiat appetentia, non propter hoc habemus, quare, quod concoquitur in ventriculo, attrahitur in venas, & corporis partes, si non indigent: non est etiam ad Galeni mentem, qui quarto de usu partium dixit, excrementum melancholicum deferri ad os ventriculi, & habere vtilitatem quandam non spernendam; & promisit illam se explicaturum, quando de excrementis locuturus esset: quod posteà fecit libro quinto, vbi asseruit, quòd hoc excrementum nullã ventriculo afferat noxiam, indicat ipsa qualitas: acerba enim cum sit, atque acidabilis atra, contrahere ipsum, ac constringere, non vt flaua, subuertere apta est. Constat ergo, quòd, quemadmodum hæc noxia esse memorabatur, propterea quòd vetaret cibos diutius in uentriculo concoqui: ipsam atrambilem nõ modò hac ratione minimè lædere comperiemus : sed etiam actionem ipsius propriè promouere : nam ventriculum intendit, ac contrahit in seipsum, cogitque cibos ad vnguem circumplecti, atque retinere, quousque fuerint percocti. Hæc Galenus. Ex quibus habemus quidem, quòd hoc excrementum iuuet ad coctionem, sed non quòd iuuet ad appetentiam. Quod etiam potest ratione conuinci: quoniam, si, cibo assumpto, hoc excrementum iuuat

Cap.7. *Cap.15.* *Cap.4.*

ad

ad coctionem, si eo tempore appetitum excitaret, esset preter naturam: appeteret enim quando non indigeret, & crudum super inconcoctum. Et ideò, etsi inter iuniores quidam hanc positionem cum Auicenna tueri sint conati, cum Galeno dicimus, quòd iuuat tantum ad coctionem: & quando iuuat ad appetentiam, tunc atra bilis maligna est reddita, & appetitum præter naturam excitat, vt habemus libro de plenitudine: quando enim melancholia est naturalis, (quidquid in hoc senserit Auicennas, & auctor libri de anatomia viuorum) non facit ad appetentiam, sed solum cogendo ventriculum, coctionem adiuuat. Et ideò alio pacto difficultatem cum Galeno soluere tentemus. Ipse enim vult, quòd calor naturalis semper concoquit, & semper fit alimenti distributio: quia natura, seu anima vegetatiua semper est in actu secundo: quia eius quies mors est, vt benè in hoc loco inquit Philotheus, & Galenus libro quarto de vsu partium optimè eam assimilauit belluæ, cum operetur sine cognitione. Et ideò, non propter hoc, quòd membra non possunt amplius extendi, non operabitur: immo hac ratione iste habitus est periculosus, quia ratione huius animæ semper, & vniformiter operantis, partes attrahent, quando non deberent attrahere. Sed ad difficultatis solutionem dicimus, quod impossibile est, absque quòd repentina succedat mors, aut ruptura vasorum, ad tantam repletionem uasa peruenire, vt nullo modo adhuc capacia fiut: quia in tantum calor conseruatur, inquantum difflari non prohibetur; & hoc est illud, quod in hoc habitu est periculosum: quando enim adeo vasa sunt repleta, vt, si amplius repleantur, adesset quidem capacitas: sed, ea repleta, prohibetur euentatio, & calor suffocabitur: vel, antequam hoc succedat, facto ut conseruetur impetu, uasa aliqua disrumpuntur: calor enim, quando non potest per corpus vagari, & ventilari, suffocatur. Et hoc dicebat Hippocrates quarto de ratione victus in acutis in illis verbis, Si quis repente obmutuerit, uenarum interceptiones corpus uexant: per venarum interceptiones nihil aliud intelligens, nisi tantam repletionem, ut calor difflari prohibeatur: ut in libro de bono corporis habitu Galenus exponit. Adeo quòd, cum natura operetur sine cognitione, & quousque calor in corpore ventilatur, & moueri non prohibetur, semper in uasis est aliqua capacitas, poterunt semper in corpore fieri illi motus, qui ad excitandam naturalem appetentiam sunt necessarij. Cum hoc tamen maximum imminet vitæ periculum. Si enim capacitas illa, ad caloris ventilationem necessaria, repleri inceperit, uel suffocabitur calidum, vel disrumpentur aliqua uasa, ut dictum est. *Neque compreßiones ad extremum dicendæ, periculosum enim: sed, qualis natura fuerit eius, qui perferre debet, ad hoc ducere conuenit*. Hippocrates

Cap. 11.

Solutio propria.

Tex. 23.

pocrates docet in hac parte, quòd, quemadmodum in athletis periculosa est extrema repletio, ita est etiam periculosa extrema euacuatio: & ob id, etsi habitum athletarum soluere oporteat; tamen in euacuatione non est veniendum ad extremum: hoc enim est etiam periculosum: sed euacuandum est, quantum vires sufferre possunt. Sed circa verba est animaduertendum. & primò, quia vsus est nomine ξυμπτώσιας, quod apud nos significat concidentiam, contractionem, & extenuationem, & ideo satis obscure illam dictionem interpretatus est Leonicenus, Compressiones: melius enim Molis contractioné, vel Extenuationé vertere potuisset: vt benè quidam animaduertit: qm̃, cum athletæ, & molé corporis multam, & sanguinis immodicam copiam habeant, perbellè Hippocrates hoc nomine, tanquam omnibus illis opposito, vsus est. Philotheus etiã inquit, quòd euacuationem nominauit à symptomate: quia, sicut vasa repleta intumescunt, ita exinanita concidunt. Est secundo animaduertendum, quòd, vt innuit Galenus in Commento, Hippocrates hic per naturam, nihil aliud intellexit, nisi vires: sic enim exponit Galenus, quòd, qualis natura fuerit eius, qui perferre debet, ad hoc ducere conuenit: hoc est, tantum debemus euacuare, quantum vires sufferunt, & non labefactantur. Philotheus etiam dicit, hunc locum exponens, Ipsa autem in quantitate euacuatio metienda est ex viribus ægrotãtis: & hæc omnia respondent his, quæ dicit Galenus nono Methodi, & libro de curandi ratione per sanguinis missionem. Sed de his inferius. Sed hic aliquis dubitare posset, quare Hippocrates non assignauit causam, ob quã extrema euacuatio est periculosa: sicut fecit de extrema repletione. Ad hoc aliquis diceret, quòd oppositorũ eadem est disciplina; & sic, declarata causa vnius, causa alterius facilè potest intelligi, & ideò ab eo fuit derelicta. Nos verò, ad vberiorem doctrinam, asserimus, quòd, quemadmodum lumen extinguitur duplici cã, ita & calidum innatum. Si enim affatim oleum igni superinfundes, suffocatur: & si oleum omnino deficiat, deficit, marcescit, dissipatur, & extinguitur: quod cùm in calido innato etiam accidat, & quantum immodica euacuato obesse soleat, sit satis clarum: ideò Hippocrates prætermisit. Et nocumenta immodicæ euacuationis possunt videri quinto Aphorismorum, vbi Galenus vult, quòd immodica euacuatio, quandoque exiccat, quandoque refrigerat, quandoque vtrunque præstat. quæ qualitates vitæ nostræ sunt admodum inimicæ: consistit enim vita in calido, & humido. Sic etiam nono Methodi. vbi inquit, ex immodica euacuatione aliquos statim perijsse, aliquos in morbos grauissimos, & diuturnos incidisse, vt est aqua intercus, vẽtriculi imbecillitas, & apoplexia: libro ẽt de curãdi rõne per sanguinis missioné loco allegato, & primo ad Glauconé, habemus illud, q̃ dicebat Hippocrates

Cap. 11. & 13.
Cap. 12.
Cõmen. 56.
Cap. 10.
Cap. 14.
Cap. 27.

pocrates sexto Aphorismorū, ꝙ neq; pus in suppuratis, neq; aqua in hydrope cōtentadebet affatim euacuari: & tñ illa sunt oīno præter naturā. Ex quibus licet asserere, ꝙ multo minus debent affatim euacuari alij humores, & maximè sanguis: vt iam patere possit, quantum extrema euacuatio sit periculosa: & ideò, vt omnia euitētur incommoda, debemus euacuare quantum vires sufferunt, & ab ipsis viribus, euacuationis mensuram, & quātitatem oportet accipere. Sed aliquis in hoc obijciet, quia Hippocrates videtur varius; quoniam hic euacuationis mensuram metitur à viribus: & secundo de ratione victus in acutis, nulla facta de viribus mentione, dixit, quòd debemus euacuare vsque ad coloris mutationem: & Galenus in Commento inquit, cùm fuerit color mutatus, signum est, quòd totus sanguis peccans sit eductus. & sic videtur metiri eo loco quantitatem, & mensuram euacuationis à quantitate humoris peccantis: & tertio artis medicinalis idem confirmat, inquiens, quòd immodicæ repletioni conuenit immodica euacuatio. & hoc potest confirmari pulcherrima ratione: quoniam illud, quod non potest indicare genus auxilij, nullo pacto potest indicare qualitatem, aut quantitatē auxilij: sed virtus, & facultas non potest indicare genus euacuationis: ergo nec qualitatem, nec quantitatem euacuationis vnquam indicabit. quòd autem facultas non indicet euacuationem, habemus libro de optima secta. si enim facultas indicaret euacuationem, tunc etiam in sanis, in quibus virtus est valida, deberemus euacuare: quod est absurdum. quòd vero illud, quod non indicat genus, non possit indicare quantitatem illius generis; habemus in eodem libro, vbi hoc argumento probat contra Methodicos, quòd tempus morbi, cum non indicet genus auxilij, non potest indicare nec quantitatem, nec qualitatem auxilij. Præterea, si uires indicarent quantitatem euacuationis, tunc semper deberemus euacuare quantum vires sufferunt: sed nullus sanæ mentis, si paucus humor peccat, propter vires validas multum euacuabit: quoniam, quod est præter naturam, debet remoueri, & quæ sunt secundum naturam debent conseruari, vt habemus tertio Methodi. Ad cuius obiectionis solutionem, est notandum, quòd ad vniuscuiusque auxilij administrationem duo requiruntur: primum, vt adsit illud, quod postulat, & indicat auxilium: secundum, vt non adsit aliquid, quod potest auxilij administrationem impedire, vt habemus libro de optima secta: &, cùm veræ indicationes fiant per contrarium, vt infra latius declarabimus, morbus in curatione indicat sui sublationem; & causa præter naturam indicat sui abscissionem: & hæc propriè indicantur à morbo, & causa, quoniam semper, & quouis tempore morbus indicat sui sublationē, & semper causa præter naturam indicat sui abscissionem. Virtus verò, cum sit

Euacuandi quantitas a quibus sit mensurādi.
Tex. 10.
Tex. 60.
Cap. 42.
Cap. 45.
Cap. 3.
Cap. 38.

sit quoddam secundum naturam, & ad cuius conseruationem dirigitur tota ars, indicat sui custodiam, & sic indicat alimoniam: virium enim gratia nutrimus: & nutriendi indicatio sumitur propriè à viribus: & semper, ac quouis tempore virtus nutrimentum indicabit: &, cum vires sint custodiendæ, & multa euacuantia, & alia remedia, quæ adhiberi solent pro morborum, & causarum remotione, vires dissoluere possint, ac soleant: ideo, quamuis a morbo, & eius causa indicetur euacuatio, tamen oportet etiam considerare vires: quoniam, si sunt imbecillæ euacuatio indicata à morbi causa non potest tolerari, & sic impeditur. Si enim morbus sit a repletione, & indicat euacuationem, illud, adhoc, vt fiat euacuatio, non sufficit. Sed oportet, vt etiam non adsit impediens, ipsa scilicet facultatis imbecillitas. quod si virtus, quia robusta, euacuationi non reclamat, medicus tuto poterit euacuare: &, si pro morbi curatione multa est necessaria euacuatio, multum euacuabit, dummodo virius constet, & sufferre possit. Et sic euacuatio indicatur à repletione, species euacuationis indicatur a specie repletionis, & quantitas euacuationis a quantitate repletionis. Sed vires (cum eas dissoluere possint euacuantia) sunt in euacuatione considerandæ, tanquam potens impedire. Et ideò libro de optima secta, dicebat, quòd facultas non indicat remedium, sed potius cõtra indicat. Quid autem sit cõtra indicatio, prius in eodem libro explicauerat, inquiens, Contra indicans est illud, quod vtile quidem indicat, sed quid affectus postulat, potest impedire. Quæ definitio competit facultati, quæ indicet aliquid vtile, sui scilicet custodiam: &, cum hæc indicatio sit omnium principalissima, quando morbi causa indicat euacuationem, cum euacuantia vires dissoluant, consulimus vires, & tunc datum euacuamus, quando possunt sufferre; &, si nõ sustinent, ab euacuatione abstinemus: quoniam, etsi ratione morbi, & eius causę multa sit necessaria euacuatio, tamen oportet euacuare solum quantum vires permittunt, vt ex nono Methodi licet colligere: Et, si vires sunt omnino imbecillæ, omnino oportet ab euacuatione abstinere: si vero non sunt omnino imbecillæ, tantum debemus euacuare, quantũ ipsæ permittunt. Et ideo dicebat decimo Methodi, vbi naturaliter vires se habent, & robustæ fuerint, ne minimum quidem vacuationum vsum, siue vacuantium remediorum vsum morantur. vbi vero infirmiores fuerint, pro imbecillitatis magnitudine impeditur vacuantium auxiliorum vsus. Vt ex dictis iam colligere liceat, quòd quantitas euacuationis est sumenda a quantitate humoris peccantis. Sicut enim debemus humorem peccantem euacuare, ita etiam debemus tantam moliri euacuationem, vt totus humor peccans euacuetur: cum hoc tamen, quòd virtus possit euacuationem sufferre. Quod si virtus non permittat, sed reluctetur,

Cap. 42.

Cap. 21.

Cap. 10. & 13.

Cap. 2.

tur, tunc contraindicat, & impedit, vt medicus exequatur, quod a morbo, & eius causa indicatur: Et oportet ad vires, magis quàm ad alia, attendere: indicatio enim ab eis sumpta est omnium principalissima, vt diximus ex nono Methodi. Et, quod quantitas euacuationis sumatur a quantitate humoris peccantis, & non solum ab hac, sed etiam a uiribus, habemus ex Galeno in Commento, vbi inquit, Intentio autem quantitatis euacuationis, non solum respicit superabundantem humorem; sed etiam naturam, idest vires eius, qui perferre debet. Quibus verbis vult, quòd sumatur ab vtroque, & quòd inter hæc primò sumitur a quantitate humoris: quod declarat decimotertio Methodi, vbi inquit, Modus autem euacuationis (& per modum intelligit, mensuram) habetur tum ex redundantiæ modo, tum ex ætate, natura, anni tempore, regione, consuetudine, & ante hæc, ex laborantis viribus: volens per ultima verba, quòd regio, anni tempus, & alia, in tantum indicant euacuationis quantitatem, in quantum vires imbecillas, aut robustas esse demonstrant. Quibus omnibus præsuppositis, facilis est ad obiecta solutio: quoniam, si Hippocrates, quandoque euacuationis quantitatem, a redundãtiæ quantitate metitus est; non solum non est absurdum, sed est necessarium: quoniam, si vires non impediunt, semper in euacuatione redũdantiæ quantitatem debemus respicere: &, si animaduertimus, nec hunc scopum in hoc aphorismo prætermisit: sed, cum præposuerit athletarum immodicam repletionem, cui competeret immodica euacuatio, innuit, quòd hæc non debet fieri, nisi vires permittant: qualis enim natura fuerit eius, qui perferre debet, ad hoc ducere conuenit, & hic, si fuerit talis, vt possit totius humoris redundantis simul ferre euacuationẽ, euacuatio tota simul est facienda, aliter non. Et hac ratione Galenus dicebat, quòd immodicæ repletioni competit immodica euacuatio, sed non est facienda, si virtus euacuationi reclamat. Ad illud verò, quòd virtus, cùm non indicet genus euacuationis, nec poterit eius quantitatem indicare: dicimus, quòd sententia intelligitur de his, quæ primò, & principaliter indicant: sed facultas in euacuationis quantitate non consideratur, vt principaliter indicans, sed tanquam contra indicans, & potens prohibere, quod a morbo cum eius causa indicabatur. Et de his hactenus. Sed rursus instaret aliquis, quia videtur, quòd Hippocrates sibi apertè contradicat, asserens in hoc Aphorismo periculosam esse immodicam euacuationem, & tamen infra præcepit, vt euacuemus vsque ad animi defectum, si oportuerit. Et Galenus in multis casibus idem confirmat, tum in Commento illius Aphorismi, tum etiam nono Methodi, & libro de curandi ratione per sanguinis missionem. Ad hæc dicimus, Hippocratem non sibi contradicere, quoniam, si hic dixit, extremã euacuatio-

Cap. 11. *Aph. 23.* *Cap. 4.* *Cap. 12.*

cuatio-

cuationem esse periculosam,non dixit nullo pacto esse faciendam: nec ibi absolutè dixit, quòd debemus euacuare usque ad animi defectum: sed prius dixit, Si oportuerit, hoc est, si maxima necessitas urgeat: & posteà addidit faciendum, si virtus potest tolerare. Et sic, quamuis extrema vtatur euacuatione, præcipit tamen, tunc tantum illam esse faciendam, quando, vltra quòd urget necessitas, virtus etiam tolerare potest: & in hoc loco inquit extremam euacuationem esse periculosam. Et ideo est euacuandum quantum vires sufferunt. Adeo quòd, si virtus potest tolerare extremam euacuationem, etiam illa possumus uti ex hoc aphorismo. & sic idem in utroque loco præcipit. Et Galenus in locis allegatis fatetur, multos curasse affatim, facta sanguinis missione, usque ad animi deliquium. Et, quamuis de hac euacuatione intētio nostra sit ad plenum loqui, in expositione aphorismi vigesimi tertij; tamen pauca quædam in medium adducemus in hoc loco, sumpta occasione a quibusdam uerbis Brasauoli, qui tenet, quòd, quando Hippocrates, & Galenus præceperunt esse euacuandum usque ad animi deliquium, intellexerunt hoc exclusiue, non inclusiuè: adeo quòd eorum sententia esset, quòd debemus euacuare usque quo uidetur iam superuenturum esse animi deliquium. Quæ positio benè a quibusdam impugnatur: quoniam consideranti patet, quòd Galenus in locis allegatis animi deliquium inclusit, & non exclusit: cum dicat, euacuationem vsque ad animi deliquium iuuare in febribus synochis, ultra quod sanguis educitur, quia etiam sequitur totius habitus corporis refrigeratio: & quòd multis pro animi deliquio, quod expectabatur, secutam esse mortem, dixit libro de curandi ratione per sanguinis missionem, reprehendendo medicos sui temporis: ut patere possit inclusiue, & non exclusiue locutum fuisse de animi deliquio: monuit tamen, ut propter imminentia pericula rarissime hac euacuatione utamur: Proinde satius est, inquit, a tam copiosa euacuatione abstinere, nisi magna incūbat necessitas: &, quando ea utimur, monuit, ut pulsui simus attenti; ne pro animi deliquio mors sequatur. quia, etsi liceat euacuare usque ad lipothomiam, idest ad animi deliquium, tamen non licet vsque ad syncopin. hæc enim, vt habemus in duodecimo Methodi, differunt inter se. lipothomia enim est casus uirium cum pulsus perseuerantia: ipsa vero syncope est præceps omnium uirium lapsus, in qua omnes uires ferè destruuntur. Vt hinc liceat uidere, quàm inconsiderate Auerroes, hæc confundens, Galenum reprehendat septimo Colliget. Sed, eius rationes, in expositione Aphorismi vigesimitertij nō concludere, & esse parui momenti, clare manifestabimus.

4 Meth. Cap. 4.

9. Meth. Cap. 4.

Cap. eodem.

Cap. 5.

Cap. 6.

APHORISMVS QVARTVS.

Victus tenuis, atque exquisitus, in morbis quidem longis semper; in acutis vero, in quibus non conuenit, periculosus. Et rursus, qui ad extremum deuenit tenuitatis, grauis est. Nam & repletiones, quæ ad extremum deueniunt, graues sunt.

QVOD Aphorismus iste pertineat ad victus rationem ægris exhibendam, apud omnes est in confesso. Sed, quare, postquam de qualitate, & quantitate euacuationis, antequam de eiusdem utendi modo, & tempore pertractauerit, interrupto sermone, ad ea, quæ ad victus rationem attinerent, se intromiserit: adeo est dubium, vt nullus hucusque benè explicare potuerit. Brasauolus tenet, quod, cum in præcedenti de omni immodica repletione, & euacuatione, & exemplo athletarum præcipuè in sanis, locutus esset, in hoc aphorismo loquitur de euacuatione, & repletione, quæ fit in ægris. Quæ positio est nulla, quoniam præcedens aphorismus fuit vniuersalissimus, & ad eius probationem adductum fuit exemplum athletarum: non quòd eius intentio fuerit loqui de athletis, aut sanis corporibus, vt inquit in Commento Galenus. Montanus verò ait, quòd, cum curatio perficiatur triplici instrumento, (teste Galeno primo de ratione victus in acutis) scilicet pharmacia, chirurgia, & diæta; cum fuerit locutus de pharmacia in secundo, & de chirurgia in tertio; in hoc aphorismo incipit loqui de tertio instrumento, hoc est de diæta. Sed hæc, si recolimus, quæ dicta sunt, non est acceptanda, quoniam in secundo locutus est de qualitate cuiuslibet euacuationis: siue per pharmaciam, siue per chirurgiam fiat, & in tertio locutus est de quantitate, & mensura euacuationis, quomodocunque etiam fiat. Philotheus verò inquit, Hippocratem obseruasse pulchrum ordinem: prius enim locutus est de qualitate, & quantitate euacuationis, deinde venit ad victus rationem, de qua non tractauit ante euacuationem; quoniam non pura corpora quanto magis nutris, tanto magis lædes, vt habemus secundo Aphorismorum. Quæ positio, quamuis explicet, quare prius de euacuatione, & postea de victus ratione: tamen non explanat, quare interrupto sermone de euacuatio-

Cõmen. 6.

Aph. 10.

ne,ad

ne, ad tractandum de victus ratione deuenit: Galenus verò in huius aphorismi introductione hæc verba protulit: Cum in superiori aphorismo de qualibet immodica repletione, & euacuatione locutus fuerit, in hoc de ægrotantium victu sermonem habet. Quæ verba non sunt sic simpliciter intelligenda, vt multi autumarunt: quia non solum voluit innuere, quòd post sermonem de omni repletione, & euacuatione, loquitur de victus ratione: si enim hæc sua fuisset sententia, esset, vt pluries fecit, de Hippocratis ordine conquestus: qui, antequàm absoluisset de euacuatione tractatum, de victus ratione tractare incipiat: & ideò existimo hoc pacto esse intelligendam Galeni continuationem: quod, cum Hippocrates locutus fuerit de omni immodica repletione, & euacuatione, generaliter in præcedenti aphorismo: in hoc loquitur de eadem immodica repletione, & euacuatione particulariter in victus ratione ipsorum ægrotantium: quod clarè innuebat in introductione præcedentis aphorismi, vbi dicebat: illum, qui antecedit, sermonem esse de eorum, quæ euacuantur, qualitate: in hoc autem, & sequentibus vult de quantitate docere, & ab immodica repletione, & euacuatione sumit initiũ. Quibus aperte fatetur, quòd Hippocrates non solum in præcedenti, sed etiam in hoc quarto, & sequentibus, de euacuationis quantitate pertractat: & in declaranda quantitate in præcedenti, sumpsit initium ab immodica repletione, & euacuatione. quas, si extremæ fuerint, dixit esse periculosas. Ideo sub eadem ratione subiunxit, in hoc aphorismo, periculosum esse victum extremè tenuem, & extreme crassum, siue plenum: quoniã extremè tenuis reponitur inter extremas euacuationes: & extremè crassus, inter extremas repletiones, vt asserit Galenus primo de ratione victus in acutis, vbi dixit, quòd Hippocrates in victu media incessit via, & nec extremè tenui vsus fuit victu, nec extremè crasso, quoniam ab omni extrema euacuatione, & repletione semper abstinuit: nec hoc debet videri mirum, quia inter genera euacuationũ, Galenus numerat etiam inediã, quãuis non per se, sed per accidens euacuet; ut infra explicabimus. Sed aliquis diceret: nonnè melius fuisset, si statim a principio a victus ratione incepisset: & maxime, quia a medico, antequam fiat de euacuatione aliqua mentio, victus ratio ægris instituitur; & præsertim, quia hunc ordinem seruauit in libris de victus ratione in acutis. Ad hoc dicimus, quòd Hippocrates incepit ab euacuatione in generali, tum quia est maxima artis pars, ut dictum est: tum etiam quia includit victus rationem, vt ex Galeno probauimus. loquendo tamen de victus ratione in ægris, & maximè patientibus morbos acutos, in quibus semper per victum tenuem fit quædam per accidens euacuatio; ut infra patebit. Vel dicas, hoc fecisse ob aliam causam:

Cõmen. 21. & 25.

4. aph. 2. & alibi.

causam: & est, quia quãdoque medico soccurrit prius esse euacuandum, quàm nec de victus ratione loquendum. quod accidit in aliquibus morbis maxime periculosis. quod testatur Hippocrates primo de ratione victus in acutis: vbi inquit, In quibus lateris dolor assiduus, & calidis fomentis non remittitur, ac sputum non procedit: nisi quis dolorem, vel alui subductione, vel secta vena, pro vtriusuis exigentia soluerit, ptissanam autem ita affectis dederit, præcipitem agit in mortem: idem postea de ptissanæ cremore. Et, si Galeni Commentaria in illum librum animaduertimus, pluries hanc Hippocratis sententiam explanat. Et ideò, cum quandoque prius medico occurrat euacuatio, quàm victus ratio, non est mirum, si ab euacuatione incepit; &, si libro allegato cepit à victus ratione, hoc fuit propter id, quod principaliter, contra antiquorum opiniones in illo libro intendebat, vt eius inscriptio etiam manifestat; &, cum in illa tractatione multoties, antequam victus exhibeatur, euacuandum esse concluserit: ideò in hoc libro ab euacuatione incepit, & maximè quia hic tota ars, & non artis pars continetur. Et, quod hoc sit verũ, hoc pacto potest confirmari: in euacuatione oportet primum scire, quis humor debet euacuari; secundo, quanta debet esse euacuatio; tertio, quo ad vtendi modum, quo tempore, & per quam regionem debet fieri euacuatio. quis humor debet euacuari, habetur ab ipsomet humore peccante, quem dignoscere licet ex proprijs indicijs, & alijs, vt dictum est: quãta debet esse euacuatio, habetur ex quantitate redundantiæ, considerando simul ægri vires: sed quo tempore, & per quam regionem fieri debeat euacuatio, vult Hippocrates, vt determinemus obseruando naturæ motum; & euacuemus quo tempore fieri euacuatio solet ab ipsa natura, si ipsa non euacuat, & si incepit euacuare, & non perfectè debemus supplere, sed per eandem regionem, ad quam natura vergit, & per quã iam cœpit euacuare: sed, quia natura non euacuat nisi facta concoctione: & hic in fine vigoris: hinc sequitur, quod, quamuis prædictis rationibus Hippocrates ab euacuatione incepit, de ea tractauit tantum, quæ haberi possunt sine obseruatione naturæ: & maximè quia obseruatio actionum naturæ circa regionem, & tempus euacuationis, fit in vigore, & victus ratio debet multo ante institui. immo eius institutio tota consistit in futuri vigoris præcognitione, cum eo magis sit attenuandus victus, quo propinquior est morbi vigor. Et sic, cum ea, quæ attinent ad euacuationis vtendi modum, haberi non possint nisi per obseruationem naturæ in vigore, & victus ratio sit sumenda à præcognitione futuri vigoris: non immerito, antequam de vtendi modo, & tempore euacuationis pertractet, de victus ratione sermonem introduxit. Sed iam ad Aphorismum accedamus, in quo

Tex. 33.

Tex. 41.

quid

quid velit circa victum præcipere, (omissa aliorum sententia, vt plurimum namque allucinantur) intendimus ex ipsomet Hippocrate colligere in libris de ratione victus in acutis: quoniam nec præsens, nec qui sequitur aphorismus intelligi potest, nisi, quæ ibi dixerit, benè perpendantur. quod enim hic aphoristicè, idem ibi fusiori sermone explicauit. in primo enim de ratione victus in acutis duplici, vt Galenus asserit, definito procemio in textu decimo tertio cœpit de victus ratione tractare: incipiens à dubitatione pulcherrima; & est, vnde est, quòd aliqui antiquorum in omni morbo vtebantur tota ptissana, aliqui ptissanæ cremore, alij verò vtebantur alio victu diuerso ab vtrisque, & hoc per totum morbum, & in omnibus morbis: medici enim illi semper insistebant in eodem victu in quouis morbo; siue morbus esset acutus, siue longus: quòd si æger ex tali victu aliquam sentiebat offensam, statim illos occultè deliquisse suspicabantur. Et sic, vt Galenus eo loco asserit, quamuis de solis acutis videtur præposita quæstio, tamen est in omnibus alijs vniuersaliter intelligenda: semper enim consueuit Hippocrates, ex vno particulari sententiam inferre vniuersalem. Et prædictam quæstionem ad longum disputat Hippocrates: &, quamuis in eius solutione satis fuerit obscurus: tamen Galenus, in eius Commentariis resumens omnia dicta Hippocratis, inquit, quòd omnes antiqui ex parte verum dixerunt, & ex parte fuerunt circumuenti: quoniam, quod inuenerunt vtile vni morbo, omnibus alijs esse vtile existimauerunt: quod est omnino absurdum. Hunc eundem errorem, in hoc aphorismo breuissime remouere statuit: in quo probare intendit, quod est impossibile, dari talem victum, qui omnibus morbis possit competere: sed de necessitate oportet, vt varietur victus ratio, iuxta varietatem morborum. Et non sine ratione tum hic, tum libro de ratione victus, volens de victus ratione tractare, ab hac quæstione sumpsit initium: quoniam, Galeno teste libro allegato, ex huius quæstionis solutione, qua victus ratione in singulis morbis vti debeamus, facilè licet inuenire. Sed ad aphorismum descendamus, qui mea sententia diuiditur in duas partes: & in prima parte ponitur (quodam præposito exemplo) ratio ipsius aphorismi: in secunda parte (quicquid alij dicant) ponitur aphorismus: exemplum est particulare, aphorismus, qui infertur, est vniuersalis, vt infra patebit. &, vt benè intelligatur secunda pars, quæ continet aphorismum; primo explicabimus primam partem, ad cuius intellectum oportet multa præscire: & primò, quid intelligat per victum: secũdo, quotuplex est victus: tertiò, quotuplex est morbus, & quotuplex est morbus acutus: quia, istis cognitis, facilè prima pars intelligetur.

Tex. 13.

Cõm. 13. & 42.

Quò igitur ad primum, est sciendum, quod Hippocrates in his aphorismis agit de victus ratione: sed victus ratio non solū includit cibum, & potum, sed etiam omnia necessario alterantia, quæ a Galeno narrantur tertio artis medicinalis, quæ non naturalia a medicis appellantur, & sunt aer, cibus, & potus, somnus, & vigilia, motus, & quies, inanitio, & repletio, & animi affectus: omnia enim hæc in parte diethetica, idest in victus ratione includuntur, vt habemus tertio Epidemion; vbi Galenus inquit; Victum appello non hunc tantum, qui cibo, & potione constat, verum etiam omnibus alijs, vt otio, & exercitatione, balneo, venere, somno, vigilijs, & alijs, quæ in corporibus humanis fiunt. Et libro ad Thrasybulum: Quæcunque de aeris natura, locorum, ventorum, aquorum, anni temporum noscenda sunt. Item de cibis, & potibus, & exercitijs accuratissimè præcepit Hippocrates: ex istis enim victus ratio integratur. Clarius, & breuius primo de ratione victus in acutis: Is curationis ductus, & contectus, qui fit per consuetam materiam, diæta, idest victus ratio nuncupatur; consuetam materiā vocans ea, quibus, velimus, nolimus, necessario vtimur, & sunt illa sex enarrata. Sed est notandum, quòd; etsi victus ratio dicta omnia includat; tamen Hippocrates in hac prima particula, per victus rationem intelligit tantum eam, quæ versatur circa cibum, & potum: & de his etiam, quæ asserit Galenus in suis Commentarijs, sunt intelligenda. Sed, antequàm victus differentias indagemus, est sciendum, quòd alimentum non exhibetur gratia morbi, sed gratia virium:, vt inquit Galenus in Commento; &, si in citatione consideramus morbum, illud accidit, quia in citatione contra indicat; & potest impedire: quoniam, sicut in euacuatione consideramus vires non tanquàm principaliter indicantes, sed tanquàm contraindicantes, & potentes impedire: ita in citatione consideramus morbum, & morbi tempora: hæc enim non indicant alimentum, sed contra indicant, vt habemus libro de optima secta: & ratio, quare morbus prohibeat alimentum, est, quia morbus indicat sui sublationem: alimentum verò morbum non aufert, sed auget; quoniam semper ex excrementis, quę ab alimento resultant, additur aliquid in causa morbi. Et ideò Hippocrates septimo Aphorismorum dicebat, siquis febricitanti cibum dederit, vt sano robur; sic laboranti morbus: & Galenus in Commēto inquit, quòd fuit impropria locutio, quoniam cibus non est robur in sanis, sed robur auget; sic etiam nō est morbus in ægris, sed auget morbum: & ideò aliter in ægris, aliter in sanis cibamus: quamuis semper eodē modo virtus indicat alimoniam. Si namque morbosam dispositionem (vt inquit Galenus libro primo de ratione victus in acutis) nullo pacto ostenderet alimoniam; nos, virtuti soli atten-

Cōmen. 3. Cōmen. 9. Cap. 35. Cōmen. 6. Cap. 43. Aph. 62. Cōmen. 44.

attendentes, ægros, vt sanos, aleremus: sed, quoniam sæpius, vti diximus, noxam affert, ob id morbi affectionem, non tanquam cibi indicatricem, sed tanquam prohibitricem contemplamur. Et sic, cum in sanis nō adsit prohibens, alio pacto nutrimus, quàm in ægris: & cū morbus prohibeat alimoniam, tantò magis prohibet, quanto ipse fuerit maior: & ideo in morbi vigore magis, quàm in alijs temporibus a cibo abstinemus. Et hæc sint dicta ad intellectum eorum, quæ sequuntur. Victus autem in sua prima diuisione est triplex: plenus, mediocris, & tenuis: plenus victus est, qui non solum vires seruat, sed etiam auget; & hoc vtimur in sanis: mediocris est, qui vires conseruat, & non auget; & hoc vtimur etiam in sanis, & in morbis longis: tenuis vero victus est, qui vires quodammodo diminuit, vel qui vires parum debilitatas seruat; & hoc victu vtimur in morbis, & maximè in acutis: nam, si tales (vt inquit Galenus in Commento) properaremus in istis seruare vires, quales à principio accepimus, semper fieret additio ad morbum. quòd si hoc vteremur in morbis longis, virtus non posset sufferre vsque ad morbi solutionem: & ideò oportet in eis vti victu mediocri, vt infrà explicabitur. Victus verò tenuis subdistinguitur in victum tenuem, & tenuem in extremo: tenuis adhuc subdiuiditur in tenuem exquisitè, vt cremor ptissanæ, & tenuem non exquisitè, vt tota ptissana: Tenuis in extremo adhuc duplex: quoniam vel est tenuissimus in extremo, ut omnimoda inedia, & nihil penitus dare: vel est tenuissimus non in extremo, vt est dare melicratum. Et hæc diuisio est collecta ex Galeni Commento, cum exemplis ab eo positis. Est tamen in hoc animaduertendum, quòd, non recedendo ab Hippocratis sententia, nunc non debemus adeo attenuare victum, vt eius tempore; quia, ipsomet præcipiente, debemus respicere consuetudinem, vt fusissime secundo de ratione victus in acutis scriptum reliquit. &, quantum circa ciborum copiam, in temporum varietate consuetudines sint mutatæ, cōiectari licet etiam ex ipso Galeno, qui sexto Aphorismorum exclamabat, quod tempore suo non erat sobrietas in victu, vt tempore Hippocratis: & primo de ratione victus in acutis inquit, quod tempore Hippocratis erat in victu tanta sobrietas, vt mane, solo pane; & sero, sola carne vescerentur: & tamen, si nos volumus comparare hæc tempora ad Galeni tempora, absque dubio, vt optimè explicat doctissimus Manardus libro decimotertio suarum epistolarum, inueniemus homines gulæ, & ventri nunc multo magis indulgere, quàm eius tempore: & non solum plures cibos nunc ingurgitare, sed etiam varios, & diuersæ naturæ, & in eodem tempore, & multoties etiam nullo seruato ordine. Et ideo non est

Cōm. 18.

Cōm. 18.

Epist. 1.

a ratione alienum, vt quidam optimè animaduerterunt, circa victus rationem, ob diuersam consuetudinem, Hippocratis dicta quodammodo ampliare, vt pro tenuissimo in extremo victu, non ipsa inedia; sed eo, qui apud ipsos habebatur pro tenuissimo non in extremo, vti possimus, & erat melicratum, nos autem, cum abundemus saccharo, possumus vti aqua sacchari, in qua etiam ordeum fuerit decoctum: sic etiam pro tenuissimo non in extremo, possumus vti victu, qui apud illos habebatur pro tenui, exquisitè; & est cremor ptissanæ; & eadem ratione licet mutare in aliis, vt semper aliquantulum pleniorem victum exhibeamus ob dictam causam. De morbi verò diuisione, quod tertio erat sciendum, dicendum est, quòd morbus potest dupliciter diuidi; vno modo, in breuem, & longum; alio modo, in acutum, & tardum, vt habemus tertio de diebus decretorijs. Et istæ diuisiones differunt: quoniam, quamuis tardus coincidat cum longo, breuis tamen non coincidit cum acuto: sunt enim aliqui morbi, qui sunt breues, & non sunt acuti, vt febris ephemera: quoniam ad acutum non sufficit, vt citò terminetur, sed oportet etiam, vt magnitudinem habeat, vt habemus in secundo Aphorismorum. Morbus verò acutus est duplex, peracutus scilicet, & acutus: & peracutus adhuc duplex: vel enim est simpliciter peracutus; & terminatur in primo quaternione: & hunc Perperacutum barbaram sectantes medicinam appellant: vel est peracutus non simpliciter, & exquisitè, & terminatur in septem diebus: acutus verò est triplex: vel exquisitè acutus, & terminatur quatuordecim diebus; vel non exquisitè acutus, & terminatur viginti diebus; vel acutus ex mutatione, ex decidentia, vel ex degeneratione, (omnibus enim istis nominibus licet eum appellare) & terminatur quadraginta diebus, & de hoc loquebatur Hippocrates in primo Prognosticorum: & Galenus in tertio Aphorismorum. Et hæc diuisio morborum sumpta est a Galeno, libro secundo de diebus decretorijs. Et, his distinctionibus habitis, facile erit victum morbis adaptare; quoniam exquisitè peracutis exhiberi potest victus tenuissimus in extremo, qui secundum Hippocratem, & Galenum est nihil dare; & iuxta nostram sententiam erit dare melicratum, vel aquam sacchari: peracutis non simpliciter, & exquisitè exhibebimus victum tenuissimum non in extremo, hoc est melicratum secundum Hippocratem; &, secundum nostram sententiam, cremorem ptissanæ: acutis exquisitè secundum antiquos exhibebimus victum tenuem exquisitè, hoc est cremorem ptissanæ: & nos exhibebimus totam ptissanam, hic & in alijs, vt in acutis non exquisitè, iuxta Hippocratis sententiam dabimus totam ptissanam; & nos dabimus contusum pulli, & iura consumpta; quibus cum

Cōmē. 19. *Tex. 24.* *Cōmē. 28.* *Cap. 12.*

cum tota carne pullorum, tutius uti possumus in acutis ex degeneratione, in quibus non tenuem victum, sed mediocrem oportet adhibere; ut vsque ad morbi uigorem uires sufficere possint. Sed, his præhabitis, ueniamus ad expositionem primæ partis aphorismi: in qua cum intendat remouere antiquorum errorem, qui uno, & eodem uictu indifferenter, in morbis omnibus utebantur, accepit inter victus morborum acutorum illum, qui est in medio inter extremam tenuitatem, & crassitiem, & est victus, qui competit acutis exquisitè, qui est victus exquisitè tenuis, cuius exemplum erat secundum Hippocratem cremor ptissanæ: hic victus est mediocris respectu aliorum, cum non accedat ad omnimodam inediam, ut tenuissimus in extremo; nec ad solum melicratum, ut tenuissimus non in extremo: nec etiam accedit ad multam crassitiem, ut victus acutorum ex degeneratione, quibus competunt oua, & carnes: nec etiam habet crassitiem, quam habet victus acutorum non exquisitè; in quibus Hippocrates totam ptissanam exhibebat,& nos contusum pulli, & iura consumpta. Accipiens ergo Hippocrates cremorem ptissanæ,uel aliquid simile, qui est in mediocritate quadam constitutus, & exquisitè tenuis victus appellatur; vult nobis in hac parte explicare, quòd,si impossibile est, ut hic victus, qui mediocris est, possit competere omnibus morbis; quoniam aliquibus non conuenit ob immodicam tenuitatem; aliquibus uero ob immodicam crassitiem; ergo non poterit dari victus, qui morbis omnibus conueniat. hic enim non competit in morbis longis: quia in illis semper est periculosus; vires enim cum illo non possunt usque ad morbi solutionem sustinere. Est etiam periculosus in acutis, in quibus non competit; hoc est in illis, qui tantam habent acutiem,vt multo tenuiori indigeant victu,& sunt morbi peracuti, quibus non exquisitè tenuis, sed tenuissimus exhiberi debet.Et sic idem victus non conuenit in morbis longis,quia est admodum tenuis.& non conuenit in peracutis,quia est admodum crassus: & non immeritò loquendo de acutis, dixit, In quibus non conuenit: voluit enim denotare, quòd ille uictus non in omnibus acutis est periculosus: quia aliquibus conuenit; & sunt acuti simpliciter: quibus propriè talis victus tenuis, & exquisitus assignabatur: & ideò idem victus respectu aliquorum morborum erit conueniens: respectu quorundam erit crassus: & respectu quorundam aliorum erit tenuis: & ideo erit impossibile inuenire uictum, qui omni morbo possit indifferenter competere. Sed est sciendum, quòd per acutos morbos, in quibus non conuenit Brasauolus, & alij intellexerunt acutos decidentiæ: & dedit eis occasionem errandi Leonicenus, qui in commento Galeni addidit negationem: ubi enim

ait,

nit, quòd adiectum est sermoni de acutis, in quibus non conuenit: dictum est propter peracutos, de quibus statim dixit, vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extremè tenuissimo uictu utendum est: quasi voluerit dicere, quòd Hippocrates in dicto aphorismo voluit, quòd non victu tenui, & exquisito in peracutis vti debemus, sed tenuissimo in extremo; & Leonicenus addidit negationem, dicens, illud non esse dictum propter morbos peracutos. Quæ negatio totum sensum perturbat, & absque dubio debet remoueri, quia non est in Græco codice; & miror, quòd à dictis expositoribus non fuerit animaduersum. Et est etiam circa verba notandum, quòd, vbi nos habemus, Morbis, Græcus codex habet, Pathesi, idest passionibus. Et aliud est dicere Passionem, aliud dicere Morbum. quia multa est inter Pathos, idest passionem, & Morbum differentia: pathos enim significat alterationem, quæ est in fieri; & morbus non est alteratio, & affectio, sed est affectus, quoniam est quid factum, & permanens: ut habemus secundo Methodi, & libro de differentijs symptomatum. vt liceat dubitare, quare Hippocrates tum hic, tum in aphorismo uigesimo quarto vocauit morbos passiones. Sed dicatis ex Galeno locis allegatis, quòd, quamuis, propriè loquendo, morbus distinguatur à passione: tamen antiqui vtebantur nomine Passionis, etiam in ipsis morbis: sicut vocant causam, quæ non amplius facit, sed fecit, Sed diceret aliquis, quòd, etsi antiqui usurpauerint nomen Passionis, pro morbo: tamen intellexerunt per passionem, non omnem morbum, sed solũ diutinum. Ad hoc respondet Galenus tertio Aphorismorum, non esse verum, quòd antiqui vsi fuerint nomine Passionis in solis diuturnis morbis, sed etiam in acutis. & adducit in testimonium hunc aphorismum, & aphorismum vigesimum quartum huius libri, in quibus vsus est nomine Passionis in morbis acutis. Et rursus, qui ad extremum deuenit tenuitatis, grauius est. Hæc est secunda aphorismi pars, quæ a Galeno non exponitur: & apud expositores fuit satis obscurum, quid per hæc Hippocrates voluerit. Et nos, vt ipsum reddamus locupletiorem, diximus, quòd hæc pars continet aphorismum uniuersalem, qui potest inferri ex exemplo particulari, quod fuit positum in prima parte. Hic enim fuit Hippocratis mos, vt pluries dictum est, ut ex vno particulari sententiam proferant vniuersalem. & eius sententia est hæc: si est inconueniens vti victu mediocri in omnibus morbis indifferenter: quia, etsi aliquibus conueniat, tamen respectu aliquorum est plenior, quam oportet: respectu vero quorundam aliorum est tenuior, quàm conueniat. Ergo possumus uniuersaliter inferre, si hæc incommoda sequuntur ad victum mediocrem, multo magis erit grauis, difficilis, & periculo-

Cap. 2.
Cap. 1.
Cõmen. 28.

periculoſus,qui ad extremum deuenit tenuitatis,aut craſſitiei: ſi eo indifferenter uti volumus in omnibus morbis. Sed eſt notandum, quòd victus, qui ad extremum deuenit tenuitatis,in quo vel nihil damus,vel melicratum, uel aliquid ſimile , non ſolum eſt grauis,moleſtus,& periculoſus in morbis: in quibus non conuenit; in quibus aliqui antiquorum eo utebantur: ſed eſt etiam periculoſus , & grauis in morbis , in quibus conuenit : quoniam nec in illis vti debemus tali victu ſine maxima præmeditatione: quoniam talis victus eſt grauis ratione ægrotantium: qui non omnes poſſunt etiam in morbis,in quibus conuenit cum illo perdurare . Eſt etiam grauis ratione medicorum , qui hoc debent uti cum maxima præmeditatione : ne,viribus in morbo deficientibus, incurrant in infamiam : faciliter enim quiſque coniectari poterit, non ui morbi,ſed fame potius ægrum perijſſe. Eſt etiam grauis,& moleſtus hic victus ratione aſtantium , qui non poſſunt ſufferre, vt talis inſtituatur victus.quoniam exiſtimant medicos hac victus ratione ægros fame necare,potius, quàm ritè curare . Et ideo talis victus inſtituendus eſt, in ſolis exquiſitè peracutis , & etiam in illis cum præmeditatione, & maxima cautela . Nam & repletiones graues ſunt. Quidam exiſtimarunt,quòd per hæc probet Hippocrates quæ dixit,ab oppoſito,ac ſi dixiſſet , vultis videre , quòd extremè tenuis victus eſt grauis : quoniam etiam extremæ repletiones ſunt graues : quod in præcedenti aphoriſmo eſt probatum . Sed eſt notandum , quòd ad hoc, ut dicatur ſumma repletio,& extrema, in ægris cibandis, non oportet, ut ægri veniant ad illam athletarum repletionem, ſed ad extremam ægrorum repletionē, ſatis eſt,vt æger paulo vberiori, quam oporteat, utatur cibo:ita ut a uiribus morbo grauatis , minimè confici poſſit : & tali victu utebatur Petrona, ut dicemus.Nos vero cum Philotheo hanc partem alio pacto dicimus eſſe exponendam . Quoniam Hippocrates non ſolum vult probare primam partem, ſed ſimul, & ſemel vult reprehendere extremam repletionem in morbis : ſicut prius reprehenderat extremam tenuitatem: quia, ſicut in omni morbo , extremè attenuare uictum, eſt periculoſum,ita etiam periculoſum eſt, in omni morbo extremè replere:quia omne nimis eſt naturæ inimicum . Et Hippocrates, fugiens extrema,media inceſſit uia,ut habemus primo de ratione victus in acutis: quoniam ſemper ab omni immodica, & extrema tum repletione,tum euacuatione ſe abſtinuit:ut habemus libro eodem. Vt hinc pateat deridendos eſſe illos, qui dicebant Hippocratem ægros repleuiſſe,& ciborum copia ſuffocaſſe : cuius ſententiæ fuit Theſſalus : quemadmodum deridendi ſunt illi , qui dicebant Hippocratem ægros famæ necaſſe : cuius ſententiæ fuit Eraſiſtratus : ut habemus primo de ratione uictus . Et ſic in

Cōmen. 25.

Cōmen. 21.

Cōmen. 24. & 25.

hoc

hoc aphorismo sunt reprehensæ omnes victus rationes ab antiquis institutæ. quarum quædam erant monstruosæ, quædam non: monstruosæ erant in omnibus morbis nihil penitus dare, ac omnimodam præcipere inediam, ut faciebat Thessalus. vel exhibere in omnibus morbis statim a principio carnem assam, & vinum nigrum, vt faciebat Petronas; vt patet primo de ratione victus. Hæ duæ positiones clare reprehenduntur: Si enim exhibere victum quodammodo mediocrem in aliquibus non conuenit, quia plenior; in aliquibus, quia tenuior, quam oportet: ergo multo euidentiores erunt noxæ plenioris victus in maxima repletione; & noxæ tenuioris victus in extrema tenuitate. Vt ex his pateat, extremam repletionem, & in victu extremam tenuitatem esse periculosam. aliæ vero victus rationes, quæ non erant monstruosæ, ut dare in omnibus morbis totam ptissanam: vel cremorem ptissanæ, vel melicratum, & oximel: reprehenduntur etiam in hoc loco, quoniam omnes istæ victus rationes in aliquibus non conueniunt, ob immodicam tenuitatem, vt in morbis acutis decidentiæ, & morbis longis. Et in aliquibus non conueniunt: quia sunt crassiores, quam oporteat: adminus secundum morem victitandi tempore Hippocratis: quoniam tota ptissana in morbis exquisite peracutis est victus plenior, quam deceat, sic & cremor ptissanę. Vt ex omnibus colligere liceat, esse impossibile dari victus rationem, quæ possit morbis omnibus indifferenter competere: quoniam (Galeno primo de ratione uictus in acutis teste) diuersi morbi indigent diuersa victus ratione. aliqui enim indigent omnimoda inedia, aliqui melicrato, aliqui cremore ptissanæ, aliqui tota ptissana, aliqui victu pleniori. Et ideo antiqui ex parte uerum dixerunt, & ex parte fuerunt circumuenti, existimantes, quod uni erat utile, omnibus aliis conuenire; quod omnino est a ratione alienum. Posset autem, non recedendo ab eadem sententia, melius, & facilius totus aphorismus hoc pacto exponi. quòd Hippocrates, intendens reprehendere antiquorum sententias de victus ratione, & illarum quædam erant monstruosæ, quædam non; in prima parte reprehendit opiniones non monstruosas, quoniam impossibile est unico uictu, uel ptissana, uel eius cremore, uel aliquo alio indifferenter uti in omni morbo. In secunda parte, ex prima infert contra monstruosas uictus rationes: quoniam, si illæ, quæ sunt mediocres, non possunt accommodari omnibus morbis, quanto magis illę, quę sunt monstruosæ, sunt penitus repellendæ?

Cōmen. 13. & 17.

Cōmen 37. & 42.

APHO-

APHORISMVS QVINTVS

In tenui victu ægri delinquunt: quo fit, ut magis lædantur. Quicunque enim error committitur, maior in hoc fit, quàm in paulo pleniori victu. Propterea etiam sanis periculosus existit valde tenuis, exquisitus, & constitutus victus, quoniam errores grauius feruntur. Ob hoc igitur tenuis victus, atque admodum exquisitus, eo, qui est paulo plenior, magis periculosus.

APHORISMVS iste est difficillimus, & diuersimodè ab expositoribus intelligitur: & iuxta eorum diuersitatem, vario etiam modo præcedenti annectitur. Quoniam barbaram sectantes medicinam, existimarunt nihil aliud facere hic Hippocratē, nisi quòd in uictitando docet, semper esse melius ad pleniorem, quàm ad tenuiorem victum inclinare: virtus enim tali victu in suo robore conseruatur: & errata, quæ in victu contingunt, melius corrigit. In victu autem tenuiori redditur imbecilla; & errata in victu contingentia difficulter potest emendare. Et hinc exiit adagium, ad vetulas etiam communissimum, quòd melius sit pugnare cum morbo, quam cum imbecillitate. Et iuxta hanc expositionem aphorismum introducunt, quòd, cum Hippocrates dixerit, uictum tenuem, & exquisitum esse periculosum in morbis longis semper, & in aliquibus acutis: & quòd multo magis periculosus est, qui ad extremum deuenit tenuitatis: in hoc aphorismo explicat, quòd propter pericula, quæ ex tali victu imminent, debemus potius semper ad pleniorem, quam tenuiorem victum inclinare. Quæ positio est satis absurda, & contra Hippocratis mentem: qui huius oppositum scriptum reliquit secundo de ratione victus in acutis, per hæc verba: Ciborum autem adiectioni intendendū multo minus: subtrahere verò omnino sæpenumero expedit. Et Galenus in Commento inquit: Cognoscens præsidiorum singulorum quantitatem artificiosa egere coniectura, artificiosè autem coniicere, viri esse, qui vires omnes eorum, quæ in arte sunt, didicerit, memoriæ mandauerit, atque diligentia omni adhibita, sese in operibus artis exercuerit: paucique tales existant, iure optimo, quæ præsenti inquam dictione referuntur, ascripsit: in quantitate ipsa, ad id minus procedendum

Tex. 38.

esse

esse magis, quàm ad id, quòd exuperat: ubi quis a victo modo abscedit; admonens nempè, quod plus est, exuperatque: noxas interdum inemendabiles facit: uerum, quod minus est, facile emendatur. nempè, si virtus elabi videatur, cibi exiguum ministrare possumus. verum, si in ventrem absortus fuerit cibus: quod redundat, superfluitque: si alias multo magis in acutis morbis tollere est difficile. Ex quibus verbis clarè habemus, quòd, quando a iusto modo est declinandum, melius est inclinare ad tenuiorem, quàm pleniorem victum. Et idem confirmat infra eodem libro, ubi, cum prius declarasset, virium imbecillitatem, quandoque ob resolutionem, quandoque uia grauaminis accidere. Et, quando est ex resolutione, indiget instauratione per cibum; quando per uiam grauaminis, indiget euacuatione. Dubitat posteà, quis error esset maior in imbecillitate ex resolutione, in qua indigemus cibo, euacuare: uel in ea, quæ est per uiam grauaminis, in qua indigemus euacuatione, cibum exhibere. Et vult Hippocrates, quòd minus malum est, euacuare eos, qui indigent repletione, quàm replere eos, qui indigent euacuatione: quamuis illud sit magis derisibile. Et Galenus in cōmento inquit, quòd, qui cibum his exhibet, qui indigent euacuatione, maximum affert detrimentum. uerum, qui ex uasorum inanitione parum valent, hos si quis diæta tenui presserit, lædet: quamquam nō equè euidenter, uel celeriter. Vt iam pateat falsum esse, quòd sit tutius inclinare ad pleniorem, quàm tenuiorem victum. Et ideo Manardus libro quarto epistolarum istorum sententiam reprehendit. Et expugnata barbarie, aphorismum aliter introducit, & exponit, & inquit, quòd, cum dixerit Hippocrates in aphorismo præcedenti, victum tenuem, & exquisitum esse fallacem in multis morbis, in hoc aphorismo explicat, respectu cuius, uictus ille dicitur fallax, & periculosus: & inquit, quòd est talis respectu paulo plenioris. Et ideo, vt denotaret, quòd sermo est de magis, aut minus tenui, addidit Paulo: quoniam nō comparat victum tenuem, victui pleno: sed tenuem, paulo pleniori, hoc est minus tenui. & vult, quòd hic declaret ideo uictum tenuem esse periculosum, quia in eo ægri errant: &, nisi errarent, nullum in eo esset periculum. Adeo quòd non propterea errant in eo, quia est periculosus, sed contra, ideo est periculosus, quia in eo peccant. Sed, quamuis Manardus bene barbariem expugnauerit: tamen eius positio non potest facilè Hippocratis, & Galeni verbis adaptari. & non est mirum: fuit enim primus: & primi non possunt esse complementum. Brasauolus, quem in quadam annotatiuncula videtur secutus fuisse Cenomanus, sic aphorismum introducit, & eius sententiam explicat; Cum dixerit Hippocrates in præcedenti, tenuem, & tenuissimum victum esse periculosum; in hoc aphorismo

Tex. 49.

Epist. 2.

rismo explicat causam, quare est periculosus: & inquit, esse periculosum, quia eo errores sunt maiores, & difficilius corriguntur: accidit autem periculum, quia ægri in eo delinquunt. Volens per hæc Hippocrates, in victu tenui administrando, medicos debere esse admodum cautos, & ægros admodum obedientes, ad hoc, ne aliquis contingat error, quoniam errata in tenui victu sunt magis periculosa, & difficilius corriguntur, quam in paulo pleniori: &, iuxta istorum sententiam, Hippocrates non facit hic comparationem inter vnum victum, & alium, sed comparat errata, quæ in illis solent contingere, volens per hæc, vt medicus sit magis cautus in instituendo victu tenui, quàm paulo pleniori: cum in eo errata sint maioris momenti, & difficilius corrigantur: Et hęc expositio est satis pulchra: Cum hoc tamen mihi uidetur, quòd non explicet veram Hippocratis sententiam: Cum meo iudicio, ut etiam prius diximus, eamet hic aphoristicè doceat, quæ in libro de ratione victus fusius explicauit. Et ideo ex his, quæ ibi scripta sunt, veram aphorismi sententiam explicare conabimur: & tenemus, & quòd Hippocrates in hoc aphorismo, antequam ad victus rationem instituendam descendat, reprehendit alium antiquorum medicorum errorem. Et, ut intelligatur nostra sententia, est sciendum, quòd, cùm nos nutriamus gratia virium, si cibus non læderet ratione morbi, semper eodem modo nutriremus: sed, quoniam alimonia morbum fouet, & auget, vt ex Galeno in præcedenti aphorismo diximus, ideo in ægrotantium cibatione, non solum vires, vt indicantes, sed etiam morbum ut prohibentem, contemplamur: & morbus eo magis alimoniam prohibet, quo fuerit vehemētior: vnde magis attenuamus in peracutis, quàm in aliis: & magis in vigore, quam in aliis temporibus. tunc enim phlegmasiæ maximæ existunt: & vehementissimus est morbus: &, si magis prohibet morbus, quando est maior, minus prohibet, quando est minor. & hac ratione circa tempora morborum minus prohibebit in principio, quàm in vigore: circa principia enim, & fines (teste Hippocrate secundo aphorismorum) omnia sunt inbecilliora. *Aph. 30.* Hoc autem supposito, est notandum, quòd multi antiquorum errabant in hoc: quia à principio ægros inedia macerabant, deinde quarto, vel quinto die cibabant, obseruantes mirabilem eorum diatriton. Contra quos fusissimè disputat Hippocrates secundo de ratione victus in acutis: explicans, quòd multo melius esset à principio victum exhibere, quàm cum venæ fuerint exinanitę, quarto, quinto, vel sexto cibare, & sorbitionem inchoare: & posteà inquit, verum medicos contra omnino, quam oportet, agere scio, nempè omnes, languētes ipsos per initia morborum duos, vel tres, vel etiam plures dies inedia siccare: atque ita tum sorbitionem, tum potus exhibere volunt. &, *Tex. 18.*

quo-

quoniam isti abstinebant à cibo in principio: in quo morbus non adeo vrgebat, & postea cibabant in augmento, & uigore, in quibus abstinere oportebat. Ideo post quędam inquit: Non igitur intempestiuè, neque fortes vasorum inanitiones moliri, neque cum morbi vigent, cibum dare oportet: & post quædam alia, Nempè quidam per morbi acuti exordia, eodem die, quo cœperunt laborare, comederunt, alij postero die, alij quiduis, alij ciceonem. sorpserunt. Sane hæc quidem omnia deterius habent, quàm si modo alio cibaretur quis: sed quæ hoc tempore peccata fiunt, ea multo minus lædunt, quàm si prius quidem, diebus vel duobus, vel tribus vasa quis integrè exinaniuerit; & sequentibus diebus ita pauerit, antequam morbus maturescat: quæ vero in principio committuntur delicta, hæc non similiter his domantibus renituntur, sed facilius domari possunt. Quod eodem libro probat exemplo sanorum, qui quamuis læduntur a mutatione tenuioris ad crassum, & crassioris ad tenuem: tamen a mutatione tenuioris victus ad crassum, offensa est multo maior, quàm crassioris ad tenuem. Et ideo postea concludit, quòd multo magis periculosa est victus mutatio, quę fit a tenuiori ad crassum, tum in sanis, tum in ægris, quàm si contrario modo mutatio fiat: & ideo Galenus in eodem libro, sumpto exemplo peracutorum morborum, qui in primo quaternione solent terminari, & pro victu esset exhibendus solus potus, scilicet melicratum, si medicus dubitaret, an cum illo victu æger possit sufficere, inquit, melius est, ut a principio cremorem ptissanæ, vel ptissanam exhibeamus, quàm a principio solum potum exhibere: & posteà tertio, vel quarto die mutationem facere: quoniam, vt ipsemet eodem libro inquit, errata, quæ in victu fiunt circa morbi vigorem, sunt grauiora illis, quæ fiunt in morbi principijs. & primo ad Glauconem inquit, quòd a principio statim vniuersum ægritudinis tempus inspicientes, rationem victus instituemus. nam ægritudinibus, quæ acutæ sunt, ac celeriter ad statum veniunt, etsi ualde tenuem victum exhibueris, haud magnum afferes detrimentum: quæ vero sunt diuturniores, nisi ab initio grandiori cibo reficias, hominem cũ morbo pariter perimes; aut intempestiuè victus modum mutabis. neque enim oportet, statu accedente, pleniorem victum offerre, quam prius: sed tenuiorem victum oportet ad illud tempus reseruare. His habitis, mea est sententia, quòd Hippocrates, in hoc aphorismo reprehendens errata illorum, qui a principio ægros inedia macerabant, admonet nos, ut a principio morborum in instituenda victus ratione, si a iusto modo est aberrandum, melius est eo tempore ad pleniorem victum inclinare, quàm ad tenuiorem, ad hoc, ut, superueniente vigore, possimus attenuare quantum oportet. Si enim a principio inclinamus

Tex. 33. *Tex. 41.* *a Tex. 20. infra.* *Cõmen. 15.* *Cap. 8.*

ad tenuiorem, & posteà virtus non potest sufferre, erimus coacti, vel in vigore, vel parum ante vigorem, (quando victus tenuissimus est necessarius) plenius cibare: & errata, quæ tunc fiunt, sunt grauissima, vt dictum est. Sed veniamus ad aphorismum, qui mea sententia diuiditur in duas partes. in prima parte, vt in præcedentibus, ponitur causa, & ratio aphorismi: in secunda parte ponitur aphorismus, in illis paucis verbis: Ob hoc igitur tenuis victus, atque admodum exquisitus eo, qui est paulo plenior, magna ex parte est magis periculosus. In quo nihil aliud intendit, nisi docere, quòd circa initia morborum magis periculosum est inclinare ad tenuem, atque exquisitum victum, quàm ad paulo pleniorem. Etenim, vt possimus victum in morbi uigore attenuare quantum oportet: est melius in principio inclinare ad paulo pleniorem, vt uirtus ex tali victu seruata, possit posteà sufferre uictus attenuationem. Et non sine causa dixit, Eo, qui est paulo plenior: potuisset enim aliquis existimare, quòd circa principia tutius est uti quolibet uictu, etiam satis pleno. quod esset inconueniens. & ideo dixit Paulo pleniori: ac si dixisset, minus tenui. Sic etiam oportet intelligere aphorismum septimum; quando inquit, ubi pleniorem victum contingit adhibere: non enim loquitur de uictu pleno, qui sanis competit, & contradistinguitur uictui tenui, & mediocri: sed, non recedendo ab eodem uictu tenui, uocat pleniorem, qui est minus tenuis, ut melicratum est victus plenior inedia, & cremor ptissanæ est plenior ipso melicrato. Non immerito etiam addidit, Magna ex parte: quoniam non est uerum, quòd semper a principio tutius est inclinare ad pleniorem uictum: quandoque enim omnino melius est inclinare ad tenuiorem, ut in morbis, qui sunt exquisitè peracuti, in quibus si virtus tolerat, non solum non debemus a principio uti uictu pleniore, sed statim a principio debemus uti extremè tenui. Et hac ratione impulsus, de istis subiunxit in sequenti aphorismo, quòd extremis morbis, extrema, & exquisita remedia optima sunt. Sed ueniamus ad primā partē: in qua, ut diximus, ponitur ratio aphorismi: &, cum aphorismū probet duplici ratione, ideo prima pars subdiuiditur in duas partes. quoniam in prima parte probat aphorismum ratione sumpta ab errore ægrotantiū: in secunda parte probat eundem aphorismū ratione sumpta a uictu sanorum. In prima parte Hippocrates probat, victū paulo pleniorem nō esse adeo periculosum, ut exquisitè tenuis: ex eo, quia ægri delinquunt in tali uictu: & errores, qui in eo uictu fiunt, sunt maiores illis, qui fiunt in paulo pleniori: & refert ad errorem, non solum si æger clā, & in abscondito peccauerit, sed quodcunq; erratū, siue accidat errore medici, non instituentis victum, vt oportet; siue ægri non obedientis medici mā

datis; siue astantium non exequentium, quæ eis à medicis fuerunt imperata; siue quauis alia ex causa: est enim perpetuo verum, quòd, si fit error in ægris, maioris momenti est in tenuiori victu, quàm in paulo pleniori. Et hac ratione, vt prius diximus, vult, vt, si sumus dubij, an cum tali victu possit virtus perdurare vsque ad morbi solutionem, debemus ad hoc, vt in vigore liceat victum attenuare, quantum oportet, à principio inclinare potius ad paulo pleniorē, ad hoc, vt, si est facienda mutatio, fiat ad tenuiorem, & non ad pleniorem victum: errata enim in tenuiori sunt maioris momenti, & non sic facilè corriguntur, vt in paulo pleniori. Et est notandum, quod inquit victum tenuiorem esse magis periculosum non ratione sui, sed ob errata, quæ in eo contingunt: quoniam, si virtus posset cum victu tenui perdurare, non solum non esset vitiosus, sed in omni morbo esset optimus: quia semper morbum, vt prohibentem alimoniam, contemplamur. Et hac ratione, quantò tenuius cibaremus, tanto esset melius. Errores ergo, qui fiunt in tali victu, ipsum reddunt periculosum: sunt enim maioris momenti, quàm errores, qui fiunt in paulo pleniori: sunt autem in eo errores maioris momenti propter duas causas, vt inquit Galenus in commento: quarum prima est, quia virtus ex præcedenti victu est debilis redacta: & ideo errata non potest facile corrigere. Secunda est, quia fit mutatio ad inconsueta: cum prius assueuerit victui tenui, & postea fit mutatio ad pleniorem, & sic ad insuetum, quæ mutatio maximè molestat. & quantum vim habeat consuetudo, & potissimum in cibatione, licet videre apud Hippocratem secundo de ratione victus in acutis. Sed, antequam ad secundam rationem accedamus, est animaduertendum, quòd principium primæ partis, vt inquit Galenus, legitur dupliciter, & una lectionum est, quam nos habemus; In tenui uictu ægri delinquunt, quo fit ut magis lædantur. Quæ vero sit alia lectio, est dubium. Leonicenus vult, quòd secunda lectio sit ista, In tenui victu duo peccant ægri, quo fit vt magis lædantur. Et hoc inquit voluisse Galenum in commento; quemadmodum etiam interpretatur Cenomanus: & iuxta hanc sententiam facilè verificatur dictum Galeni, quòd lectio, quam nos habemus, est melior: quia est magis vniuersalis, & est de quolibet peccato, & includit sub se aliam scripturam, tanquam minus vniuersalem. Sed, quoniam hæc interpretatio non correspondet Græco codici, quem nos habemus, & quem habuerunt Brasauolus, & aliqui alij: ideo isti aliter senserunt, & iuxta Græci codicis sententiā, volunt, quòd scriptura, de qua facit mentionem Galenus, non differt ab illa, quā nos habemus, nisi per additionem dictionis; Magna ex parte, & fit; In tenui victu magna ex parte ægri delinquunt: & saluant, quod dixit Galenus: quòd hæc scri-

a Tex. 20. infra.

ptura

ptura sit minus vniuersalis : quia alia profertur vniuersaliter: & in hac additur Magna ex parte. Et, cum Græcus codex sic sonet, horum sententiam hucusque sum secutus : sed nunc animaduertẽs Cenomanum eodem modo cum Leoniceno locum interpretasse, suspicatus sum Græcum codicem, quem habemus, esse mendosum: & Leoniceni sententiæ adhæreo: tanto magis, quòd per additionem dictionis, Magna ex parte, non video, quomodo aphorismus fiat minus vniuersalis. immo, etsi nõ apponatur, debet aphorismus intelligi magna ex parte: nam non semper de necessitate errant in tenui victu ægri: nec semper est magis periculosus ille victus paulo pleniori. Et ipsemet Hippocrates in aphorismo addidit, hoc esse verum magna ex parte. Et Brasauolus, & quidã alii habuerunt, vt nos, codicem mendosum. Secundo probat Hippocrates aphorismum ex victu sanorum. in quibus quamuis læsio fiat, tum quando mutatio fit a tenui ad crassum: tum ècontra, vt habemus secundo de ratione victus in acutis locis allegatis: & quam optimè concluditur in eodem libro ab Hippocrate, & confirmatur a Galeno in commento. Vnum tamen est animaduertendum, quòd, loquendo de sanis, quãuis de victu tenui, & exquisito, & paulo pleniori mentionem fecerit, tamen non sunt eius verba de eodem, quo in ægris, victu intelligenda; sed secundum quadam proportionem: sicut enim in victu ægrotantium loquebamur de mutatione, quæ ibi potest fieri de tenui ad paulo pleniorem: non recedendo a victu ægrotantium, ita in sanis mutationes, quæ in eorum victu fiunt, tutiores sunt, si fiant a crassiori ad tenuiorem, quàm econtra. Et hæc de hoc aphorismo sint dicta.

Tex. 54.

APHORISMVS SEXTVS

Extremis morbis, extrema, & exquisita remedia optima sunt.

CVM in præcedenti dixisset Hippocrates, quod, quando a principio instituitur victus, si a iusto est declinandum, multo melius est ad paulo pleniorem, quã ad tenuiorem victum inclinare: ne aliquis hoc esse in omni morbo faciendum existimaret, subiungit hunc aphorismum, asserens, quòd, quamuis, quod prius dictum est, magna ex parte verificetur; non est tamen perpetuò seruandum, quoniam sunt aliqui morbi, in quibus non solum a prin-

cipio inclinandum est ad victũ tenuiorem, ſed ſtatim extreme tenuiſſimo debemus vti: & hi ſunt morbi extremi, quibus, vt ipſe inquit, conueniunt extrema remedia, & exquiſita: inter quæ, vt videbimus, eſt victus extremè tenuiſſimus. Sed circa verba aphoriſmi eſt notandum, quòd per extremos morbos non debemus cũ aliquibus intelligere morbos maximè lethales. ipſe enim iuſſit in libro de arte, vt a morbo victis medicina manum non admoueat; & Galenus infra inquit: Nam, quorũ ſummum vigorem excipit mors, in his parte artis vtimur, quæ prognoſtica dicitur, id quod futurũ eſt prænunciantes; ne euẽtus rerum noſtro aſcribatur errori. Et ſecundo Aphoriſmorum, deſperatos, inquit non oportet curare, ſed relinquere, & morbi finẽ prænunciare. Et libro vndecimo Methodi: In quo enim deſperata ſalus eſt, impudentis conſilij fuerit, apud vulgũ infamare remedia, quæ multis fuere ſaluti. Et, ſi hęc ſunt vera, non debemus per morbos extremos intelligere maximè lethales; quia in iſtis non licet nos intromittere. & in illis optimum exiſtimauit, vt remediis vtamur extremis. Sed, antequam vlterius procedamus, examinemus apparentem in dictis Galeni contradictionem: vult enim in locis allegatis, vt in deſperatis utamur tantũ parte prognoſtica, & relinquamus, vt in illis non infamẽtur remedia, quæ aliis fuere ſaluti: & tamen decimo Methodi, loquendo de hecticis, & ferè omnino cõſumptis, & deſperatis, auctoritate Thucydidis inquit, Neceſſarium arbitror agẽtes aliquid, vel periclitari: quibus enim alia ſalutis ratio nõ eſt, & quæ vnica videtur, ea dubia: neceſſe arbitror aduerſos periculis ire. Quo loco deſperatos non ſolum non relinquit, ſed etiam cum magno periculo curare eos conatur. Nec tollit difficultatem, quod dixerunt aliqui, quòd, quando prohibuit, deſperatos eſſe curandos, nõ voluit omnino eſſe relinquendos, ſed quòd in eis, generoſis remediis medicus vti non debet, ne infametur ars: ſed debet eſſe cõtentus leuioribus: vt ipſemet Galenus duodecimo Methodi teſtatur. Quoniã decimo Methodi loquitur de balneo aquæ frigidæ, quod non eſt leue, ſed maximum remediũ, & non minus, quam purgatio, & ſanguinis miſſio. Et ideo ad apparẽtis pugnantię ſolutionẽ eſt notandũ, quòd deſperati ſunt in duplici differentia: quia aliqui vidẽtur ex ſignis omnino a ſpe deſtituti, & de iſtis loquitur in locis prius allegatis; aliqui vero, quãuis ſint etiam deſperati, tamẽ ſunt in caſu aliquo, à quo aliqui, ſed rariſſimi euaſerunt, & medio aliquo præſidio, quod non poteſt ſine maximo periculo adminiſtrari; & de iſtis loquitur decimo Methodi, & laudat ſententiam Thucydidis, quia melius eſt aliquid faciendo periclitari, quàm omnino ſine ſpe perire. Et ſic, cũ aliqui hectici, & omnino cõſumpti, quãuis rariſſimi, ex balneo aquę frigidę cõualuerint: cum iã deſperati ſunt, & adſit hoc vnũ

Cõmen. 29.

Cap. 9.

Cap. 10.

Cap. 3.

remedium, quod, quamuis raro, tamen quandoque hunc morbum curauit; etsi nõ possit sine magno vitæ discrimine administrari, tamen illud tentandum esse Galenus admonuit. In aliis vero desperatis, quia, vt dicebat Auerroes, accidere solent monstra in arte, vt in natura, & maximè in morbis acutis, in quibus aliquando, quamuis rarò, incertæ sunt prænunciationes salutis, & mortis, cum materia possit ab vno loco moueri ad alium, & sic esse in causa, vt omnia mutentur, vt secundo Aphorismorum Galenus asserit. Ideo, ne, ægro à medico derelicto, posteà infametur ars, & alio superueniente, priorem medicum in curatione defecisse existimari possit, si inopinata succedit sanitas: non debemus ægrum omnino derelinquere, sed, Galeni præcepto duodecimo Methodi, sufficit periculum astantibus, & consanguineis prænunciare & non debemus vti generosiori medicamento, vt est exquisitè tenuissimus victus, de quo in commento octauo, & vt est purgatio, & sanguinis missio, de quibus secundo Aphorismorum: & vt est maximus aquæ frigidæ potus, de quo vndecimo Methodi: quia in illis remedia hęc generosa, & effatu digna, non sunt infamanda: sed debemus ab illis abstinere, & vti parte prognostica, ne euentus rerum nostro ascribatur errori. Non oportet ergo per extremos morbos, intelligere maximè lethales, sed cum ipsomet Hippocrate, in sequenti aphorismo, & per Galenũ, & Philotheum in eius expositione debemus per extremos morbos intelligere eos, qui sunt uelocissimi motus, & statim a principio cum magnitudine symptomatum: & tales sunt morbi peracuti: quoniam, si ad acutorum naturam nõ sufficit, vt cito terminentur: sed oportet etiam, vt cito magnitudinem habeant: multo magis hæc in peracutis requiruntur: Et hos Hippocrates hic nominauit extremos: & in istis vult, vt a principio extremis, & exquisitis vtamur remedijs, ad hoc, vt, quoad fieri potest, impendens a tanto morbo euitetur periculum. Sed est animaduertendũ, quòd, quamuis Galenus hic, per extremos morbos intellexit peracutos: tamẽ in quinto Methodi ampliauit hunc aphorismũ ad omnes morbos, in quibus nisi cito succurratur, vitæ periculum imminet, etiam si morbus futurus sit postea diuturnus: loquens etiam de sputo sanguinis, hæc protulit: Minimè igitur, sicuti medicorum non nulli censent, a paruis incipiendũ auxilijs est. Nec est verum, ista prius esse tentanda; mox, si nihil profecerint, aggredienda maiora: nam in morbis, in quibus periculum non impendet, vera ea opinio est. At, vbi moriendum ægro prorsus sit; sipthoc semel exceptus sit; alienissimum a ratione est, a minoribus inchoasse: nam, sicuti reliqua omnia ab Hippocrate tradita, ita illa quoque sententia rectè est dicta nempè, ad vltimos morbos vltima prorsus valere remedia. Sed uideamus,

Cōmen. 19.

Cap. 3.

Cōmen. 29.

Cap. 9.

Cap. 15.

mus, quid intelligat per extrema remedia. & est sciendum, quod in Græco codice est, αἱ ἐσχάται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην κράτισται. Quæ verba sic fideliter possunt interpretari: Extremæ ad exquisitum curationes optimæ sunt: & sic in morbis extremis asserit extremas conuenire curationes: cum vero curatio fiat per victus rationem, per medicamēta, & per manuariā operationem: hæc enim sunt tria instrumenta in curatione, vt diximus, Aphorismus iste quamuis in hoc loco principaliter sit prolatus de victus ratione, tamen potest ad alia duo ampliari: & hoc innuit Galenus in commento, per illa verba; In his præcipit fieri exquisitissimam totam, siue vniuersam curationem, & victum tenuissimū. Sed hic aliquis diceret: Hippocrates aphorismo tertio nos admonuit, ne extremè euacuemus, vel repleamus: quoniam vtrunque est periculosum, & hic propositum admonet, vt extremis utamur præsidiis. Ad hoc dicimus, quòd Hippocrates ibi admonuit extrema esse periculosa: sed minimè asseruit nullo pacto esse a medico facięda: sed tantum posuit scopum, & dixit, naturam ægrotantis esse considerandam: adeo quòd, si in morbo, qui extremam euacuationem requirit, natura ęgrotantis potest sufferre, est facienda, vt ab ipsomet Hippocrate habemus infra. Et ideo in morbis extremis licet vti remediis extremis, dummodo virtus toleret. Et hac ratione etiam voluit, vt in morbis extremis vtamur extremè tenui victu, & ideo infra subiungit: Coniectari autem oportet, vtrum æger cum victu sufficiat perdurare. Sed adhuc aliquis dubitaret: quoniā, si extremis morbis cōueniunt extrema pręsidia, tunc extremę repletioni competeret extrema euacuatio: quod quamuis affirmet Galenus tertio artis medicinalis: tamen videtur erroneum: quoniā, si extremę euacuamus, educetur non solum inutile, sed etiam vtile: si enim extrema repletio est per decem libras supra mediocritatem, extrema euacuatio erit per decē libras infra mediocritatē, & sic per eam educitur non solū illud, quod erat supra mediocritatē, & superfluum, ac inutile: sed illud etiā, quod erat infra mediocritatem, & vtile. Ad hoc dicimus, quòd propositio illa non est sic intelligenda: Sed hoc modo. quoniam extremę repletioni conuenit extrema euacuatio, hoc est quæ euacuet totum illud, quod extremè replet: medicus enim in euacuatione debet respicere, quod præter naturam redundat, & illud debet euacuare, & seruare ea, quæ sunt secundū naturā. Et sicut immodicè calefacto refrigerantia applicamus, nō quæ corpus infra mediocritatem refrigerent, sed quæ caliditatē superando temperiem relinquant, vt habemus tertio Methodi, & septimo Methodi, eodem modo in euacuatione debemus remouere, quod redundat, & mediocritatem relinquere. Quamuis, quando per euacuationem non solum intendimus causam educere, sed etiam habitū corporis

Aph. 23.

Aph. 9.

Cap. 3.
Cap. vlti.

corporis refrigerare, vt morbum curemus, licet euacuare, non solum quod redundat, sed etiam infra mediocritatem corpus relinquere: ut quando fit euacuatio vsque ad animi deliquium, vt patet ex Galeno nono Methodi. Cap. 5.

APHORISMVS SEPTIMVS

Vbi igitur morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extremè tenuissimo victu vtendum est. vbi verò non, sed pleniorem victum contingit exhibere; tantum cibi indulgendum est, quantum morbus extremis est mollior.

CVM dixerit Hippocrates, quòd morbis extremis conueniunt extremæ curationes, infert in hoc aphorismo, quòd, cum tales sint morbi peracuti, in illis conuenit extrema curatio, & inter alia victus extremè tenuissimus. Quod autem morbi peracuti sint morbi extremi, probat hac ratione: Ille est morbus extremus, qui statim habet extremos labores; morbus peracutus statim habet extremos labores, ergo morbus peracutus est morbus extremus: hoc habito, fit ex præcedenti illatio: sed morbis extremis conueniunt extremæ curationes, & inter alia victus extremè tenuis: ergo eadem conueniunt morbo peracuto. Aphorismus autem diuiditur in duas partes; iuxta duas sententias, quas hic ponit Hippocrates: & secunda pars incipit ibi. Vbi verò pleniorem victum contingit adhibere: in prima parte profert hanc sententiam, quòd in morbis peracutis debemus statim a principio vti extreme tenuissimo victu; hoc est (ut inquit Galenus in Commento) vel omnimoda inedia, vel melicrato; &, assignans hanc sententiam simul, & semel mira quadam breuitate, aphorismi, & sententiæ causam explicat. Quòd enim in peracutis extremè tenuissimo victu statim vti debeamus, causa est, quoniam isti morbi statim a principio habent extremos labores, hoc est statim consistunt, ac vigent, quia statim perueniunt ad vigorem. Sed consideremus singula verba; & circa principium aphorismi est sciendum, quòd Græcus codex habet ὅκου μὲν οὖν: quod debet interpretari, Vbi quidem igitur, quoniam aduerbium Igitur, omnino est apponendum, quia declarat hunc aphorismum inferri ex præcedenti; quod summopere etiam

confert ad intellectum aphorismi decimi, vt videbimus. Est etiam dubium, quid intelligat per morbum peracutum: an solum exquisitè per acutum, qui quatuor diebus terminatur, an etiam peracutum non exquisitè, qui terminatur in secundo quaternione. Et Brasauolus, & quidã alii tenent, quòd per Peracutum intellexit vtrunque: quorum sententia mihi non placet; primò, quia Hippocrates vocauit hos morbos extremos, & Galenus exposuit, idest summos, vltra quos non sunt alii; quod solum exquisitè peracutis conuenit, & non aliis. Secundò, quia in his vtitur extreme tenuissimo victu, qui proprius est exquisite peracutorũ: aliis enim peracutis competit tenuissimus non in extremo, vt superius ex Galeno dictum est. Tertiò, quia hoc testatur Philotheus, qui in hoc loco inquit, Peracutum vocauit morbum, qui quatuor diebus circumscribitur: in quo possumus inediã instituere, quia virtus ob morbi breuitatem, cum tali victu potest perdurare. Quartò, potest hoc confirmari ex Galeno, qui in commento exponens illud aduerbium, Statim, dixit, idest in primis quatuor diebus. Sed notandum, quòd addidit; Vel paulo vlterius: quod forsitan dedit illis occasionem errandi: sed, quòd per Paulo ulterius non potuerit intelligere septimum diem, ex dictis rationibus conuincitur: ultra quod, si voluisset includere diem septimum, non dixisset Paulo ulterius; hoc enim esset multo ulterius, & non paulo. Sed dices: si uoluit loqui solum de exquisite peracutis, qui terminantur quatuor diebus; ad quid addidit illud, Vel paulo ulterius? Dicimus, quòd per Paulo ulterius uoluit innuere quintum diem & non sine ratione. morbi enim exquisite peracuti, qui deberent terminari ex sua natura quarta die, ut plurimum terminantur tertia, uel quinta: ut habemus tertio de crisibus: quia ad faciendam crisim non solum requiritur aspectus superiorum astrorum, cuius ratione per septimanas, & quaterniones fiunt indicationes: ut Deo dante infra explicabimus. Sed est necessarium, ut etiam concurrat alia causa inferior, & materialis: & est particularis accessio, & ideo in uehementissimis accessionibus, & in earum uigore iudicationes fiunt. Et, cum utraque causa ad crisim requiratur & morbi peracuti ut plurimum fiunt ex bile; & febres ex bile, ut plurimum habent accessiones vehementiores in diebus imparibus; hinc accidit, quòd, quamuis, ratione astrorum, deberent peracuti morbi quarta die terminari; tamen vt plurimum vel natura irritata, virtute diei quartæ, iudicat in die tertia; uel iudicium postponit usque ad accessionem diei quintæ. Et ideo raro fit crisis in die quarta, & illud est in febribus synochis: quæ cum vnicam habeant accessionem, potius fit iudicatio in quarta die, quam in aliis. tunc enim ratione accessionis eodem modo

Cap. 4.

ib. 2. aph. 24.

modo se habet, vt in diebus alijs, & concurrit causa superior, aspectus scilicet superiorum astrorum, vt dictum est. Et hæc est causa, quòd raro in die quarta fiat crisis: etsi sit decretoria: immò est adeò raro, vt dixerit Galenus tertio de crisibus, se semel tantum vidisse crisim in quarta; & Archigenem bis. Et sic, cum crises peracutorum morborum fiant vt plurimum vel tertia, vel quinta die: non sine maxima ratione dixit Galenus; Quatuor diebus, vel paulò vlterius. Sed videamus, quid intelligat per extremos labores: & circa hoc est notandum, quòd Græca dictio πόνος, quam hic vertit laborem, est dictio æquiuoca: & ideò Galenus, quando Hippocrates vtitur hac dictione, vt plurimum eam distinguit; &, sub quo significato sit intelligenda, explanat: quoniam aliquando significat læsionem, vt in illo aphorismo, In quo morbo somnus laborem facit lethale: idest, in quo morbo somnus lædit lethale. Aliquando significat causam doloris, vt in aphorismo, Quicunque dolentes aliqua parte corporis, dolorem non sentiunt, idest quicunque habent aliquam dispositionem, quæ deberet dolorem excitare, & dolorem non excitat; quod Galenus in Commento confirmat, ex sexto Epidemion, vbi dicebat, in cranone antiqui dolores frigidi, noui vero calidi. Aliquando significat tristem sensationem, quæ propriè dicitur dolor, vt in fine allegati aphorismi, vbi ait, & dolorem nō sentiunt, his mens ægrotat. Idem in illo Aphorismo, Duobus doloribus, non eundem locum occupātibus; vehementior, alterum obscurat; & in illo, Dum pus conficitur, dolores, & febres magis fiunt, quam iam confecto. In quibus est animaduertendum, quòd, quamuis interpres transtulit Dolores, tamen Hippocrates semper vtitur dictione, πόνος, & melius fecisset, si Græcam dictionem obseruasset, & eodem modo semper interpretatus esset, aut Græcam dictionem reliquisset. Aliqnando significat vehementem motum, vt ibi, Vbi fames, non oportet laborare. Quandoque significat lassitudinem, vt in illo aphorismo, In omni corporis motu, vbi laborare cœperit, quies statim lassitudinem aufert. Et denique aliquando significat accessionem, & symptomata vniuersa, & hoc modo exponit Galenus in hoc aphorismo, asserens, quod morbus peracutus statim habet extremos labores, idest extremas accessiones, & symptomata: volens per hæc morbi vigorem circumscribere. Est enim, ac si dixisset, morbus iste statim deuenit ad vigorem. Quoniam, vt inquit Galenus in Commento, nihil aliud est morbi vigor, nisi quo ad symptomata attinet summum. Et primo de diebus decretorijs, adducens hunc aphorismum, & postea explicās, quid intelligat per extremos labores, inquit, Extrema, statū morbi, appellat. siquidē peracutum quoque morbū, extremos labores statim habere dicit, hoc est accessiones, &

Cap. 4.

2. Apho. 1.

2. Apho. 6.

Cōmen. 1. Tex. 7.

2. Aph. 46.

2. Aph. 16.

2. Aph. 48.

Cap. 13.

sympto-

ſymptomata: id autem nihil aliud eſt, niſi morbum vigere. Et octauo Methodi inquit, Illud potius exiſtima, quòd Hippocrates monuit, homo alias ingenio maximè philoſophico: cum morbus peracutus, ſtatim ſummè vltimos labores infert, tum tenuiſſimo ad vltimum victu vtendum eſt: vbi verò non, ſed licet liberalius cibare: tantum eſt de vltimo remittendum, quantum morbus vltimis eſt minor. labores namque dicit omnia, quæ hominem offendunt, vltimos verò maximos, quales vtique in ſummo vigore fiunt; iubet verò reſeruari ad id temporis ſummā victus tenuitatem. Per labores ergo intelligere debemus omnia, quæ in morbis hominem lædunt, ipſa ſcilicet ſymptomata, & acceſſiones, & eas dixit extremas, quæ ſolent fieri in morbi vigore; quæ in iſtis ſtatim apparet; quia iſti morbi ſtatim deueniunt ad vigorem. Et extremè tenuiſſimo victu vtendum eſt. per extremè tenuiſſimum victum intelligit omnimodam inediā, ſi ferunt vires, ſi verò non ſufferunt, poſſumus, vt inquit Galenus in Commento, exhibere melicratum, vel cremorem ptiſſanæ in pauca quantitate. Et, quamuis Galenus vtatur iſtis, non propter hoc eſt exiſtimandum, quod loquatur de omnibus peracutis: quoniam ipſe voluit, vt vtamur ſola inedia, quæ exquiſitè peracutorum eſt propria, & deuenit ad alia, ſi virtus non ſuffert. & eius cuſtodia eſt ſemper præ oculis habenda. Eſt etiam animaduertendum, quod, quamuis cremor ptiſſanæ, iuxta Galeni, & Hippocratis doctrinā, dicebatur victus tenuis, & exquiſitus: & ſic peracutis non conuenit: tamen, etſi hic eum ponat inter victus tenuiſſimos, non ſibi contradicit: quoniam addidit in pauca quātitate: &, ſicuti tota ptiſſana, quæ non erat tenuis, & exquiſitus victus, talis efficiebatur, ſi in pauca quantitate exhibetur, vt teſtatur Galenus in Commento quarto: ita cremor ptiſſanæ in pauca quantitate eſt victus tenuiſſimus. Sed adhuc eſt notandum, quòd Hippocrates, admirabili iudicio, & ſummam ſequens breuitatem, ſimul ſententiam in medium adducit, & cauſam explicat. ſententia eſt, quòd in vigore peracutorum morborum debemus vti extremè tenuiſſimo victu: &, cum hi morbi ſtatim vigeant, ſtatim etiam tali victu vtendum eſt. Cauſa, & ratio huius ſententiæ eſt, quia in iſtis morbis, eo tempore extremi adſunt labores: vigor enim non ratione, qua dicitur vigor, prohibet alimentum: ſed quia eo tempore, quæ ſymptomata hominem offendunt, ſunt maxima, & virtus à validiſſimo morbo tunc eſt maximè vexata. Et ideò, etſi Hippocrates ſit breuitatis ſtudioſus, & potuiſſet breuius dicere, Vbi morbus peracutus eſt, ſtatim viget: tamen hoc non fecit, vt per illa verba, Statim extremos habet labores; ſimul, & ſemel quid ſit morbi vigor, & quare alimētum prohibet explicaret. Et Galenus in Commento affert duas rationes, ob quas in vigore debemus victum attenuare: quarum prima eſt: ſi pro-

Cap. 3.

pter

pter febrem, quæ a morbis acutis est inseparabilis, attenuamus victum, ergo tunc debemus maximè attennare, quando febres, & inflammationes maximè vigent: sed hoc est in vigore in quo phlegmasiæ, idest inflammationes maximæ existunt, ergo in uigore, est maximè attenuandus victus. Et circa illam dictionem Phlegmasia, est notandum, quòd quandoque sumitur propriè, & significat solum phlegmonem ex sanguine ortam: quando non ita propriè, & significat non solum quæ ex sanguine, sed etiam quæ ex bile originem habent, vt erisipelas: quandoque verò sumitur largius, & significat etiam intemperiem calidam, & febrem, vt in hoc Commento, & secundo de arte curatiua ad Glauconem. Secunda ratio est, quia tunc natura est maximè occupata circa morbificæ causæ coctionem: & non oportet ipsam ad nouam coctionem distrahere. Et, quia Auerroes tenet, quod in statu morbi nõ fit concoctio, & Galenus in Commento sequentis aphorismi asserit, quod circa vigorem natura coctioni fortiter vacat: ideo de hoc in sequenti Aphorismo disputabimus. *Vbi verò non, sed pleniorem victũ contingit adhibere.* Hęc est secunda pars Aphorismi, in qua aliam profert sententiã: & est, quòd, q̃n morbus non statim a principio habet extremos labores, & per consequens non est exquisitè peracutus, nec statim oportet vti tenuissimo in extremo victu, sed pleniorem, hoc est minus tenuem contingit adhibere, tunc tantum cibi est indulgendum, quantum morbus extremis est mollior: idest, quantũ morbus ab exquisitè peracutorum vehementia, & acutie distat. Et, quia exquisitè peracuti statim vigent, & extremos habent labores, quanto alij ab eorum acutie distant, tanto tardius consistunt, & ad vigorem perueniunt. &, si ratione extremorum laborum, qui statim in exquisitè peracutis accidunt, statim etiam extremè tenuissimo victu vtendum erat, cum alij morbi non sic cito consistant, non habebunt cito extremos labores: & ideò non oportebit in illis statim vti tenuissimo victu, sed a principio debemus pleniorem victum, hoc est minus tenuem exhibere: hunc enim per pleniorem victum, in hoc loco oportet intelligere, vt diximus in expositione quinti Aphorismi. Sententia ergo Hippocratis est, vt in morbis, qui non statim vigent, eo plenius victitemus, quò magis à principio distat morbi vigor. habebimus enim, quòd victus ratio est instituenda ex præcognitione futuri vigoris, ad quod tempus debet victus tenuissimus reseruari, vt prius ex octauo Methodi, & ex libro primo ad Glaconem dictum. Sed est notandum, quod hæc secunda sententia non est vniuersaliter, & in omnibus morbis intelligenda, vt Brasauolus, & quidam alij existimarunt. sequeretur enim nihil penitus dicere Galenum in expositione aphorismi decimi, vbi ponens differentiam inter hunc Aphorismum, & illum, ait, quòd ibi vniuersaliter de omnibus morbis, hic solum de peracu-

Cap. 1.

Cap. 3.
Cap. 8.

de peracutis. Et, si aliquis diceret, quod dictum Galeni intelligitur de prima parte huius Aphorismi: quoniam secunda pars est vniuersalis: dicimus, quod, si hoc pacto intelligeretur, adhuc restaret difficultas, si hæc secunda pars est vniuersalis, tunc decimus, aphorismus esset superfluus: quia nihil aliud in eo vniuersaliter docetur, nisi quod fuit hic dictum in solis peracutis. Et ideò, vt reddamus, & sententias omnes necessarias, & Galenum veridicum, dicimus, quod in hoc aphorismo loquitur de solis peracutis. Sed in prima parte loquitur (quicquid dixerint multi) de solis peracutis exquisitè. In secũda verò parte loquitur de alijs peracutis non exquisitè: in quibus cum non statim vigeant, & extremos habeant labores, non oportet statim vti extremè tenuissimo victu, sed debemus a principio victum quodammodo pleniorem exhibere. Et, quoniam isti, respectu aliorum, citissimè veniunt ad vigorem, ideò, ne aliquis existimaret, quod, cùm in istis liceat a principio plenius cibare, idem facere liceat per omnia morbi tempora, subiungit in aphorismo sequenti, quòd, quando morbus est in vigore, oportet vti tenuissimo victu: ad illud enim tempus debemus victum tenuissimum reseruare, et sic, quamuis in non exquisitè peracutis liceat a principio quodammodo vberius cibare, tamen, superueniente vigore, cum superueniant etiã extremi labores, tenuissimo debemus vti victu, vt in exquisitè peracutis. Sed circa dicta dubitaret aliquis: si peracutis conuenit victus tenuissimus, & si victus auget morbum, & fouet, vnde est, quod medici in febribus pestilentibus nutriunt sæpè, & per ea, quæ multum nutriunt: & hoc non sinè ratione, quoniam Galenus tertio Epidemion, exponens dictum Hippocratis, quòd in ea pestilenti constitutione omnes cibos fastidiebant, inquit, Fortissimi verò, qui, vim sibiipsis inferẽtes, cibum oblatum assumpserunt, omnes ferè superstites fuerunt. Quam sententiam sumpsit postea Auicenna prima quarti, dicens, Et quando cadit appetitus, cogatur ad comestionem: nam plurimi eorum, qui viriliter agunt super illud, & comedunt violenter, absoluuntur, & viuunt, quãdo necesse est eos ad cibum cogere. Ad hanc difficultatem dicunt aliqui, quòd febres pestilentes, non sunt de numero peracutorum, & ideo non includuntur in hac regula. Sed responsio est nulla: quia, quamuis multæ pestilentes febres non sint è peracutarum numero, tamen aliquæ inter eas debent numerari: cum non rarò quarto, & septimo die terminentur: & illæ, ex Galeni, & Auicennæ decreto, nõ debent victitari, vt docet hic Aphorismus. Et, si non essent peracutæ, sed tantum acutæ: adhuc stat difficultas, quare plenius est nutriendum in illis febribus, quam in alijs acutis. Et ideò, ad veram difficultatis solutionem, dicimus, quod, cum indicatio cibandi principaliter sumatur a viribus: tunc tantum debemus stare in ea victus

Quare in pestilẽti febre sæpe & multum exhibetur alimentum.

Cõmen. 3. Cõmen. 18.

Tract. 4. Cap. 4.

ratione,

ratione, quæ a præcognitione futuri vigoris sumitur: quando coniectamur, quod cum illo victu virtus potest sufferre vsque ad morbi solutionem. quando verò coniectamur, quod cum illo victu ante vigorem virtus deficiet, tunc oportet a principio victum pleniorem adhibere, quam morbi natura requirat; vt optimè docet Hippocrates in Aphorismo nono: quoniam; quamuis morbus contraindicet in cibatione, tamen principalissima omnium indicationum est, quæ sumitur a viribus, quæ, quando multum vrget, cæteras omnes, etiam si multum repugnent, obumbrat, & vincit. Et ideò in febre pestilenti, siue ex peracutarum, siue acutarum numero sit, aliter nutrimus, quam in alijs. coniectamur enim, quod cum tenui victu non possunt vires sufferre: est etenim veluti character huius febris, quòd uirtus sit statim a principio imbecilla, ut habemus ex tertio de præsagitione ex pulsibus. Et uires in istis febribus deijciuntur a principio, tum quia humores ob magnam corruptelam inepti sunt ad nutritionem; tum etiam quia in hac febre principaliter afficitur cor: & sic spiritus uitales, quorum est officina, dissoluuntur: & a putridis, coinquinatis, & malignis uaporibus infecti, ad omnes tum naturales, tum animales actiones inepti redduntur: Et ideo in pestilenti febre uirtus a principio statim cadit. Et medici, ut spiritus regenerentur, & ut suæ generationis optimam habeat materiam, multa, & benè nutrientia exhibent alimenta, admiscendo tamen ea, quæ contemperandi uim habent, ne assumptis alimentis, corporis impuritas, & corruptela magis augeatur: quoniam, sicut defectus indiget adiectione, ita corruptela indiget contemperamento, ut infra habebimus. Sed circa id, quod asserit Galenus in Commento, quòd uigor morbi nihil aliud est, nisi summum morbi, quo ad symptomata attinet: dubitant aliqui; quando morbus est maior, utrum in principio, uel in uigore? Et in hoc multæ fuerunt opiniones. Sed, quoniam plerique secuti sunt sententiam Plusquam Commentatoris, qui quæstionem exagitat, & determinat tertio artis medicinalis: ideò eam examinabimus. & postea, quid sit cum Hippocrate, & Galeno sentiendum, in medium afferemus. Plusquam Commentator in quæstionis examine inquit, ante omnia esse supponendum, quod morborum quidam sunt salubres, quidam lethales: & deinde addit, quòd in morbis salubribus, tempora non distinguuntur ratione morbi: ita quòd, quò ad eius essentiam, sit minor in principio, maior in augmento, & maximus in uigore: nec ratione causæ, quæ in principio sit minor, uel minus agat, & in sequentibus temporibus sit maior, uel magis agat. Sed tempora morborum distinguuntur ratione symptomatum: quæ, iuxta Galeni sententiam secundo apho-

Cap. 3.

Apho. 9.
An morbus maior sit in principio, vel in uigore.
Cōmē. 32.

Cōmen.29. aphorismorum, circa principia sunt debilia, & in vigore sunt fortiora. Inquit enim. Circa principia, & fines omnia imbecilliora: morbo autem consistente fortiora; oportet autem ipsi adijcere symptomata: nam de his Hippocrates dictionem attulit vniuersalem. dispositio
2. Aph. 30. siquidem, ex qua hæc generantur, quam & morbum nominamus, nō omnino, dum morbus consistit, est fortior, verum in his, qui saluari debent, melior multo, quam in morbi principio: ex quibus Plusquam commentator subiungit, quòd, qui vellet morborum salubrium tempora ex morbi magnitudine distinguere, esset coactus dicere, quod morbi vigor est in principio, & quòd *declinatio* incipit in augmento, quia natura incipit uincere, & perfectè vincit in vigore: & ideò, etsi eo tempore symptomata sunt maiora, & fortiora, tamen morbus est minor: & ideò lau-
Cap. 17. dat Galenum, qui primo de crisibus, & Auicennam, qui in prima quarti
Cap. 3. distinxerunt tempora morborum, non ex magnitudine morbi, sed per quædam symptomata, quæ apparent. quia in principio signa cruditatis; in augmento signa manifeste coctionis; & in vigore perfecta coctio: & per diuersam actionem naturæ in causam morbi, quia in principio calor innatus est summersus, & veluti suffocatus; in augmento mouetur ad resistendum causæ morbificæ, in vigore maxima fit pugna inter naturam, & morbum; & apparet victoria vnius. Et sic cōcludit, quòd in morbis salubribus, morbus non est maior in vigore ratione sui; cum tunc sit à natura euictus non ratione causæ, quæ iam est concocta, & superata: sed in vigore est maior ratione symptomatum, quæ circa principia sunt imbecilliora, &, dum morbi consistunt, fortiora. Et hæc omnia confirmat auctoritate Galeni secundo Aphorismorum loco allegato. In morbis verò lethalibus tempora non solum distinguuntur ratione symptomatum, sed ratione magnitudinis morbi, & etiam causæ: quia, quanto vlterius procedit morbus, tāto efficitur maior, & vires magis opprimit, vt tandem omnino vincat, & superet. Et, si aliquis diceret, si symptomata sequuntur morbum, vt vmbra corpus: quo modo fieri potest, quod in morbis salubribus augeantur symptomata, nō aucto morbo? Ad hoc respondet, quòd symptomata sunt duplicia: quoniam quædam sequuntur morbi naturam solum, & ista augentur, & diminuuntur, ad auctionem, & diminutionē morbi, vt dolor, & febris in pleuritide, in qua quando morbus est in vigore, & ea, quæ expuuntur, sunt perfectè cocta, morbus est minor, & etiam dolor, & febris diminuuntur. Quædam alia symptomata insequuntur morbum, quatenus natura agit cum ipso morbo, & ista possunt augeri non aucto morbo: quia, & si in pleuritide diminuatur, in vigore febris, & dolor, tamen augetur excretio, quoniam plura, & magis concocta expuuntur. Sed, quia hæc patiebantur calumniā:

aliquis

aliquis enim dicere potuisset,,quòd dicta verificantur quando pleuritis non suppuratur, ita vt faciat abscessum : tunc etenim in vigore augebitur non solum excretio, sed dolor, & febris; iuxta Hippocratis sententiam: dum pus conficitur,dolores,& febres.Ad hoc,non habens, quid responderet,inquit,quòd,si augentur dolores,& febres,illud erit,quando efficitur coctio,et sic non in vigore,in quo coctio est perfecta,& non fit.Et,si aliquis diceret,quod ad minus illud erit in augmẽto,in quo iuxta eius sententiã,morbus salubris debet esse minor, quam in principio. Ad hoc nullum habens refugium, inquit,quod dici potest,quod, quando pleuritis venit in abscessum, non est omnino morbus salubris, cum fiat mutatio de vno morbo ad alium: & sic non est mirum, si alio modo procedit.Quæ positio est erronea,& ab Hippocratis, & Galeni mente penitus aliena, quoniam,ex Hippocratis sententia, in vigore non solum symptomata,sed etiam morbus augetur,vt in allegato aphorismo: dum pus conficitur,dolores,& febres magis fiunt,quam iam confecto: &, quamuis dolor sit symptoma, febris tamen est morbus: & quo modo hæc augeantur, & fiant in puris confectione declarat eo loco Galenus: in Cõmento etiam huius Aphorismi inquit,quòd in uigore phlegmasiæ maximæ existunt; siue per phlegmasias intelligas propriè dictas inflammationes; siue etiam febres, et sic nõ solũ symptomata,sed etiam febris, quæ est morbus in vigore augetur: hoc etiam apertissimè fatetur libro de optima secta, vbi exponens aphorismnm Hippocratis, Cum morbi inchoant, siquid tibi videtur mouendum,moue:inquit,In morbi principio moue,si tibi videtur,quia tunc virtus est valida, & non adhuc fatigata a morbo: in vigore verò causa est valẽtissima,& morbus validissimus: & ideo,si magis vexatur,facillimè succumbit: Et,si aliquis pro Plusquàm Commentatore diceret,quòd ibi loquitur de morbis lethalibus,hoc esset falsissimum,quia illa verba sunt prolata in expositione illius sententiæ, Cui morbi inchoant, siquid tibi videtur mouendum,moue: quæ fuit ab Hippocrate pronuntiata in morbis salubribus,& non in lethalibus,vt in eius expositione Galenus asserit. Sed, ad hoc, vt veritas elucescat,& causa erroris aliorum detegatur : est sciendum ex Galeno tertio de crisibus,quod,vt perfectè dignoscatur morbi natura, quatuor debent considerari, species scilicet morbi, eiusdem magnitudo,mos,& motus. Sed species morbi dignoscitur ex proprijs symptomatis, & signis,quę pathognomica,ideſt passionis significatiua appellantur.Magnitudo morbi dignoscitur ex magnitudine propriorum symptomatum. Mos verò morbi dignoscitur ex his,quæ mox apparent,ideſt ex superuenientibus symptomatis, & signis.Et motus morbi cognoscitur ex particularibus accessionibus.His habitis,pro nunc relinquamus, quæ attinet ad spe-

2. aph. 47.

Cap. 10.

2. Aph. 29.

ad speciem, & motum morbi, & solum consideremus, quæ attinent ad magnitudinem, & morem: inter quæ est maxima differentia: quia, vt eodem loco inquit Galenus, multæ febres sunt, quo ad magnitudinem, pusillę, & tamen sunt admodum perniciosæ, & malignę quo ad morem, quales multoties esse pestilentes febres quotidie experimur; videntur enim quandoq; adeo paruæ, vt nec curet æger; & tamen tendit ad mortē, & solent decipere etiam celeberrimos medicos, eas a principio parui pēdentes, quæ postea, malignitate detecta, cum medicorum infamia ægros perimunt. Econtra sunt multæ febres maximè, & validissimæ, & tamen sunt benignæ, & sine periculo, adeo quod potest febris maxima, & peracuta, esse benignissima: & febris parua potest esse maligna: & hac ratione Hippocrates febres validissimas, quæ terminantur in primo quaternione, si non fuerint prauis comitatæ symptomatis, vocauit simplicissimas, hoc est maximè benignas, & salubres. Multum ergo differt morbi magnitudo ab eius more: &, sicuti, vt dicebamus, magnitudo cognoscitur ex magnitudine propriorum symptomatum: ita etiam est tenendū quòd morbi magnitudo, simul cum illorum symptomatum magnitudine augeatur, & diminuatur: & de istis intelligit præcipuè Hippocrates, quando dicit, quod peracuti statim extremos habent labores, hoc est maxima in vigore habent symptomata, quæ ipsorum sequuntur naturam: de istis etiam intelligit secundo Aphorismorum, quādo dicit, quod circa initia, & fines omnia sunt imbecilliora, (intelligens per hæc, symptomata, vt eo loco Galenus exponit) &, dum consistunt, sunt fortiora: & ideò, cum symptomata hæc sequantur morborum naturam, (sunt enim pathognomonica) & ad eorum auctionem, & diminutionem augeantur, & diminuantur. si hæc in vigore sunt multo maiora, quam in principio, sequitur, quod multo maiores in vigore erunt etiam morbi. Est tamen verū, quod in morbis salubribus, quamuis in vigore morbus sit maior, tamen quo ad morem est benignior, & melior, quam erat in principio: & hoc est, quoniam causa morbifica in vigore iam est a natura euicta, & in principio erat magis rebellis, cuius ratione morbus erat malignior, cum natura eo tempore non cœpisset morbificam causam euincere. Et hac ratione potest simul stare, quod morbus a principio sit minor, quā in vigore: sed, quamuis sit minor, est tamen peior, & malignior, quam in vigore: & econtra in vigore est maior, quam in principio; sed est benignior, ac melior, quam in principio, loquendo de morbis salubribus. Et hoc intendebat Galenus secundo Aphorismorū, vbi inquit, Dispositio quidem, quam morbū appellamus, multoties in vigore, quā in principijs multo melior existit, in his, qui saluari debent. Sed, si animaduertimus, non dixit Multo minor, sed Multo melior: vt denotaret, quod non loquitur

3. Progn. 2.

Apho. 29. & 30.

quitur de magnitudine, sed de more ipsius morbi. Sic etiam tertio de ratione victus in acutis dicebat, quod morbus multoties in vigore mitior existit. & tamen symptomata sunt magna: quo loco visus est illa dictione Mitior, vt intelligeremus de benignitate, & more morbi, & non de magnitudine. Sed aliquis diceret, videri impossibile, quòd morbus sit maior, & cum hoc sit benignior, & tutior Et ideò, ad hoc, vt ex ipsa rei natura veritas elucescat, dicimus, quòd in morbo fit veluti lucta inter morbum, & naturam: natura enim, & calidũ innatum agẽtia in causam morbificam, eam, quantum fieri potest, ad benignum reducere, & vincere conantur. Calidum verò præternaturam, & morbus agunt in humores, & partes inficiendo, & putredinis gradus introducendo: & cum ex vtraq; parte sequatur alteratio, putredo augebitur ex calidi præter naturã actione: sed in morbo salubri, cum natura sit superior, quamuis putredo in quantitate vi morbi augeatur, tamen, ratione naturæ superantis, semper magis, ac magis corrigitur. Et ideò in vigore putredo quo ad quantitatẽ erit maior, quam in principio. sed nõ erit adeo rebellis, maligna, graue olens, fetida, ac naturæ inimica, vt rõne suæ magnitudinis excitet morbũ magnum, & maiorẽ, quam esset prius, sed benigniorem, quia natura iã causam morbificã euicit, & benigniorẽ reddidit. Sed aliquis adhuc instaret, si in vigore morbus est maior, & maior etiã eius cã, quõ erit possibile, ꝙ eo tpe natura morbum superet; cũ non potuerit in principio, qñ morbus erat minor? adde, ꝙ tunc natura erat valida, & nondũ à morbo fatigata, & in vigore est redacta ex morbi vehementia imbecilla. Ad hoc respõdet Auerroes quarto sui Colliget, dicens, ꝙ est mirũ, quare natura, cum in vigore sit debilior, quam in principio, põt in vigore vincere morbũ, & nõ potuit in principio: & inquit, ꝙ hoc accidit, quia actus actiuorũ fiunt in patiente benè disposito. cũ nanque cã morbifica, à principio esset rebellis, non potuit euinci. & opus fuit, vt prius ad naturæ actionẽ suscipiendam disponeretur, & disposita potuit in vigore facilius superari a facultate, quamuis tunc non sit adeò valida. quamuis enim respectu morbi natura in vigore sit fortior, tñ negari non põt, quòd respectu suimet in principio sit imbecillior. Vt iam ex dictis pateat, quid circa propositã difficultatem sit sentiendum, & quantũ aberrauerit Plusquã Commentator. Sed, quia adducebat exemplũ pleuritidis, in qua quãto magis approximatur vigor, & magis concocta expuuntur, tãto febris, & dolor magis remittũtur: & ideo existimauit, ꝙ in vigore morbus sit minor: Dici põt, esse deceptum: quia minimè animaduertit, quod Galenus dixerat tertio de rõne victus in acutis: vbi inquit, ꝙ illud accidit, quia in pleuritide materia, quæ est causa morbi, non reseruatur vsque ad vnam criticã expulsionem, ita, vt, paulatim facta aggregatione, postea simul cõcoquatur, &

Cap. 35.

Cõmẽ. vlt.

tur,& expurgetur.Et,vt hoc intelligatur,est sciendum,quòd, quando inflammatio est in aliqua parte,quæ non habet operculum densum, vt in oculis, in ore, in pene, & in partibus internis, vt in membrana succingente costas: si materia non est admodum crassa, semper aliquid resudat, etiam si fuerit crudum: & sic,quamuis noua semper fiat fluxio, noua semper etiam fit expurgatio: & hinc accidit, quòd,quando morbus est salubris,quanto magis procedit,tanto magis alleuiatur.Et hac ratione,quando ex signis perfectissimę coctionis indicatur,quòd morbus est in vigore,reperitur morbus multo minor,quam quando erat in principio: sicuti enim materia paulatim fluxit, ita etiam est expurgata, & non est seruata ad vnam criticam expulsionem: ita scilicet,vt,paulatim facta aggregatione, simul postea, quod continetur in parte, concoquatur, & expurgetur. Et ideò cum Galeno, hoc pacto prædictæ quæstionis determinatio est limitanda: quòd morbus semper est maior in vigore, quam in principio: loquendo de morbis, in quibus seruatur materia ad vnam criticam expulsionem: econtra quando non seruatur; vt in pleuritide, nisi suppuretur,& fiat intus puris collectio,& abscessus: quia materia non expurgatur,sed est seruata vsque ad vltimam,& vnam excretionem. Nec est dicendum cum Plusquam Commentatore, quòd in augmento sit concoctio,& in vigore non sit, sed est facta: hoc enim est falsum,vt in expositione sequentis Aphorismi declarabimus. Nec etiam est verum, quòd,quando inflammatio suppuratur, non est morbus salubris: hoc enim est contra Galenum,& Hippocratem, qui dixerunt,quod optimum pus,quod est æquale,album, & lene, arguit coctionem perfectam,& salubritatem.Et Galenus tertio Epidemion, suppurationibus opponit morbos lethales: quia, quamuis in inflammationibus sit magis expetenda digestio,quam suppuratio,vt habemus in libro de inæquali contemperie, non propter hoc tamen, quæ fit suppuratio, lethalis existimanda: immo inter crises,vt infrà explicabimus,est crisis permutationis,quæ quamuis non sit adeo laudanda, vt quæ fit per excretionem,tamen multos perniciosissimos morbos soluere nata est. Sed, antequam vlterius procedamus, circa prædicta est etiam animaduertẽdum,quòd,cum morbi acuti vt plurimum fiant a materia biliosa, quæ ob tenuitatem de facili mouetur,accidit quandoque,vt,apparentibus signis oĩbus lethalibus,statim,& inopinatè fiat mutatio,ita,vt morbus fiat salubris: quia materia, quæ erat in loco nobili, mota est ad partẽ ignobilem: & hoc est in cã, vt acutorum morborũ non omnino sint certæ prænũtiationes salutis, & mortis, vt in expositione dicti Aphorismi Galenus asserit.Et in hoc casu dicebat magister meus Philippus,ꝙ põt esse, vt nõ solũ mutatio fiat penes benignitatẽ,& malignitatẽ,sed etiã penes magnitudi-

Cõmen. 1. *Cõmen. 8.* *Cap. 3.* *2.Aph.19.*

tudinem, & paruitatem: quoniam materia in loco ignobili, non solum benigniorem, sed minorem etiam excitabit morbum: & sic morbus poterit esse minor in vigore, quàm fuerit in præcedentibus temporibus. Et ideo cum ipso addamus hanc secundam limitationem, quòd semper morbus est maior in vigore, quàm in principio: dummodo materia feruetur ad vnam criticam expulsionem, & in eodem loco permaneat, & non de loco ad locum transmutetur. Et de his hactenus. Dubitant etiam multi circa id, quòd febres a morbis acutis sunt inseparabiles, ex Galeni sententia in commento: quia, quamuis idem etiam dicat secundo Aphorismorum, & primo de ratione victus in acutis, tamen videtur sententia dubia: quoniam non solum febres non sunt inseparabiles a morbis acutis, sed dantur morbi acuti, qui sunt penitus sine febre; vt ipsemet Galenus asserit secundo Aphorismorum, & quinto Aphorismorum, exponens sententiam Hippocratis, quòd lethale sit, vtero gerentem capi morbo acuto; inquit, quòd vera est sententia, siue intelligatur de acutis, cum febre, siue de acutis sine febre, vt apoplexia, morbus comitialis, conuulsio, & distensio. Et primo Prognosticorum, exponens sententiam Hippocratis, quòd facilis spiratio magnam vim habeat ad salutem in morbis acutis, quibus febris adest, inquit: Hippocrates addidit, Quibus febris adest, ad differentiam morborum acutorum sine febre; vt est apoplexia, morbus comitialis, & cholera, quæ est morbus ille, qui a barbaro latinis Colirica passio nuncupatur. Ex quibus locis, non solum habemus, quòd febris possit a morbis acutis separari, sed etiam, quod dentur aliqui acuti sine febre. Nec est verum, quod dicunt multi, quòd intelligenda est sententia de illis morbis, qui sunt acuti merito febris, quam habent adiŭctam: quoniam essemus coacti fateri, quòd phrenitis, pleuritis, & aliæ huiusmodi inflammationes, non sunt ex se acutæ, sed quia habẽt febrem inseparabilem, cuius opppositum explicabimus in expositione duodecimi Aphorismi: vbi cum Galeno determinabimus, quòd omnis inflammatio, ratione sui, est morbus acutus; & multo magis, si in parte magni momenti generetur; & tunc febris non est tanti momenti, vt in morbo acutiem excitet: Sed è contra morbus adeò vrget, vt febrem tanquam necessarium quoddam subsequens sibi associet. Nec est acceptandum, quod dicunt alij, quòd Galenus protulit hanc sententiam sic vniuersaliter, quia vt plurimum morbi acuti sunt cum febre inseparabili, & continua; quoniam, vt habemus quinto Aphorismorum, & secundo de difficultate respirationis, quod raro accidit, non destruit sententias vniuersales; & sic vsurpatum est in arte medica, vt propositiones sint intelligendæ vt plurimum, etiam si vniuersaliter,

Quod febris morborum acutorum sit inseparabilis.

Cõmẽ. 19.

Cõmen. 18.

loco alleg.

Cõmen. 30.

Cõmen. 25.

& ſine limitatione proferantur. Quod mihi non placet, quia dari morbos acutos ſinè febre,non eſt adeò rarum, vt in arte medica contrarium dici poſſit ſine diſtinctione: quia,etſi rari ſint morbi acuti ſinè febre, tamen illi non raró accidunt: non enim raró apoplexia,non raró morbus comitiales,ſic & conuulſio,& cholera, cum horum affectuum vi, & magnitudine multos perire, & ad minus male vexari videamus. Et ideo meo iudicio eſt aliter dicendum: & cum quibuſdam prius eſt animaduertendum,quòd in Græco codice textus ſe habet alio modo, quam interpretatio Leoniceni explicat,inquit enim: ἢ τοὺς πυρετὰς τὰς ἀχωρίςας τῶν ὀξέων νοσημάτων. Quæ ad verbum ſic ſunt interpretanda: Et febres inſeparabiles morborum acutorum. Per quæ verba Galenus non negat dari morbos acutos ſinè febre,ſed vult,quòd febris morborũ acutorum, hoc eſt,quæ eſt coniuncta cum morbis acutis,ſemper eſt continua,& inſeparabilis: quia acuti morbi,quando aſſociant ſibi febrem, ſemper illa eſt continua,& nunquam intermittens.Et ſic omnia dicta Galeni verificantur. Et, quòd hoc pacto ſit intelligenda eius ſententia, poteſt patere ex his,quæ dixit ſecundo Aphoriſmorum,vbi, poſtquam dixit eadem verba,ſcilicet,quòd febres morborum acutorum ſunt inſeparabiles:ſubiũgit, Raro autem ſunt ſine febre, vt apoplexia. quod non dixiſſet, ſi per priora voluiſſet,quod febris eſt inſeparabilis a morbis acutis. Et ſic concludamus,quod acuti morbi poſſunt eſſe ſine febre: ſed, quando febris adeſt,de neceſſitate eſt continua.

APHORISMVS OCTAVVS.

Quando morbus in ſuo vigore conſiſtit, tunc tenuiſſimo victu vtendum eſt.

APHORISMVS iſte hoc pacto a multis præcedenti annectitur. Cùm dixerit,quod in morbis peracutis vti debemus victu tenuiſſimo: ne aliquis exiſtimaret, illud ſolum in illis morbis eſſe faciendum, ſubiungit hunc aphoriſmum: aſſerens, quod illud debet fieri in omnibus morbis,ſed non ſtatim a principio: quia hoc eſt proprium peracutorum: ſed in alijs illud debet fieri ſolum in vigore,& ideo vniuerſaliter de oĩbus ſententiam protulit: quod,qñ morbus eſt in vigore,debemus uti tenuiſſimo uictu, quo in morbis peracutis vtebamur etiam a principio. Quæ introductio mihi non placet: primo, quia

quia Galenus in Commento inquit, quòd in aliquibus hic aphorismus scribitur separatim a præcedente, vt nos habemus: in aliquibus præcedenti annectitur, veluti antea scriptum est, & non scriptus est, vt Leonicenus, & Cenomamus interpretati sunt: Galenus enim non voluit, quòd a præcedenti sit separatus, sed quòd in præcedenti includatur. Sed, quomodocunque scriptus reperiatur, nihil declarat differens a præcedē ti: & hoc, quod dicit Galenus, non esset verum, si hic loqueretur de omnibus morbis, & in præcedenti solum de peracutis: quòd autem in hoc aphorismo nihil declaret differens a præcedenti, habemus etiam octauo Methodi: secundò, mihi non placet, quia, si Hippocrates in omnibus morbis hanc protulisset sententiam, esset falsa: quoniam non debemus in omnium morborum vigore vti tenuissimo victu; eo magis, quia per tenuissimum victum intelligunt, qui ex sua natura sit talis, vt melicratū, vel cremor ptissanæ in pauca quantitate, qui victus non competit in omnium morborum vigore. quō namque talis victus posset competere in febris quartanæ vigore, qui durat per menses? Et, si aliquis diceret, ꝙ per tenuissimum victum non debemus intelligere, qui fuerit ex sua natura talis, sed facta ad victum præcedentem collatione; non multum à veritate deuiaret: &, si consideramus, quæ dixit Galenus loco allegato, & primo ad Glauconem, forsitan eius sententia non dissentit ab hac, cum videatur exprimere cām, quare in peracutis exquisitè statim debemus vti tenuissimo victu: & est, quia statim est in vigore, & tenuissimus victus ad illud tempus debet reseruari. Sed, quia Galenus in expositione Aphorismi decimi vult, ꝙ Hippocrates ibi locutus est vniuersaliter de omnibus morbis, in hoc verò, & præcedenti, solum de peracutis: ideò circa istius Aphorismi expositionē dicendū, ꝙ ita continuari potest. Cū dixisset, ꝙ in morbis peracutis, quia statim vigent, & extremos habēt labores, debemus statim vti victu tenuissimo: vt nobis insinuaret, ꝙ hoc fit rōne propinquitatis vigoris, ad quod tēpus debet tenuis victus reseruari, hūc subiūgit Aphorismum, in quo explicat, ꝙ in peracutis oportet statim vti tenuissimo victu, quia statim sunt in vigore, & in vigore oportet vti tenuissimo victu. &, si bene aduertimus, hoc pacto hos Aphorismos exposuit octauo Methodi: & sic intelligendo, Aphorismus non docet quid diuersum a præcedenti: & cum hoc non solum non est superfluus, sed admodum vtilis. explicat enim sententiam admodum implicitam, & obscuram. Et aliquis potuisset existimare, quòd in peracutis in omni tēpore sit æquè prohibitum cibare, ꝙ non est verum. prohibitio enim in alijs tēporibus est ratione propinqui vigoris, & ideo, qñ esset citandū, esset minus inconueniēs in principio, & augmento, quā in vigore, sed pp morbi breuitatē & vigoris propinquitatē, melius est ēt in alijs tēporibus abstinere

Cap. 3.

Cap. 8.

vel tenuissimo vti victu. Posset etiam alio pacto continuari, & exponi, non recedendo ab expositione præcedentis, in quo diximus, quod Hippocrates in prima sententia loquitur de exquisitè peracutis: in secunda verò loquitur de alijs peracutis non exquisitè: in quibus vult, vt tanto pleniorem exhibeamus victum, quanto peracuti non exquisitè sunt exquisitè peracutis minores, & mitiores. Sed, quia aliquis potuisset existimare, quod hæc licentia potest haberi in omni tempore, subdit hunc Aphorismum, in quo explicat, quòd, quamuis in talibus morbis licet a principio vti victu quodammodo pleniori; tamen, superueniente vigore, & extremi adsunt labores, & symptomata; debemus vti tenuissimo victu, vt in exquisitè peracutis a principio vtebamur. Et satis huic sententiæ respondet, quod Galenus secundo de diebus decretorijs asserit, vbi ait, quòd, si alicui ægrotanti morbo, qui septima die terminari debet, non solum in ipsa, sed per diem antea a prædicto victu debet abstinere, & non ob aliud, nisi quia in istorum morborum vigore oportet attenuare; vt in illis. Sed, quia Galenus in Commento, afferens rationẽ, quare in vigore oportet vti victu tenuissimo, inter alia dicit, quia tunc natura coctioni fortiter vacat; & Auerroes tertio sui Colliget, & eius sequaces tenent, quòd in vigore non fit concoctio, sed est facta: ideò etiam circa hoc aliquid dicamus. Et quod oppositum Galenus sentiat, & quòd tenuerit, quòd non solum in vigore fit concoctio, sed quòd tunc magis fiat, quam in omnibus alijs temporibus, habetur ex hoc Commento, & ex præcedenti, & clarissimè ex primo de crisibus: in quibus locis voluit, quod perfectissima concoctio fit in vigore. quod etiam sentit Hippocrates in Aphorismo, Dum pus conficitur, dolores, & febres magis fiunt, quam confecto: & perfectum pus, vt inquit Galenus primo de crisibus fit in vigore. Sed aliquis diceret, Si Galenus ibi distinxit augmentũ a principio, ex eo, ꝙ in eo apparent manifesta signa coctionis; & quousque illa signa non fuerint perfecta, semper est incrementum; in vigore postea concoctio erit perfecta, & non amplius fit. Ad hoc respondetur, ex Galeno in eodem loco; quod morbi assimilantur abscessibus; & ideo in eis, vt in abscessibus, distinguenda sunt tempora: &, veluti in abscessibus erit incrementum, quousque non incipiant apparere perfecta coctionis signa, &, quãdo apparent, incipit vigor: & cùm hoc, non tota materia tunc est perfectè concocta, sed tantum portiuncula quædam: & superueniente vigore, natura non solum concoquit, quod reliquũ est, sed tunc maximè circa coctionem est occupata, vt tota materia in abscessu contenta concoquatur: ita accidit in febribus, in quibus est augmentũ, quousque appareant signa perfectionis: quando verò causa morbifica incipit perfectè concoqui, est vigor: sed, quamuis in eius principio ali-

Cap. 11.

Cap. 9.
An in vigore fiat concoctio.

Cap. 17. & 18.

Loco alleg.

qua

qua portio humoris sit perfectè concocta: tamen totum, quod reliquum est, indiget coctione: & natura, cum cœperit superare, perfectius eo, quã alio, tempore agit, & sic coctioni fortiter vacat. Sed Auerroes meo iudicio secutus est nominis Etymologiam: existimauit enim, quòd, cum illud tempus apud ipsos dicatur status, natura tunc stet, & ab omni actione quiescat. & idò melius, vt cum Galeno tempus illud dicatur Vigor.

APHORISMVS NONVS.

Coniectari autem oportet, an æger cum victu sufficiat perdurare, donec morbus consistat; & nunquid prius ille deficiat, nec possit cum victu perdurare, vel morbus ante deficiat, atque hebetescat.

DIXERVNT aliqui, quòd, cùm Hippocrates dixerit multa de victus ratione, sumpta indicatione a futuro morbi vigore propinquo, vel lõginquo: in hoc Aphorismo proponit quandam veluti limitationem eorum, quæ dicta sunt: quia, cum indicatio cibandi sumatur a viribus, & morbus, ac morbi tempora considerentur vt contraindicantia, & potentia impedire, & indicatio, quæ sumitur à viribus, est omnium principalissima. Ideo Hippocrates, limitans quæ dicta sunt, subiungit hunc Aphorismum, in quo præcipit tunc tantum, quæ de victus ratione instituenda, sumpta a morbi vigore indicatione, dicta sunt, esse obseruanda; quando virtus cum illo victu potest vsque ad morbi solutionem perdurare. quòd si posse sufferre dubitetur, pleniorem victum oportet adhibere, etiã si morbi vigor aliter suadeat. Quidam alij dixerunt, quod, cum Hippocrates locutus fuerit de victus quantitate, sumpta indicatione a morbi vigore; hic loquitur de eadem victus quantitate, sumpta indicatione a viribus. Et, incipiendo ab his, dicimus, quod minimè verum est, quòd Hippocrates in hoc, & præcedentibus aphorismis loquatur de victus quantitate: quoniam, considerare victum magis, aut minus tenuem, & tenuissimum, qui parum, aut multum nutriat, & qui facilè, aut difficilè concoquatur, est considerare alimenti qualitatem, non quantitatem: & ideò in libro de optima secta asserit, quòd, quando Hippocrates dixit, cum morbus est in summo vigo- *Cap. 39.*

re, oportet tenuissimo victu, locutus est de victus qualitate. Sed isti decepti sunt ex his, quæ Galenus inquit in expositione illius Aphorismi: Victus humidus febricitantibus omnibus confert. In cuius introductione inquit, quòd, cum Hippocrates in præcedentibus locutus fuerit de victus quantitate, ibi loquitur de victus qualitate. Et ipsi ex hoc existimauerunt, quòd omnes aphorismi, qui illum præcedunt, sunt de quantitate victus: sed decepti sunt: quoniam per præcedentes aphorismos intellexit solum illos, qui sunt post duodecimum: quia in illius Commento dixerat, quòd Hippocrates sumpsit victus formam, & ideã ex morbi vigore, ex particularibus accessionibus, & ex viribus: & victus forma consistit in qualitate, & quantitate: immo nihil aliud est victus forma, nisi determinatus quidam victus quoad quantitatem, & qualitatem, vt habemus secundo de ratione victus in acutis, & colligere etiã licet ex libro primo eiusdem. Illud verò, quod alij dicebant, verum est: sed non omnino explicant Hippocratis mentem: vt ex his, quæ dicemus, melius patebit. Et nos interim cum Galeno in Commento huius Aphorismi, & duodecimi, sic Aphorismum introducimus: quod, cum Hippocrates intenderet victus figuram, siue formam, siue speciem indagare: & oporteat, ad hoc, vt talis forma victus instituatur, considerare tũ morbi modum, tum virium robur, vt habemus in secundo de ratione victus: vult enim, vt victus in forma in morbis colligatur, ex collatione facta ipsarum virium ad morbum: considerando etiam ætatem, consuetudinem, & alia huiusmodi, sed principaliter habetur ab illis. Et, cum in præcedentibus Aphorismi ad victus rationem instituendam, sumpserit indicationem à morbo, & eius vigore, in hoc Aphorismo considerat ipsas vires. Sed ad perfectã intelligentiam eorũ, quæ ab Hippocrate, & Galeno sunt scripta, est iterũ sciendum, ꝙ indicatio cibandi non sumitur à morbo, sed ab ipsis viribus: qm̃ virium gratia nutrimus, & morbus cõsideratur in cibatione, vt contraindicans, & potens impedire, vt prius dictũ est, & inferius clarius patebit. Et, cũ nutriendi indicatio sumatur a viribus, & illud, quod indicat auxiliũ in genere, illud idẽ si addatur differentia indicat qualitatẽ, & quãtitatem sub illo genere, vt habemus libro de optima secta: quo loco ponitur exemplo, quod quærimus in hoc loco, scilicet, ꝙ alimentum in genere indicatur a virtute: qm̃ virium gratia nutrimus: & ab ipsamet addita differentia indicatur quantitas alimẽti: teste Hippocrate in illo Aphorismo, Qui crescũt, plurimũ habent calidi innati, & ideò pluribus fomitibus indigent: alioquin corpus absumitur. & sic a copia caloris innati, in quo fundatur virtus, meritus est copiã, & quantitẽ alimenti; & ab ipsa et virtute, addita drĩa, indicatur qualitas alimẽti, vt habemus ab Hippocrate in libro de alimẽto, qñ dixit, Cibus iu-

Apho. 16.

Cõmẽ. 36.
Cõmẽ. 44.

Loco alleg.

Quod a viribus sumatur indicatio cibãdi & qualitatis ac quantitatis cibi.

uenibus quidē nō mutatus, ſenibus verò valde permutatus: q̄m iuuenibus non ſolū debemus exhibere alimentū multum, ſed et tale, vt non facilè cōcoquatur: ad hoc, vt magis nutriat, & quod ex eo prouenit, nō facilè diſſipetur. Non ſic in ſenibus; qui habent calorē imbecillū, quibus non ſolum paucum debemus exhibere alimentum, ſed illud bene præparatum, alteratum, ac facilis coctionis, vt ab imbecillo calore poſſit euinci. Et ſic virtus non ſolum indicat alimētum in genere, ſed ipſamet, additis differentijs, indicant quandoque quantitatem, quandoque qualitatem ſub illo genere. At morbus, & morbi tempora in cibatione cōſiderantur, non quia ex illis (vt pluries dictum eſt) ſumatur aliqua præcipua victitandi indicatio, ſed vel quatenus contraindicant, & poſſunt prohibere: vel quatenus ex illis licet metiri robur ipſarum virium, a quibus poſtea præcipua ſumitur cibandi indicatio. Et ideo aberrauerunt methodici, qui a morborum temporibus ſumi cibandi indicationem exiſtimabant. Sed iſtos (vt inquit in libro de optima ſecta) fefellit Hippocrates, qui ſcriptum reliquit: Quando morbus in ſuo vigore cōſtiterit, tunc victu tenuiſſimo vtendum eſt. At non ſic res habet, quoniā non a vigore ſumpſit indicationem Hippocrates, ſed a vigore metitus eſt facultatem, & a facultate cibandi indicationem ſumpſit: Et ideo, cùm virtus eo tempore ſit fatigata, & ab alimento magis opprimeretur, ac diſtraheretur a morbificæ cauſæ coctione: protulit, quòd in vigore debemus vti tenuiſſimo victu: & ab hoc alimēti qualitatem adinuenit: per qualitatem verò intelligere oportet ſpeciem determinatam, vel differentiam ſpecificam, vt prius dictum eſt. Et ſic qualitas alimenti eſt, vt ſit tenuis, plenus, vel mediocris, ſic tenuiſſimus, & parum, vel multum nutriens, & facilis, vel difficilis coctionis: quoniam in iſtis conſiſtit alimenti qualitas, vt alimentum eſt: conſiderare verò alimentum, vt habet vim calefaciendi, refrigerandi, aperiendi, detergendi, vel aliquid huiuſmodi faciendi, nō attinet ad qualitatem alimenti, vt alimentum eſt, ſed ad alimentum, vt eſt medicinale. Et ideò non eſt mirum, ſi Hippocrates hanc qualitatem alimenti ſumpſit a morbo, in illo Aphoriſmo, Victus humidus febricitantibus omnibus confert. Quoniam, cùm morbus indicet ſui ſublationem, quæ fit per contrarium: & inter alia, quæ poſſunt tanquam contraria morbum ſummouere, ſunt qualitates medicinales, quæ in quibuſdam alimentis reperiuntur; ideò iuſſit Hippocrates, vt illas etiam in alimentis conſideremus, vt in alimento ægris exhibendo, non ſolum ſit qualitas alimenti vt alimentum eſt, quæ indicatur a virtute: ſed in eo ſit etiam qualitas alimenti, vt eſt medicinale, quæ indicatur a morbo tanquam a ſuo contrario. Et cum hæc indicatio non ſit alimenti, vt alimentum eſt: remanet perpetuo verum, quòd

Cap. 39.

ab ea-

ab eadem virtute, a qua indicatur alimentum in genere, indicatur etiã qualitas, & quantitas alimenti, vt alimentum est. Et ideo inquit Galenus, Semper indicationem cibandi Hippocrates sumpsit a virtute: &, si in vigore dixit, quòd debemus vti tenuissimo victu, hoc dixit, quia ex tempore morbi metitus est facultatem. Et ideò indicatio sumpta in cibando a morbi vigore, propriè loquendo est indicatio sumpta a facultate, eo tempore a morbi vehementia maximè vexata. Sed, quoniam, considerare facultatem in hoc, vel illo morbo, & in hoc, vel illo tempore magis, aut minus vexatam: non in omnibus sufficit ad rectam victus rationem instituendam; sed solum in his, qui vires habent robustas, & non idem est omnibus virium robur: Ideo ad victus rationem perfecte instituendam, monuit in hoc Aphorismo, vt non solum consideremus vires, vt mensurantur a futuro morbi vigore propinquo, vel lõginquo, & vt sunt magis, vel minus vexatæ ab ipso morbo: sed etiam consideremus vires in seipsas. Et videamus, si cum victus ratione, quę facta collatione virium ad morbi vigorem, institui deberet, possunt sufferre vsque ad morbi solutionem, ita, vel ne: quoniam, si possunt sufferre, in illa debemus insistere: sic enim conseruabimus uires, & quatenus fieri potest, non augebimus morbum: quòd si non posse sufficere uideantur, & si morbus contra indicet, eius contra indicationem paruipendentes, tanto plenius cibabimus, quanto uidebimus ad uirium tutelam usque ad morbi iudicationem esse necessarium. Et est animaduertendum, quòd, quando virtus non potest sufferre, non solum sumus coacti mutare uictus rationem quoad quantitatem exhibendo cremorem ptissanæ, uel ptissanam, uel aliquid huiusmodi, in maiori quantitate, quam exhiberemus, si uirtus sufficeret: sed multoties summus coacti mutare uictus speciem, & qualitatem: quoniam, si non potest sufferre cum uictu tenuissimo in extremo, exhibebimus tenuissimum non in extremo: & si nec cum hoc sufficiat, exhibebimus tenuem exquisitum, uel non exquitum, si oporteat: & denique, ubi maxima urget necessitas, debemus etiam multum nutrientibus uti. Et ideò non est laudanda eorum positio, qui dicunt, quòd, postquam Hippocrates locutus est de quantitate uictus, sumpta indicatione a morbi uigore, uel a uirtute fatigata ab ipso morbo; in hoc Aphorismo loquitur de quantitate uictus, sumpta indicatione ab ipsis uiribus consideratis in se ipsis. Quoniam ex hoc sequeretur, quòd uirium imbecillitas non possit uariare in uictus ratione nisi quantitatem, & non speciem, & qualitatem, cuius contrarium dictum est. Et ideo Galenus uult, quòd schima, & idos, idest forma, & species alimenti sumitur tum a uirtute, tum a morbo: & tam uirtus, quam morbus facit & ad qualitatem, & ad quantitatem alimenti: hæc enim

Loco allegato.

enim in ſpecie, & forma alimenti includuntur. Eſt tamen animaduertendum, quòd, quando ratione uirium eſt alio pacto nutriendū, quàm morbi uigor ſuaſerit: conari debemus, ut uictum pleniorem a principio exhibeamus, ut, ſuperueniente uigore, quantum poſſibile eſt, uictum attenuemus. & in hoc etiam eſt conſulenda uirtus, quoniam, quando eius indicatio multum urget, ut ſuperueniente aliquo ſymptomate, quod multum uires labefactet: etiam in uigore coacti ſumus nutrire, & plenius, quàm oportet: ut optimè teſtatur in commento Galenus. Indicatio enim, quæ ſumitur a uiribus, adeo alias dignitate præcedit, ut, ea multum urgente, cæteræ omnes reddantur obſcuræ. Sed ad Aphoriſmum accedamus, in quo præcipit Hippocrates, vt ſimul cum prædictis, ſcilicet morbi acutie, & propinquo, vel longinquo morbi vigore, conſideremus ægri vires, ſi cum illo victu, qui ratione futuri uigoris inſtitui debet, poteſt perdurare uſque ad morbi uigorem, uel prius deficiet, &, ſi defecturum timemus, uictum pleniorem inſtituamus: ſin uero ſperamus, quòd, priuſquam uires deficiant, deficiet morbus, aut ad minus hebeteſcet, hoc eſt obtundatur, & fiat minor, quia declinabit: poterimus in uictu ſumpto a uigoris præcognitione inſiſtere: & poſteà in declinatione nutrire, quoniam in declinatione non moritur æger, ut inquit Galenus tertio de criſibus.

Cap. 5. & 9.

APHORISMVS DECIMVS.

Quibus igitur ſtatim morbus conſiſtit, ijs ſtatim tenuis victus adhibendus eſt: quibus vero poſterius conſiſtere debet, ijs & in ipſo conſiſtendi tempore, & parum ante illud, cibus ſubtrahendus: prius vero vberius agendum, vt æger ſufficiat.

HIP POCRATES in hoc Aphoriſmo in omnibus morbis uniuerſaliter concludit, quod dixerat in ſolis peracutis; in quibus præceperat, quòd in uigore uictu tenuiſſimo uti oportet: &, ne aliquis exiſtimaret, quod ſolum in illorum morborum uigore uictus ſit attenuandus: concludit ex his, quæ dicta ſunt, quòd idem uniuerſaliter in omnibus aliis eſt obſeruandum: quoniam in cuiuſque morbi uigore tenuius debemus nutrire, quam in præce-

dentibus temporibus: prius enim (vt etiam de peracutis non exquisitè dicebat in secunda parte Aphorismi septimi) licet vberius cibare. Sed sciendum, quòd, etsi Galenus dicat in commento, hunc Aphorismum esse vniuersalem, & septimum de solis peracutis: tamen expositores nesciuerunt distinguere hanc sententiam ab illa, & quomodo hæc vniuersalis, & illa particularis. Sed re vera hic Aphorismus ab illo in multis differt. Et primò per aduerbium, Igitur, quod est in vtroque Aphorismo: sed in septimo denotat, quòd ille Aphorismus dependet, & infertur ab Aphorismo sexto: & hic loquitur de morbis extremis. In hoc autem denotat, quòd Aphorismus iste ex dictis omnibus concluditur; & vult inferre, quòd, quemadmodum in illis in vigore victum debemus attenuare; ita etiam est faciendum in aliis: semper enim, vt ex Galeno diximus, victum magis tenuem debemus ad illud tempus reseruare. Sed, quamuis verum sit, quòd semper debemus in vigore magis attenuare; tamen non in omnibus morbis eadem victus specie, qua in peracutorum vigore, vti debemus: tempora enim in aliis morbis sunt longiora, & virtus non posset sufferre: & ideò vtitur verbo Consistit; & nō dixit Extremos habet labores, vt in illo Aphorismo, quia habere extremos labores, est proprium vigoris peracutorum; consistere vero est cōmune ad omnes morbos. Et ideò est reprehendendus Brasauolus, qui idem esse Statim consistere, & Statim extremos habere labores, existimauit; quia, iuxta eius sententiam, morbi, qui statim consistunt, nō sunt nisi peracuti; de quibus dictum est, quòd statim extremos habent labores. Sed deceptus est, quia, vt ex Galeno supra diximus, aliud est dicere morbum breuem, & aliud dicere morbum acutum: quoniam multi sunt breues, qui non sunt acuti: acutus enim morbus est ille, qui non solum cito terminatur, sed etiam statim magnitudinem habet, vt ex Galeno habemus. Et sic morbi, qui non sunt magni, & qui ad magnitudinem non statim perueniunt, etsi cito terminentur, acuti morbi nō sunt, sed dicuntur breues. Et sic, quamuis verum sit, quòd peracuti morbi statim consistunt, non tamen verificatur econtra, quòd morbi omnes, qui statim consistunt, sint peracuti: multi enim sunt morbi breues, qui statim consistunt, & non sunt acuti, vt febris diaria, & febres biliosæ intermittentes; maximè si materia fuerit pauca, & satis tenuis: vt colligitur ex Galeno tertio Prognosticorum: & sic in plus se habet Statim cōsistere, & est magis vniuersale; quàm Statim extremos habere labores: vt per hoc etiam, & secundo hic Aphorismus distinguatur a septimo.

Aph. 4.

2. aph. 19.

Cōmen. 10.

Differunt & tertio ex eo, quòd hic dixit, Statim tenuis victus adhibendus est; & non, vt ibi, Statim extreme tenuissimo victu vtendum est: & tenuis victus, est tanquam genus ad omnes victus tenues, & tenuissimos,

mos, exquisitos, & non exquisitos: vt in superioribus dictum est. Quartò, in hoc aphorismo dixit, Cibus subtrahendus est, & non dixit, extreme tenuissimo, hoc est inedia vtendum est, vt in alio aphorismo: & subtrahere cibum est non solum sic tenuissimè cibare, sed etiam qualitercunque respectu superiorum temporum victum attenuare. Vt ex omnibus his, quàm optimè verificetur Galeni sententia, quòd hic Aphorismus differt a septimo, quia magis vniuersalis: ibi enim de peracutis solum, hic vero de omnibus morbis vniuersaliter. Sed circa ea, quæ in hoc Aphorismo, & in præcedentibus dicta sunt de instituenda victus ratione, sumpta indicatione a morbi temporibus: ad hoc, vt omnia reddantur clariora, magis insistẽdum est. Quoniam videtur, quòd Hippocrates omnino sumpserit indicationem a morbi temporibus, tum in cibando, vt in expositis Aphorismis: tum in euacuãdo, vt in illo Aphorismo, Cùm morbi inchoant, si quid tibi videtur mouendum, moue: cum verò consistunt, ac vigent, melius est quietem habere. Et nullam huius sententiæ assignauit rationem, nisi quæ a temporibus sumitur; subiungens in Aphorismo sequenti, quòd circa principia, & fines omnia sunt imbeciliora: cum verò consistunt, fortiora. Vnde est ergo, quòd Galenus toties exclamat, quòd a temporibus morborum nulla sumitur indicatio, nec in cibatione, nec in euacuatione? Ad hæc dicimus, vt etiam in præcedentibus dictum est, (circa ea enim, quæ sunt in arte vtilissima, idem pluries repetere non pigebit: cùm huius non piguerit ipsummet Hippocratem, qui breuitatis erat studiosus, vt quinto Aphorismorum Galenus asserit) quòd indicatio cibandi sumitur a viribus, quarum gratia nutrimus: & indicatio curandi, & euacuandi sumitur a morbo, & eius causa: quoniam, quæ sunt secundum naturam, indicant sui custodiã; &, quæ sunt præter naturam, indicant sui sublationem: vt habemus tertio Methodi. Est tamen verum, quòd in cibatione ægrotantium consideramus etiam morbum, & in euacuatione, & curatione cõsideramus etiam vires: quoniam, ad hoc, vt aliquod presidium exhibeatur, requiritur præsentia illius, quod postulat, siue indicat: & absentia illius, quod potest impedire, ut habemus libro de optima secta. Et sic uirtus, cum possit impedire euacuationẽ, ut in expositione tertij Aphorismi dictum est, consideratur in euacuatione: quia, etsi indicatio euacuandi sumatur a repletione: non euacuamus, si uirtus contraindicando ab euacuatione penitus reclamat. Eadem ratione, cum morbus contraindicet in cibatione tanquam potens impedire alimentum, ut Galenus testatur primo de ratione uictus in acutis, & libro de optima secta, cõsideratur in cibatione, non quòd cibum indicet, sed quia potius contraindicat, & potest impedire. Et, sicut euacuamus ratione morbi, & eius

Aph. 4.

An tempora morborũ in cibatione aliquid indicent.

2. aph. 29.

Cõmen. 64.

Cap. 3.

Cap. 38.

Cõmen. 44.

Cap. 43.

&eius causę; sed tunc tantum, quando vires euacuationi non reclamãt: eodem pacto cibamus ratione virium, sed quando morbus cibationi non reluctatur:& hoc pacto in cibatione consideratur morbus: tempora verò morborum considerantur, tum in euacuatione, tum in cibatione, quatenus nobis sunt vtilia, ad mentiendum tum morbi magnitudinem, tum ipsarum virium robur. Quare, optimè sciens Hippocrates, quòd virtus imbecilla reluctatur euacuationi,& robusta non reclamat: illam protulit sententiam, Cum morbi inchoant, si quid tibi videtur mouendum, moue; cum vero consistunt, ac vigent, quietem habere melius est. Nam in principio virtus non est admodum fatigata,& sic potest sufferre euacuationem; maximè, quia omnia, quæ offendunt, eo tempore sunt imbecilliora, non sic in vigore, in quo morbi causa, & morbus maxime præualent in magnitudine, & symptomata sunt vehementissima;& sic virtus his fatigata non poterit euacuationem sufferre: & ideo dicebat libro de optima secta, loquendo de allegato Aphorismo, Illam protulit sententiam Hippocrates, non propositum sibi faciens, ac pro scopo habens morbi tempora: sed ex morbi temporibus metitus est facultatis robur. Vt iam pateat, quòd non per se indicant morbi tempora in euacuatione, sed iuuant per accidens; quatenus per ea dignoscimus facultatis robur. In cibatione etiam eadem de causa considerantur: ex illis enim metimur virium robur: quia, cum in vigore virtus sit admodum a morbo vexata, & circa causæ morbificæ coctionem occupata: colligimus, quòd tunc quàm prius tenuiori debemus vti victu, & maximè, quia tempora morborum simul, & semel etiam morbi magnitudine metiuntur: morbus enim prohibet alimoniam, & magis prohibet quando est maior: & sic per tempora, mensurata morbi magnitudinem, cum sit maior in vigore, eo tempore magis etiam cibationi reluctatur; & sic eo tempore oportet vti victu tenuiori, quàm prius. Et sic licet concludere, quòd a temporibus morborum, nec in euacuatione, nec in cibatione, per se sumitur indicatio: sed considerantur quatenus iuuant ad dignoscendum tum virium, tum morbi magnitudinem, a quibus postea propriè sumitur indicatio. Sed circa id adhuc aliquis insisteret: quia, si hæc sunt vera, Galenus pluries sibi contradicit, cum & in præcedentibus aphorismis, & libris Methodi pluries in cibando à morbo, & eius temporibus, & in curando, & euacuando, a virtute sumpserit indicationem: & posteà contrariũ asserit libro de optima secta. Et hinc Argenterius, in omnibus ferè contumeliosus, ausus est asserere, Galenũ circa indicationes fuisse satis varium, & confusum. Nos autem, vt omnis ambiguitas remoueatur, & ad huius viri sophismata facilis sit responsio, aliqua de indicationibus dicere conabimur: & maximè, quia

Cap. 40. & 41.

Galenum

Galenum ſectamur, qui quamuis non contempſerit experientiam, tamen, quantum fuit poſſibile, artem methodo, & per indicationes docere contendit. Et ideo dicebat ſecundo Methodi, quòd rationabiliter, & methodo mederi, eſt mederi per indicationes. & indicatio ſumitur ab ipſa rei natura, in qua quid faciendum ſit, eſt quodammodo deſignatum: &, quicquid ſine experientia inuenitur, indicatione inuenitur: quicquid enim eſt præter experientiam, eſt indicatio. Et ideò, vt omnia ritè intelligantur, videre oportet, quid ſit indicatio; deinde, quid ſit experientia, ſiue obſeruatio: hæc enim ſunt vnum, & idem, vt habemus libro de optima ſecta. Et, quoniam eodem loco addit analogiſmum tāquam quoddam tertium: inquit enim: Quicquid inuenitur, vel per indicationem, vel per obſeruationem, vel per analogiſmum inuenitur: oportet etiam videre, quid ſit Analogiſmus. Sed, antequam uideamus, quid ſit Indicatio, videndum eſt, quomodo Indicatio differt a Scopo; & maximè, quia in hoc aliqui ſunt allucinati, exiſtimantes, quòd Scopus differt ab Indicatione, quia Scopus eſt, quem proponimus nobis tanquam aſſequendum, & Indicatio eſt, quæ, quid ſit agendum, docet, vt illum conſequamur: & ſic, iuxta iſtorum ſententiam, nihil aliud eſt Scopus, niſi illud, quod tanquam finem indicatio docet, quomodo ſit conſequendum. Sed hi dubio procul fuerunt decepti: quia huius oppoſitū Galenus aſſerit libro de optima ſecta, inquiens, quamobrem id, quod aliquid poſtulat, quoniam eius, quod poſtulatur, propoſitum eſt. In quibus verbis vult, quòd id, quod poſtuletur, ideſt quod indicatur, habet originem ab eo, qud poſtulat, & non econtra; & ſic indicatio ſumitur a ſcopo, & non ſcopus ſequitur ad indicationem. Quod apertius declarat vndecimo Methodi, vbi loquens de virtute inquit, quòd primus ſcopus, a quo ſumitur indicatio, eſt ipſa virtus, quæ indicat ſui cuſtodiam: ergo cuſtodia erit indicatio, quæ ſumitur a virtute tanquam a ſuo ſcopo: & ſubiungit, quòd poſteà cuſtodia efficitur ſecundus ſcopus, quia, vt ſumitur a virtute, dicitur Indicatio; vt verò aliquid indicat, dicitur Scopus; at cuſtodia indicat ſimilium adhibitionem, & ſimilium adhibitio erit indicatio, quæ ſumitur a cuſtodia tanquam a ſuo ſcopo. Ex quibus habemus duo: primum, quòd indicatio indicatur a ſcopo, & ab eo ſumitur: ſecundum, quòd indicatio poteſt fieri ſcopus, ita vt, quatenus a ſcopo indicatur, dicatur indicatio; quatenus verò & ipſa aliquid indicat, dicatur, & ſit ſcopus: quod poteſt morbi exemplo clarius explicari. Morbus enim eſt primus ſcopus, ad quem medicus ſuæ conſiderationis aciem dirigit, & animaduertens, quòd morbus eſt quid præter naturam, ſtatim ab eo eligitur indicatio, quæ eſt eius ſublatio: & ſic ſublatio eſt indicatio ſumpta a morbo, vt a ſuo ſcopo. Cum vero

Cap. 9.

Differentia inter Scopum, & Indicationem.

Cap. 10.

Cap. 3.

ſublatio non poſſit fieri niſi per mutationem de vno ad aliud,& ſic per contrarium; hinc ſublatio efficitur ſcopus,& indicat contrariorum adhibitionem,& ſic morbos per contraria curamus. Et ſic concludamus, quòd indicatio ſumitur a ſcopo ; & poteſt ipſamet ſub alia ratione eſſe ſcopus,& aliud indicare,vt dictum eſt. Et,quoniam indicatio eſt eorũ, quæ vtilia ſunt,& ortum ducit à ſcopo: dici poteſt,ſcopum, ſiue propoſitum eſſe,quod aliquid vtile faciendum eſſe indicat; ſiue poſtulat: ſi verum eſt, quod prius ex Galeno diximus,quòd illud,quod poſtulat,eius, quòd poſtulatur, propoſitum eſt. Sed iam videamus, quid ſit Indicatio. Et Galenus ſecundo Methodi inquit,Indicationem eſſe οἷον ἔμφασιν,ideſt quaſi inſinuationem,ſiue demonſtrationem,& ſignificationem eorum, quæ agenda ſunt: & Interpres vertit, eſt ſequentium, ſiue agendorum inſinuatio: inquit enim Budæus in ſuis Commentariis, quòd emphaſis, apud Græcos ſignificat alicuius rei repręſentationem, & ſimulacrum: quod optimè competit indicationi: cum ex Galeno habeamus, quòd per indicationem, id, quod faciendum eſt, habetur quodammodo deſignatum in aliquo præcedenti, & illud nobis per indicationem manifeſtatur, repræſentatur,& ob oculos, ſiue vt ita dicam in ſinu ponitur: & ideò interpres dixit eſſe inſinuationem eorum, quæ agenda ſunt. Vt,ſi præponitur morbus, ſtatim conſiderata eius natura,eſt enim quid præter naturam,occurrit eius indicatio,ſcilicet quòd debet auferri,& per contrarium. Et,ſi morbus eſt calidus,ſtatim ob oculos ponitur eius indicatio, & quid ſit faciendum; ſcilicet, quòd debet remoueri & per frigida;non ergo erit aliud indicatio,niſi illa repræſentatio,ſiue inſinuatio eorum, quæ agenda ſunt. Definit & aliter Galenus indicationem libro de optima ſecta, dicens, quòd indicatio eſt comprehenſio iuuantis, ſimul cum comprehenſione nocentis, adueniens, ſine obſeruatione,aut ratiocinio. Quæ definitio eſt ſatis pulchra,& eſt multum animaduertenda,tum, vt,quæ de indicationibus eibandi,& euacuandi dicta,& dicenda ſunt, bene intelligantur; tum etiam, vt pateat, quantum ex malo intellectu eorum, quæ à Galeno ſcripta ſunt, multi a recta via aberrauerint,& quantum etiam in hoc cæcutiuerit Argenterius. Sed primum videamus, quo modo hæc definitio ſit intelligenda; deinde, vtrum ſit eadem cum prius aſſignata,aut ſi ad minus cum illa poteſt aliquo pacto coincidere. ex iſtis enim dabitur magnus aditus ad ea, quæ dicenda ſunt. Inquit Galenus, quod indicatio eſt illa comprehenſio, ſiue apprehenſio, quæ nobis aduenit ex re indicante: & in hoc concurrunt tria.Primum,quod indicat, &, vt diximus, eſt ſcopus, ſiue propoſitum,& indicans. Secundum eſt,quod indicatur,& eſt vtile. Tertium eſt illa comprehenſio vtilis indicati a re indicante, & hæc dicitur indicatio:

Cap. 9. *Quid ſit Indicatio.* *Loco allegato.* *Cap. 11.*

catio : & sic indicatio est comprehensio iuuantis, idest vtilis simul cum comprehẽsione nocentis: per comprehensionem autem oportet intelligere cognitionem certá, vt habemus libro de sectis, & libro de optimo docendi genere. quia, cũ indicatio a natura rei ortũ ducat, habet tantam uim, vt non solum sit quędam, sed est certa, & firma cognitio eorũ, quę agẽda sunt, & vtilia. Sed est dubium, quid intelligat per comprehensionem nocentis, quæ fit simul cum comprehensione iuuantis. Et existimarunt aliqui, ꝙ per indicationem non solũ quæ vtilia sunt, sed etiam quæ sunt noua nobis repræsentantur : &, quòd indicatio, sicuti ea, quæ sunt vtilia, ita etiam ea, quę sunt nocua, nobis repręsentat: & quod hoc voluerit Galenus: sicuti enim indicatio est cõprehensio iuuantis, ita etiam est comprehensio nocẽtis. Quę positio nullo pacto est recipienda. Quoniã, etsi verum sit, quod, vno oppositorũ cognito, aliud etiã dignoscatur: tamen, vt optimè hoc in loco sentit Altimarus, non est verũ, ꝙ vtrumque habeatur ab indicatione: indicatio enim per se non repręsentat nisi vtile: & ideo secũdo Methodi dicebat, ꝙ est agendorum insinuatio, &, si indicaret tũ vtilia, tũ nocua, non solum esset insinuatio eorum, quæ agenda sunt: sed etiã eorum, quæ nocua sunt, & nullo pacto sunt agenda. Præterea habemus ex Galeno, quòd vnumquodq; indicat, quod vtile est, & non quod nocuum. inquit enim libro de optima secta: Omne, quod indicat, vel indicat sui sublationem, vel sui custodiam, & vtrumque efficitur per ea, quæ vtilia sunt: indicatio ergo erit eorum, quæ sunt vtilia, quamuis his cognitis, cognosci etiam per accidens possint, quæ sunt inutilia, & nocua : & ideo definitio alio pacto est intelligenda. Et meo iudicio laudanda est eorum sententia, qui dicunt quòd indicatio est comprehensio iuuantis, quę nobis aduenit simul cũ comprehensione nocentis; idest illius, quod nocet, & aliquid, quòd iuuat, agendum esse postulat. vt ocurrente morbo, oritur ab eo indicatio; & est eius sublatio, quæ a nobis simul cum apprehensione morbi nocentis comprehenditur. statim enim, ꝙ occurrit, morbũ esse quid pręter naturam, occurrit etiam, quod debet remoueri: &, quia hoc nobis innotescit ex eo, quod iudicamus, morbũ esse quid nocuum, & præter naturã: ideo Galenus dixit, ꝙ indicatio est comprehensio iuuantis simul cũ comprehensione nocentis adueniens: simul etenim aduenit vtriusq; comprehensio. Et, cum medicari per methodũ sit idem, quod medicari per indicationes; & methodus originẽ ducat ab ipsa rei natura: sequitur, ꝙ, comprehẽsa rei, idest morbi natura, statim eius, quod faciendũ est, indicatio oritur. Et, cum per cõprehensionẽ nocẽtis, minimè intelligenda sit eorum, quæ nocua sunt, & his, quæ iuuant, cõtraria, comprehensio, sed intelligere oportet comprehensionem illius, quod nocet, & ideo aliquid vtile faciendũ esse indicat: sequi-

Cap. 5.

Cap. 45.

cat:sequitur,quòd non oportet in prędicta definitione cum Argenterio addere,Cum re indicante:hoc enim esset rem totam confundere,& idē bis esset repetitum:comprehensio enim nocentis,nihil aliud est, nisi cō prehēsio illius,quod indicat,quatenus aliquo indiget. Sed aliquis diceret: Si hoc pacto est intelligenda definitio, nō est vniuersaliter uera: in indicatione enim, quæ sumitur à virtute, quæ indicat sui custodiam,nō cōprehenditur iuuans simul cum comprehensione nocentis,cum ibi nihil sit nocens. Et Altimarus,magister meus,fatetur esse verū,quòd in ea nō includatur indicatio sumpta à viribus. inquit enim, quòd in ea nihil nocuum comprehēditur,simul cum comprehensione iuuantis: sed definitio est intelligēda solum in indicationibus, quæ sumuntur a morbis, & vniuersaliter ab affectibus,qui sunt præter naturam:& ideo Galenus, vt includeret etiam indicationem,quæ sumitur a viribus,alio modo indicationem definiuit secūdo Methodi. Sed,vt verum fatear,præceptoris positio hoc loco non placet. quoniam,cū Galenus nullibi adeò exquisitè de indicationibus locutus fuerit, vt in libro de optima secta;& nullibi sumpserit indicationem tam propriè, &(vt ita dicam)arctè;ita vt, ibi pluries asseruerit,solum morbum,& morbi causam,& vires indicare,& non alia,& sic a numero indicantium excepit ætatem, consuetudinem, temperamentum, aerem, regionem, & omnia huiusmodi, vt videbimus. nō videtur rationi consonum dicere, quòd talem in eo libro assignauerit indicationis definitionē, vt nec omnes propriè dictas indicationes cōplectatur, & maximè,quia,assignata definitione pluries de indicatione, quæ sumitur a uiribus,tanquam maximè principali,& in definitione inclusa,fusissimè ratiocinatur.Et ideo dicerem,quòd in dicta definitione includitur nō minus indicatio, quæ a viribus sumitur, quàm illa, quę sumiiur a morbo,& eius causa: quia,etsi sint seruanda, quæ sunt secundum naturam, tamē humana condicio est talis,vt semper sit in alteratione,& mutatione,& ideo indiget correctione: sed,quando mutatio est pauca,& sensum effugit,cum nō manifesta fiat correctio,dicitur cōseruatio:tum quia insensibiliter corrigit: tum etiam,quia,etsi non conseruet in eodem penitus statu, conseruat tamen in eadem latitudine:& ideò,si virtus indicat alimoniā,est,quia,cum continue nostra substantia dissipetur antequam lapsus fiat multus, & viriū robur dissoluatur,oportet aliquid proportionale addere. & sic,considerata natura rei,quæ indicat,inuenies,quòd semper aderit comprehensio illius, quod iuuat,& faciendū esse indicatur,simul cum comprehensione nocentis; illius scilicet,quod indicat,quatenus indicat,quoniam semper indicat vtile ad reparandam noxam,vel sensibilem,vel insensibilem. Et ideo Galenus nono Methodi loquēdo de indicatione, quæ sumitur a viribus,hæc verba

Cap. 13.

protulit:

protulit: Ergo vires quoq; vnam rem semper indicabunt; vtiq; sui custodiam. quibus ergo roget quis, rationibus seruabitur: nẽpè potissima ratione, ex eo, ꝙ de substantia earum, vel inanitum, vel alteratum est corrigẽdo: secũdo loco, ex prohibendis his, quæ ipsarum substãtiam vacuare, alterareve possunt. Ex quibus clarè patet, ꝙ etiã in indicatione sumpta a viribus adest cõprehensio, & firma cognitio iuuantis, cũ comprehensione nocentis: quia virtus indicat alimentũ vtile ad reparandam noxam, & dissipationẽ, quæ cõtinuè in humano corpore fit. Sed iã videamus, vtrum sit eadem hæc definitio cũ prius exposita, quæ secũdo Methodi fuit a Galeno assignata. ex hoc enim postea habebimus, quid sibi voluerit per illa verba, *Sine obseruatione, & ratiocinio*. Et omnes, qui hucusq; de re hac pertractarunt, vt Argenterius, & alii, existimarũt, ꝙ assignatæ duę definitiones, siue, vt melius dicã, descriptiones sunt de eadẽ re prolatę, & in idem coincidunt, ita, vt penitus idem sit, dicere, ꝙ indicatio est agendorum insinuatio, & dicere ꝙ est comprehensio iuuantis, simul cum comprehensione nocentis, adueniens, sine ratiocinio, & obseruatione: qui a, cum sint descriptiones, & de eadem re possint plures descriptiones assignari, placuit Galeno indicationẽ pluribus modis circumscribere. Sed, quamuis ab omnibus pro verissimo habeatur; tamen meo iudicio est in dubium reuocandum: ad hoc enim sequuntur multa incommoda. & hinc Argẽterius, Galenum calũniandi, sumpsit occasionem: & ideo parumper in hoc insistamus: quoniam, si verũ est, ꝙ indicatio est comprehẽsio iuuantis, simul cũ comprehensione nocentis, quo modo potest ab aere sumi indicatio; quã tamen nono Methodi Galenus esse ad curationẽ necessariam asseruit: quoniã aer calidus non potest indicare aliquid sibi vtile, scilcet sui refrigerationẽ; &, si hanc indicaret, nõ est id, quod quęritur à medico; non enim considerat aerẽ, ætatem, & alia, vt sibi vtilia indicãt, sed vt indicant aliquid vtile in curatione humanorum corporum. Pręterea, si verum est, ꝙ omne, quod indicat, vel indicat sui custodiã, vel sui sublationem, vt habemus libro de optima secta; aer nec indicabit sui custodiam, nec sui sublationẽ. ars enim medica considerat, quæ indicant custodiã in corpore humano, & sublationem in eodẽ: quoniam in hoc quærit medicus conseruare sanitatem, & introducere, si fuerit deperdita: hoc etiã dicebat eodem loco de morbi temporibus, ꝙ, cum nec indicent sui sublationẽ, nec sui custodiã, nullo pacto indicant: & tamẽ in præcedẽtibus Aphorismis & nono Methodi pluries a morborũ temporibus sumpsit indicationem: & hæc varietas multorũ animos vexauit, nesciẽtes, quid in tãta locorũ diuersitate, & pugnantia sit sentiendum. Et Argenterius hinc latrat, ꝙ in multis locis Galenus sumat indicationẽ ab aere, a tẽperatura, a regione, a cõsuetudine, a temporibus

Cap. 15.

Cap. 14.

poribus morborũ,& ab aliis multis: & libro de optima secta tenet totũ oppositum; scilicet,quod in curatione solus morbus, cum sua causa indicat, & sola virtus in conseruatione, & quòd virtus in curatione consideratur vt contraindicans; ideſt quatenus poteſt impedire,quod indicaur a morbo,& morbus in his, quæ attinent ad virium conseruationem, consideratur eodem pacto, quatenus ſcilicet poteſt alimoniam contraindicando prohibere. Sed,mea sententia,omnes difficultates facillimè tolluntur;ſi rectè aſſignatæ definitiones fuerint intellectæ.& ante omnia tenemus,quòd aſſignatæ definitiones non coincidunt in vnũ, nec ſunt de eadem re prolatæ:alio enim modo ſumpſit indicationem libro de optima ſecta,& alio modo in libris Methodi. Quoniam in iſtis voluit omnia ea indicare, quę aliquid vtile oſtendunt ad curationem, vt patet ex his, quæ dixit nono Methodi: vbi ait,quòd intẽtio medici eſt inuenire remedia, & quicquid iuuat ad remediorum inuentionẽ, dicit indicare in curatione:& ideo ſubiungit in eodẽ libro,non oportet circa inutilia tempus conterere, vt alij faciunt, diſtinguentes inter indicationem,& contra indicationem, & ea, quæ faciunt ad materiæ inuentionem, quę etiam quandoque dixit coindicare. & ideo eodem nono Methodi,poſt pauca,ab omnibus his, quæ iuuant ad remediorum inuẽtionem,indicationem ſumpſit: vt iam patere poſſit, eum,in libris Methodi,voluiſſe omnia indicare, quæ iuuant ad remediorum inuentionem; & non ſolum principaliter indicantia, vt eſt morbus, eius cauſa,& virtus;ſed etiam aer, regio, temperamentum,ætas,conſuetudo,partis affectæ natura,ſitus, formatio, & alia huiuſmodi: Et hoc pacto ſumptam indicationem definuit ſecundo Methodi,dicens, quòd eſt agendorũ inſinuatio.ſic enim omnia ea,quę inſinuant, repræſentant,& ſignificant, quę ſunt agenda,dicuntur indicare:&,quoniam hoc maxime omnium præſtat morbus: nihil enim poteſt magis indicare,quàm idem de ſe ipſo: ideo nono methodi,inquit,quòd præcipua faciendorũ indicatio ſumitur ab eo, quod amouendum eſſe ſuadet, hoc eſt ab ipſo morbo: & cætera iuuant ad remediorum inuentionem. In quibus innuit, quòd, quamuis alia etiam indicant, tamen in curatione præcipuè indicat morbus: immo, ſi exquiſitè ſumitur indicatio, cum fiat per contrarium, & vnum vni eſt contrarium:in curatione indicatio ſolũ ſumitur a morbo: in præſeruatione ſolum a cauſa: & in conſeruatione ſolum a virtute. Et hoc voluit libro de optima ſecta,in quo diſputat cõtra methodicos,qui accipiebant indicationẽ propriè,& ipſã a contraindicatione diſtinguebãt,& ab eo,quod iuuat ad remediorũ inuentionẽ: & ipſe,accipiẽdo indicationẽ vt illi, eã ab aliis diſtinguit, & declarat, qualiter,etiã ſic accipiẽdo indicationẽ, illi in multis aberrabant;qui inter alia ſumebãt indi-

Cap. 7.

13. met. t6. Cap. 9.

Loco allegato.

cationem

cationē a temporibus morborū, & tamen nec indicant sui custodiam, nec sui sublationē, vt ea, quæ propriè, & principaliter indicant: & ideo explicat, quod indicatio sic sumpta, sumitur solum a morbo, eius causa, & a virtute: &, si Hippocrates tum in curatione, tum in cibatione considerauit morborum tempora, non sumpsit ab illis propriè indicationem: sed ea considerauit quatenus faciunt ad morbi magnitudinem dignoscendam, & vt metiuntur vires magis, aut minus a morbo fatigatas, & vltra hoc, vt faciunt ad dignoscendū motum causæ morbificæ: oportet enim concocta medicari, atque mouere, non cruda, neque in principiis. Et ideò, propriè accipiendo indicationem, efficitur per contrarium, & est comprehensio iuuantis, simul cum comprehensione nocentis: & in curatione sumitur solum a morbo, in præseruatione solū a causa, & in conseruatione solum a viribus: in curatione tamen, & præseruatione, virtus consideratur vt contraindicat, & potest impedire: eodem etiam pacto consideratur morbus in conseruatione, & cibatione, vt pluries dictum est. & hoc pacto accipiendo indicationem, etsi, ætas, consuetudo, temperamentum, tempus anni, regio, & alia huiusmodi iuuent in curatione, ad remediorum inuentionem, tamen non indicant: iuuant verò, vel quatenus faciunt innotescere morbum, & eius magnitudinem, ac uires: vel quatenus faciunt innotescere virium robur, & ab illis postea sumitur indicatio, vt infra latius explicabimus. Et, quia comprehensio iuuantis, quæ est indicatio, fit simul cum comprehensione naturæ illius, quod indicat, sequitur, quòd fit sine obseruatione siue experientia: &, cum nobis obiiciatur ex semetipsa, ita, vt etiā asinis sit nota, sequitur, quod sit sine ratiocinio. Est tamen animaduertendum, quòd non sine ratione Galenus secundo Methodi ad indicationem, contradistinxit solum experiētiam, & libro de optima secta, non solum posuit experientiam, siue obseruationem; sed addidit pro tertio, Ratiocinium, siue analogismum: quoniam indicatio propriè sumpta fit per contrarium, & est cuilibet nota, & ideò in ea non requiritur, nec experientia, nec ratiocinium. Sed, si largius sumatur indicatio, vt secundo Methodi includit ratiocinium: quia, sumendo indicationem a natura partis, a situ, a figura, non fit sine ratiocinio: ratione enim aliqua intermedia scimus, quomodo situs, aut profundus, aut in superficie indicat: sic etiam, quomodo aer morbo contrarius, vel similis, indicet in curatione. Et sic habemus, quid sit indicatio exquisitè, arctè, & propriè sumpta, & quid sit indicatio sumpta largiori modo, & non adeo exquisitè: & Galenus, cum de nominibus non fuerit admodum curiosus, ad rei naturam attentus, vt plurimum largo modo indicationem sumpsit; vt ex libris Methodi pa-

Aph. 13.

tere potest, & , vt distingueret principaliter indicantes ab aliis; aliquando dixit, quòd præcipua faciendorum indicatio sumitur ab illis: ab aliis verò non præcipua, quoniam iuuant solum ad materiæ inuentionem, vt diximus ex nono Methodi: aliquando vero dixit, quod illa indicant per se, & alia per accidens, ut in curatione solus morbus indicat per se; virtus, & omnia alia per accidens: sic in conseruatione sola virtus indicat per se; morbus, & alia per accidens: & hæc distinctio colligitur ex octauo Methodi. Sed, quia Galenus dixit, quòd, quicquid inuenitur, vel per indicationem, vel per obseruationem, vel per analogismum inuenitur: ideò, vt promisimus, breuiter aliquid de istis dicamus. Et Galenus libro de optima secta inquit, quòd obseruatio, siue experientia, est eius, quod sępius, & eodem modo visum est, comprehensio; siue memoria: & analogismus est comparatio iuuantium per similitudinem: & hunc rationis morbum vocabant Empirici transitum ad similia: &, quod hoc etiam rationis modo vti possint rationales, habemus eodem libro, vbi inquit, Rationales hunc modum inueniendi vocauerunt analogismum, cum alij vocarēt transitum ad similia. Sed, explicatis prędictis indicationis definitionibus, & cognita veritate, quod Galenus non semper indicationem eodem modo sumpserit, patere potest, quod nihil cōtra ipsum habet Argenterius, qui existimauit, quod semper eodem modo sumpserit indicationē, & quod circa hæc multoties sibi contradixit. Sed ex dictis omnia sunt plana, & nihil ambiguitatis remanet. Sed adhuc considerandū remanet, vnde est, quod, quamuis in cibatione cōsideratur morbus, vt contraindicans, & potens prohibere; & eodem pacto considerantur vires in curatione, & euacuatione: vnde euenit igitur, quod, viribus omnino pugnantibus, etiam si morbus, & eius causa omnino indicet euacuationem, non solū minus euacuamus, quam oporteret, sed etiam penitus ab euacuatione abstinemus: & in cibatione, & si morbus maximè contraindicet, tamen, viribus vehementer cibum postulantibus, negligentes morbum, & eius contra indicationem, etiam in vigore nutrimus; vt habemus ex Galeno in præcedenti commento, & decimo Methodi. Ad hanc difficultatem dicimus, quod, pugnantibus indicationibus, non solum oportet considerare, quòd hoc indicat, & illud cōtraindicat, ita, vt sit attendendum magis vel ad id, quod indicat, vel ad id, quod contraindicat; sed in pugnantia indicationum, quomodo sit procedendū, Galenus octauo Methodi scriptum reliquit, vbi inquit, quod, quando pugnant indicationes, oportet respicere numerum, & magnitudinem ipsarum: & hoc non immeritò: multories enim vna īdicatio superat multas, si magnitudinē habet: quomodo uero magnitudo indicationum considerari debeat, scripsit libro

Cap. vlt.

Cap. 11.

Cap. 18.

Cap. 3. & sequentib.

Pugnantib. indicationibus, qua methodo sit procedendum.

Cap. vlt.

Cap. 9.

bro

bro tertio de tuenda valetudine; dicens, quod, pugnantibus indicationibus, oportet respicere ad id, quod magis vrget, & est maius, alio nō neglecto: sed maius quandoque consideratur ratione dignitatis, & viriū; quādoque ratione propriæ essentiæ, & exemplificat in lassitudinibus: si enim lassitudo phlegmonosa, & vulcerosa simul permiscentur, & fuerint æqualiter auctæ: est attendendum magis ad phlegmonosam: quia, & si, quo ad magnitudinē, quæ cōsideratur in propria essentia, sint æquales, tamen phlegmonosa est maior, quoad vim, & dignitatem, cum ex ea maius periculum immineat, quam ex vlcerosa: quod si vlcerosa fuerit multum aucta, phlegmonosa vero parum; tunc cōsiderandū, si phlegmonosa ratione dignitatis æqualiter vrgeat, cum ulcerosa multum aucta; quòd si non æqualiter vrgeat; attendendum est magis ad vlcerosam & si non sit æquæ digna; est enim adeo aucta vlcerosa in propria essentia, vt phlegmonosam, quæ dignitate deberet pollere, etiā superet: quòd si æqualiter vrgeat, ad vtramque esse pariter, & æqualiter attendendū, loco allegato scriptum reliquit. Galenus itaque vult, vt consideremus indicationum dignitatem, & magnitudinem; &, quando dignior indicatio magis vrget, illi magis attendendum: quando verò illa non vrget, vel non adeò urget, & alia, quæ in propria essentia est, magna fortiter indicat, attendendum magis ad illam, quàm ad eam, quæ dignitate præcedere deberet. Vnde uero, & respectu cuius sit consideranda indicationū dignitas, & magnitudo, quam optimè exposuit undecimo Methodi, ubi ait, in pugnantibus indicationibus oportet perpendere indicationum, & scoporum, tum magnitudinem, tum dignitatem: ostendimus enim eligendas esse eas indicationes, quas scopi digniores, maioresque præscribunt; & dignitatē eorum, uel uitę, uel sanitatis respectu indicandam: magnitudinem uero duplicē esse, uel propriæ substantiæ ratione, uel declinationis a naturali habitu. In quibus uerbis habemus, illas esse indicationes digniores, quæ respiciunt uitam, uel sanitatem: & ideo, cum indicatio, quæ sumitur a uiribus, sit uitæ custodia, & nihil in animante uita sit dignius, ut habemus nono Methodi: non est mirum, si indicatio sumpta a uiribus sit omnium principalissima. non est etiam mirum, si, quando hæc multum urget, cæteras omnes uincit, & superat: mensuratur enim eius dignitas respectu uitæ: & ideò, ut Galenus inquit loco allegato, est primæ notæ, secundum locum in dignitate habet indicatio, quæ sumitur a morbo, & ideo asserit eam esse secundæ notæ: quoniam eius dignitas mensuratur non respectu uitæ, sed respectu sanitatis: morbus enim indicat sui sublationē, & sic sanitatis introductionē: & ideo octauo Methodi dicebat, indicationē, quæ sumitur a febre, multas in dignitate precedere; & maxime si in suo genere sit adaucta. Succedit postea magnitudo,

Cap. 3.

Cap. 13.

Cap. vlti.

tudo, quę cõsideratur vel ratione propriæ substantiæ, vel per recessum à naturali habitu: circa quæ est maxima difficultas. Sed de his posteà. Ad propositum autem redeũtes, dicimus, quòd, cum indicatio sumpta à viribus omnes alias dignitate præcedat, si multum vrget, siue iudicando in cibatione, siue contraindicando in curatione, & euacuatione, cæteras omnes indicationes obumbrat, & omnino obscurat: quando verò eius indicatio non multum vrget, & indicatio, quæ sumitur a morbo, fuerit multum aucta, tunc viribus non repugnantibus, methodo à Galeno exposita attendimus ad morbum, quamuis eius indicatio non sit æquè digna; & propterea, si in victus ratione instituenda, in morbo vehementi, speramus, vsque ad morbi solutionem cum tenuissimo victu vires, etiam si moleste ferant, posse sufficere; vt indicat morbi vehementia victitabimus. Quod si virtus cum tali victu non possit sufferre, tantum solummodo attenuabimus victum, quantũ virium tenor permittet, & non vltra: eodem modo in euacuationibus in curatione requisitis, tunc tantum euacuabimus, quando vires permittunt: quòd si euacuationi reclamant, si omnino reclamant, omnino abstinemus; si verò non omnino reclamant, euacuabimus, quantum virium robur potest sufferre, vt Galenus asserit decimo Methodi. Et hac methodo in artis exercitatione viri probatissimi semper vsi sunt.

Cap. 2.

APHORISMVS VNDECIMVS.

In accessionibus abstinere oportet. nam cibum dare nocuum est, & quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstineri oportet.

RELICTA multorum sententia, cum Galeno in libro de particularibus morbi temporibus, hoc pacto Aphorismum introducimus: Cum dixerit Hippocrates, quòd in vigore, & parum ante vigorem tenuiter est cibandum, & aliis temporibus licet vberius nutrire: ne aliquis existimaret, quòd hoc licet facere indifferenter in qualibet parte illorum temporum, infert hunc aphorismum, in quo explicat, quod, quamuis in principio licet cibare vberius, quam in augmento, & in hoc vberius, quàm in vigore: tamen, cum in temporibus vniuersalibus fieri soleant particulares accessiones, non in quolibet tempore principij, & incrementi vniuersalis, erit li-

citum vberius cibare, quam in vigore: quoniam in accessionibus absti nere oportet, siue morbus sit in principio, siue quouis alio tempore: semper enim nutriendum est, quando morbus minus prohibet, & virtus minus vexatur, & fatigatur a morbo. &, ratione, qua in totius morbi vigore abstinere oportet, debemus etiam abstinere in particularibus accessionibus, vt Galenus testatur primo de ratione victus in acutis. Per ac cessionem autem, quæ apud Græcos dicitur Paroxysmos, oportet intelligere deterius tempus totius circuitus, & sic includit principium, augmẽtum, & vigorem: & totum tempus melius, quod sequitur vsque ad principium alterius circuitus, iuxta Hippocratem dicitur Remissio; & totum tẽpus a principio vnius accessionis, vsque ad principium alterius, apud nos dicitur Circuitus, & apud Græcos dicitur Periodos, quæ nihil aliud est, nisi similis ad idem reditus. vt in hoc loco testatur Philotheus, vt Galenus, simul cum his, quæ paulo prius diximus, clarissime fatetur in sequentis Aphorismi Commento. Ad quorum omnium intellectum, propter iuniores, antequam ad Aphorismi expositionẽ accedamus, est sciendum, quòd medici in morbis duplicia considerant tempora, vniuersalia scilicet, & particularia: & tempora vocant vniuersalia, quæ totum diuidunt morbum, & ista sunt quatuor, vt dicemus, sed dicuntur tempora, non accipiendo tempus propriè, prout scilicet est mensura motus, nec vt significant tempora præsidijs opportuna: sed vt significat (teste Galeno) manifestas in morbo varietates, vt ætates in animantibus: & hæc tempora, vt habemus libro de optima secta, distinguuntur ex causę morbificæ motione, & symptomatum vehementia: in principio enim symptomata sunt leuiora, & nullum coctionis signum manifestum apparet: in augmento verò symptomata augentur: &, si natura est superior, apparent coctionis signa manifesta, & horum contraria, si natura incipit succumbere; & in vigore symptomata ad summum sunt aucta, & apparent signa vel perfectæ coctionis, vel omnino contraria, ob uictoriam, vel naturæ, vel morbi: in declinatione verò omnia symptomata sunt leuiora, & natura iam attendit ad expulsionem eorum, quæ reliqua sunt. De istis vniuersalibus temporibus est dictum hucusque, quomodo sint in victus ratione consideranda. in vigore enim, & parum ante ipsum, oportet victum attenuare, prius verò licet vberius cibare, nisi morbus sit adeo extremus, vt statim vigeat, quoniam tunc statim a principio extremè tenuissimo victu vtendum est. Sunt postea vltra hæc, tempora morbi particularia, quæ in particularibus accessionibus considerantur: & cum accessiones fiant in quolibet morbi tempore vniuersali, hinc accidit, quòd vt plurimum omnia morbi tempora particularia sunt in quolibet tempore vniuersali; & dixi, Vt plurimum; quia, quando morbus

Cōmen. 46.

Lib. de part. morb. temp. Cap. 1.

Cap. 37.

bus est breuissimus, vt habemus primo de crisibus, possunt tempora vniuersalia coincidere cum particularibus: sed hoc raro euenit. Tempora autem particularia à medicis præcipuè considerantur in febribus tum intermittentibus, tum etiam continuis: &, cum in intermittentibus sex appareant in circuitu manifestæ varietates: ideò Galenus in libro de particularibus morbi temporibus sex dixit esse hæc particularia tempora: primo enim (vt cum ipso in tertiana exemplificemus) incipit hæc febris cum rigore, & extremorum frigiditate: secundo apparet quædam inæqualitas, vt nec caliditas vigeat, nec frigiditas: tertiò manifestè caliditas augetur, & febris: quartò ad summum venit, & viget: quintò incipit remitti, & declinare: sexto sequitur apirexia, idest infebricitatio, & primum tempus vocauit principium, secundum tempus inæqualitatis, tertium augmẽtum, quartum vigorem, quintum declinationem, sextum interuallum, & infebricitationem. At febres continuæ, quæ nunquã deueniunt ad infebricitationem, habent solum quinque tempora: quia deficit in illis interuallum, quod erat sextum tempus. Et, quòd Hippocrates considerauerit quandoque hoc tempus distinctum a declinatione, probat Galenus eo libro, ex illo Aphorismo, in febribus non intermittẽtibus quæcunque tertio die fortiores fiunt, periculosæ: si verò quo quomodo intermiserunt, periculum abesse significatur. Per illud, inquiens, Quo quomodo intermiserit, non potuit intelligere declinationem: quia multæ febres manifestè declinant, & tamen sunt periculosæ: sed intellexit interuallum: de hoc enim verificatur, quod dixit. quando enim febres veniunt ad omnimodam infebricitationem, omnino periculo vacant; &, quoniam tempus inæqualitatis potest reduci ad augmentum, distinguendo postea augmentum in duas partes, vt fecit etiam Auicennas: & prima pars erit, in qua frigiditatis, & caliditatis est quædam inæqualitas: secunda vero, in qua manifestè augetur caliditas, & interuallum, potest reduci ad declinationem, vt habemus in eodem libro. Ideo non est mirum, si sæpè sæpius non solum vniuersalia, sed etiam particularia tempora dixit esse quatuor, principium scilicet, augmẽtum, vigor, & declinatio. His habitis, est etiam sciendum, ad præpositi Aphorismi intelligentiam, quòd quandoque Hippocrates diuisit totum circuitum, vt Galenus eodem loco testatur, in duo tantum tempora; in accessionẽ scilicet, & remissionem: per accessionem intelligens deterius tempus totius circuitus; quod includit principium, augmentum, & vigorem, & totum tempus melius, quod sequitur, appellauit remissionem: & diuisio potest colligi etiam ex hoc Aphorismo, in quo præcipit, vt a cibo abstineamus in accessione, idest in deteriori parte circuitus: & cum ratione virium nutriendum sit, reliquum est, vt nutriamus in reliquo tempore melio

Cap. 5.
4. Aph. 43.

Cap. 6.

meliori,ideſt in interuallo in intermittentibus; & in declinatione in cõtinuis. Aphoriſmus autem diuiditur in duas partes, iuxta duas ſententias,quas includit: in ſecunda parte præcipit, vt in habentibus acceſſiones per circuitum, abſtineamus a cibo in acceſſionibus: in prima verò, vt abſtineamus a cibo in acceſſione: quoniam cibum dare nocuum eſt. Sed, quia hæ ſententiæ non diuerſæ, ſed in idem coincidere videntur, hinc expoſitores multum laborauerunt, quid ſibi voluerit Hippocrates, & quomodo diſtinguantur, & tanto magis,quia non ſolum hic bis idem repetit, ſed infrà idem iterum inculcat. Philotheus inquit, quòd in prima parte loquitur de febribus,& in illarum acceſſionibus præcipit,vt a cibo abſtineamus: in ſecunda parte conſiderauit etiam alios morbos, qui ſolent per circuitum affligere, vt dolor colicus, & renalis, in quibus idem præcipit,ſcilicet vt in eorum acceſſione,& exacerbatione abſtineamus. Sed hoc non tollit difficultatem: quia ſecunda ſententia non differret a prima, niſi quia magis vniuerſalis, & ſic prima eſſet ſuperflua. Braſauolus vult,quod in prima parte loquatur de febribus continuis: in ſecunda de febribus intermittentibus: quam poſitionem aliqui hoc pacto confirmant: Paroxyſmos, qui interpretatur acceſſio,quandoque ſumitur pro deteriori parte circuitus, quæ includit principium, augmentũ, & vigorem; vt prius ex Galeno dictum eſt; quandocunque verò contra diſtinguitur ad interuallum, & includit etiam declinationem, vt habemus primo de criſibus, vbi inquit: Voco autem intermiſſionem, quando acceſſio ad infebricitationem terminatur: & hac diſtinctione habita inquiunt, quod in prima parte loquitur de febribus continuis,& per acceſſionem intelligit deterius tempus totius circuitus, non includens declinationem: in febribus enim continuis, cùm non veniant ad infebricitationem, oportet cibare in declinatione: in ſecunda parte loquitur de febribus intermittentibus: in quibus cùm periodus ſit completa, & conſtet ex dictis temporibus, & interuallo, oportet abſtinere a cibo in acceſſionibus, intelligẽdo per acceſſionem totum tempus febris, & ſic etiam declinationem: oportet enim nutrire ſolum in interuallo: & ſic, ſecundũ iſtos, acceſſio in prima parte ſumitur vno modo, & in ſecunda parte alio modo. Sed hæc poſitio mihi non placet: primò, quia reddit Hippocratem in pauciſſimis verbis æquiuocum; ſecundo, quia reddit aphoriſmum ſatis particularem. Philippus Ingarſias, magiſter meus, dicebat, ꝙ tria debet circa acceſſionem medicus animaduertere: primum, quòd, inſtante, & præſente acceſſione, debet a cibo abſtinere: ſecundum, quòd, cum non poſſit ſemper eſſe præſens, debet aſtantibus præcipere, vt hora acceſſionis abſtineant: tertium, quod non ſolum debet a cibo abſtinere, dum adeſt acceſſio, & illud aſtantibus præcipere: ſed etiam debet per

Apho. 19.

multas

multas horas ante accessionem abstinere: & hinc dicebat, quòd in morbis, qui affligunt inordinatè & sine circuitu, non est possibile scire nisi primum, vt abstineamus scilicet præsente accessione: alia duo sciuntur solum in morbis, qui affligunt per circuitum: & ideò in prima parte declarat primum, quòd est commune omnibus morbis ordinatis, & inordinatis: in omnibus enim præsente accessione oportet a cibo abstinere: sed, cum in habentibus circuitum, illud non sufficiat, quia etiam oportet astantibus prædicere, vt in hora futuræ accessionis abstineant, hoc fecit in secunda parte Aphorismi: &, quia etiam oportet abstinere per multas horas ante accessionem, ideo, hoc declarãs, idem repetit infra: dicens: Quibus per circuitum accessiones fiunt, nihil dare oportet, neque cogere; sed subtrahere ante iudicationem. Quæ positio etsi propè ad veritatem accedat, tamen (parcat mihi præceptor) non omnino satisfacit: si enim animaduertimus, quæ Galenus asserit in hoc, & sequenti Commento, Hippocrates in hoc aphorismo pręcipit, vt non solum abstineamus a cibo, in ipsa accessione; sed ante accessionem: aliter aphorismus, qui sequitur, non esset ad propositum. in quo, vt videbimus, cum explicasset, quod ad rectã victus rationem instituendam necesse est, futurum morbi vigorem, & particulares accessiones præcognoscere, subiungit in illo aphorismo modum, quo tum particulares accessiones; tum morbi vigorem præcognoscere valeamus: & accessionis præcognitio non est vtilis, nisi vt ante accessionem abstinere valeamus: neque, accessione præsente, nulla est necessaria præcognitio. Et ideò Galenus in Commẽto huius Aphorismi inquit, in huius loci expositione ex Hippocrate primo de ratione victus in acutis, & ex quarto eiusdem, quòd oportet abstinere, & cum adsunt, & cum futuræ sunt accessiones. Et propterea, ad Aphorismum redeuntes, dicimus, quod, cum necessarium sit a cibo abstinere, in accessionibus, & ante accessiones: & vtrunq; fieri in omnibus morbis est impossibile: in illis enim, qui affligunt sine ordine, non possumus abstinere ante accessionem, præcognosci enim non potest, & ideò, quod possibile est agendo, ad minus quando exacerbatio iam adest, debemus abstinere, quod vniuersaliter in omnibus morbis obseruari debet, & hoc declarat in prima parte, dicens, quòd in accessionibus abstinere oportet, idest sit præceptum vniuersale in omni morbo, vt, quando morbus exacerbatur, a cibo abstineamus: vt si in colico dolore aliquis sit cibandus in hora decimaquarta, si eo tempore dolor exacerbatur, abstinendum est: quia nocuum est exhibere cibum, quo tempore natura multũ a morbo fatigatur. In secunda verò parte præcipit, vt non solum abstineamus in accessione, sed etiam ante accessionem: cum vero hoc facere non liceat, nisi in habentibus accessiones ordinatas, vt hoc inferret, dixit: Et

Aph. 19.

Tex. 45.
Tex. 39.
Expositio propria.

quibus

quibus per circuitus fiunt accessiones, in accessionibus abstinere oportet: in illis enim licet prædicere, qua hora futura sit accessio: & sic possumus abstinere, non solum in accessione, sed etiam ante. Et, si aliquis, volens tutari Philippi positionem, diceret, quòd, quamuis ex eo, quòd diximus, saluetur, Hippocratem non esse superfluum in hoc Aphorismo: tamen adhuc restat difficultas, quare idem repetit infra. Ad hoc dicimus, quod idem repetit ibi, sed sub alia ratione: ibi enim tractare inceperat de ipsius alimenti vtendi modo; & circa partitionem alimenti in duas, vel plures partes, summopere confert, considerare particulares accessiones, ne cibus aliquis cum accessione concurrat. Et ideò, quod ibi tractat de accessionibus, non solum non est superfluum, sed est perquam necessarium. Et hæc, meo iudicio, est vera huius Aphorismi intelligentia; quam Galenus videtur innuere in hoc Commento, & sequenti, & videtur eam olfecisse Oribasius. Consuetum est apud expositores in hoc loco agitari quæsitum, in quo tempore particularis accessionis cibus debeat exhiberi. Et circa hoc multa dicit Conciliator. Sed nos his, quæ asserunt Hippocrates, & Galenus, contenti erimus. Ad intellectum verò dicendorum, est animaduertendum, quòd, sicut dictum est, circa tempora vniuersalia, nutrire oportet quando natura non est admodum fatigata à morbo: ita etiam intelligendum est in temporibus particularibus: quoniam, vt inquit Galenus primo de ratione victus in acutis, semper debemus abstinere, quo tempore morbus magis prohibet alimoniam, & natura est magis vexata: sed est nutriendum, quando morbus minus prohibet, & natura leuius se habet: & hac ratione ductus Hippocrates dixit, quod in accessionibus abstinere oportet: per accessionem intelligens deterius tempus circuitus, quod includit principium, augmentum, & vigorem: quia in istis temporibus, non solum non bene conficeretur cibus, sed potius corrumperetur, & morbi causā augeret, & maximè, quia natura tunc a morbo fatigata non posset vitium corrigere, sed potius a cibo magis grauaretur. Quo circa Hippocrates eodem loco inquit, quòd tempus exhibendę sorbitionis est vt abstineamus, dum pedes frigidi fuerint, & debemus nutrire, quando calor ad pedes descenderit. Et Galenus in Cōmento inquit, quod in principio, cum causa morbifica inuadat naturam, morbus viget circa thoracem, & ventrem: &, cum caliditas moueatur ad partes internas, non est mirum, si pedes, partes alioquin frigidæ, exangues, & a principalibus mēbris remotæ, frigidi sint: in augmento postea caliditas ad caput, & superiores partes mouetur, & adhuc pedes frigidi apparent. Sequitur postea vigor, in quo caliditas mouetur æqualiter ad omnes corporis partes, & tunc calent etiam pedes: sed non præcipit Hippocrates, vt in hoc tēpore cibemus;

Apho. 19.

Differ. 134

Cōmē. 46.

cibemus: quoniam, quamuis pedes caleant, eo tempore adhuc thorax est cum maximo feruore: & sic debemus cibare in declinatione: tunc enim caliditas, thorace, & visceribus derelictis, descendit ad pedes: hoc enim est propriè descendere, vt derelicta vna sede, descendat ad aliam: &, vt denotaret, quod loquitur de declinatione, & non de vigore, vsus fuit hoc verbo Descendit. In quarto etiam de ratione victus in acutis, exponitur, quod fuerat dictum libro primo: scilicet, quod nec cum ad sunt, nec cum futuræ sunt accessiones, debemus cibum exhibere: sed vel cum cessant, vel cum quieuerunt, & maximè a principio recesserunt: & postea auctor ille subiungit multa, exponens omnia, quæ ex primo libro dicta sunt. Sed, quoniam morbi sunt multiplices, & quandoque medicus est summopere dubius in eligendo opportuno cibandi tempore: ideò methodicè cum Galeno, præcipuè vndecimo Methodi, nosmetipsos exerceamus: vt tandem innotescat, quo tempore in singulis morbis exhiberi debeat alimentum, & primum in febribus (de relictis ephemeris, & hecticis) quæ sunt vel intermittentes, vel continue in intermitten tibus sit regula vniuersalis, quòd semper (nisi virium imbecillitas aliter suadeat) debemus nutrire in interuallo, in quo ægri sunt penitus a febre liberi: præuidentes tamen futuram accessionem, vt per quinque, aut ad minus quatuor horas abstineamus ante accessionem. Et, quamuis antiqui in tertianis, & quartanis in die accessionis penitus a cibo abstinuerint, tamen, cum in cibando inter alia maximè sit respicienda consuetu do, satis erit apud nos, si in die accessionis vel a prandio, vel a cena absti neamus, & hoc in tertiana, & quartana: in quotidiana verò, cum singulis diebus vrgeat accessio, & morbus est diuturnus, bonum esset, si virtus sufferre potest, vt singulis diebus victus exhibeatur in sex horis quietioribus, quæ in quotidiana sunt in vltima circuitus parte: quòd si virtus cum vna cibatione singulis diebus minimè sufferre possit, ob morbi diuturnitatem: possumus cibare a vigore, incipiente declinare accessione: deinde ante nouam accessionẽ per quatuor ad minus horas, aliquid exhibere, vt virtus sufficiat. Et hæc de intermitentium cibatione. In continuus verò, quoniam quædam ipsarum sunt synochæ, & continẽtes, quædam verò, quæ propriè dicuntur continuæ, & synochæ, ac continentes febres sunt semper similes, & vnica tantum accessione terminantur, vel existentes in eodem semper tenore, & dicũtur omotonæ, vel semper augentur, & epacmasticæ; vel semper diminuuntur, & paracmasticæ dicun tur: &, cum hæ non habeant particulares accessiones, est in dubio, quan do sit nutriendum: sed, cum hæ febres inter febres peracutas numeren tur, optimum esset vsque ad morbi solutionem omnimoda vti inedia: si verò virtus reluctatur, & consuetudo multum repugnat, vt nostris tẽpori-

Tex. 39.

Qua hora particulatim sit nutriendum. Cap. vlt.

poribus: oportet (Galeno vndecimo Methodi teste) ad duo respicientes, tempus nutriendi opporturum inuenire, ægri scilicet facile tolerantiam, & cibandi consuetudinem; & debemus nutrire, quo tempore videtur æger facilius morbi vehementiam tolerare, & maximè si æger tẽpore sanitatis fuerit ea hora cibari consuetus. In alijs verò continuis, quæ manifestam habent accessionem, nutriendum est tempore, quod inter vigorem præcedentis accessionis, & principium futuræ intermediat: &, si hoc tempus fuerit amplum, non mediocris dabitur occasio cibandi: longe quantum possibile est nutriendo, tum a præcedenti vigore, tum a futuræ accessionis principio: ita, vt nec ad modum calentem ægrum nutriamus, nec cui paulo post futura est accessio. Si verò tempus intermedium fuerit angustum, ita vt superuentura sit noua accessio, antequã præcedens ad manifestam, & bonam declinationem deueniat, quod circa nutritionem sit faciendum, est satis ambiguum: quoniam oportet nutrire vel propè vigorem pręcedentis accessionis, vel propè principium futurę: &, cum vtrunque sit malum, in hac temporis angustia, si virtus permittit, melius esset, omnino a cibo abstinere; si verò virtus reclamat, debemus, tanquã in re ancipiti, e duobus malis minus malum eligere: &, iuxta Galeni sententiam in eodem libro, quandoque est minus malũ nutrire ægrum admodum calentem, & propè pręcedentem vigorem: quãdoque vero instante accessione, & propè futurę accessionis principium: quod ad duo respiciendo distinguere docet, ad partem scilicet, quę pręcipuè affecta est, & ad temporum accessionis morem: si enim pars primo affecta est circa ventriculum, & viscera, cum in accessionis principio morbifica causa ad interna moueatur, cauere oportet a cibatione propè accessionis principium, tunc enim minus erit minus malum nutrire propè pręcedentis accessionis vigorem. & ad dignoscendum, si p as affecta est circa ventriculum, dedit signum pulcherrimum, quia tunc accessiones vt plurimum vel cum vomitu, vel cum alui fluore incipiunt. Quod si pars affecta fuerit a ventriculo longinqua, nutrire propè principium non erit adeo malum. debemus etiam respicere accessionis morem, quoniam, si inuadit cum tanta extremorum frigiditate, vt vix possint ad calorem reuocari; sic etiam, si inuadit cum sopore profundo, & alijs prauis symptomatis, vt syncope, morsu cordis, & huiusmodi, nullo pacto est cibandum propè principium. quod si accessio leuiter incipiat, & postea paulatim augeatur, ita vt symptomata in augmento appareant maiora, & in vigore maxima, tunc nutrire propè principium non erit adeo malum. Est tamen notandum, quòd in affectibus squalidis, & in corporibus picrocholis, quando scilicet ex causa admodum exiccante, vt ex inedia, nimio labore, & vigilijs incidunt in febrẽ, Galenus decimo

Cap. 5.

Cap. vlt.

Cap. 4.

mo Methodi concedit non ſolum nutrire propè principium, & vigorē, ſed in ipſomet principio, & vigore: inquit enim, quòd in iſtis cibus in principio acceſſionis non ſolum acceſſionem non auget, ſed multoties, ſiccitatem nimiam corrigendo, facit, vt non ſuperueniat febris, aut admodum leuis: & in vigore, nimium ſqualorem humectando, efficit, vt citius febris recedat. Et hæc de victu febricitantium ſint dicta, quæ poſſunt ad omnes alios morbos ampliari: in omnibus enim debemus nutrire, quando minus natura a morbo vexatur: &, ſi morbus ſemper ſimili modo affligit, debemus, vt in ſynochis qua hora æger facilius tolerat morbum: & maximè, ſi ea hora conſuetus fuerit tempore ſanitatis cibum aſſumere. Et, vnum tantum addendo finem faciamus, & eſt quòd omnia dicta ſunt obſeruãda, quando virtus non omnino repugnat: quoniam, ſi virtus omnino cibo indiget, & cibandi occaſio non adeſt, debemus cibare in quolibet morbi tempore, & in qualibet acceſſionis parte indifferenter. Sed aliquis non immerito dubitaret; quare Galenus, quando in particulari non datur ampla cibandi occaſio, & neceſſe eſt cibare in tempore non ſic opportuno, fecit comparationem ſolum inter principium, & vigorem, dicens, quòd quandoque eſt minus malum, cibare circa principium, quandoque circa vigorem, & nullam fecit mētionem de augmento? in quo videtur, quòd tutius liceat cibum exhibere, quia in eo euitantur incommoda, quæ ſequebantur ad cibationem, tum in principio, tum in vigore: accedit ad hoc quotidianus etiam celeberrimorum medicorum vſus, qui in ægris admodum imbecillis, præcipiunt, vt, tranſacto principio, nutriant in acceſſionis augmento, antequam vigor ſuperueniat. Hæc quæſtio diu fuit agitata inter me, & conſocium meum doctiſſimum Leonē Roganum cuius obitus non fuit ſine magno Neapolitanæ Academiæ detrimento. Et, animaduerſis multis Hippocratis, & Galeni locis, ponderatiſque rationibus, quibus, qui hoc faciunt, fulciri poſſunt, tandem, confirmante doctiſſimo præceptore Altimaro, concluſimus, toto cælo aberrare, qui in hac cibationis anguſtia, in augmento cibāt potius, quam in aliis temporibus: hoc enim primo contradicit Hippocrati, qui primo de ratione victus in acutis, ſummopere abſtinendū eſſe a cibo, dum pedes frigidi ſunt, ſcriptum reliquit: & Galenus in Cōmento inquit, quòd pedes frigidi ſunt in principio, & augmento. ſecundò hoc contradicit Galeno in libris Methodi, in quibus ſemper reliquit augmentum, tanquam tempus, in quo ſemper debemus abſtinere; & dicebat decimo Methodi, ꝙ in aliquibus picrocholis, febre cū multa ſiccitate laborantibus, cibum exhibuit in principio acceſſionis, antequam febris manifeſtè ſuperueniret: nutriuit enim dū aderat horror, &, ſi horror deſierat, & febris ſuperuenerat, a cibo abſtinuit,

Tex. 46.

Cap. 4.

stinuit, & nutriuit, vel inclināte accessione, vel in vigore. quo loco manifestè patet potius, cibasse in principio, & vigore, q̃ in augmento. habemus etiā primo de ratione victus in acutis, vbi Galenus īquit, q; in principio, & augmēto a cibo multoties abstinuit, etiā si virtus iā iā indigere videretur esca cibi, ob viriū imbecillitatē, necessitate vrgente, in augmēto abstinuit, minus malū existimans nutrire in succedentibus tēporibus: &, si benè cōsideramus, quę dixit vndecimo Methodi, q;, existēte affectu circa vētriculū, cū materia in principio moueatur ad partes internas, eo tēpore non debemus nutrire: sed minus malū erit in vigore: eadē ratione debemus nutrire potius in vigore, quàm in augmēto: quia, cū materia adhuc sit intus, & natura tentat eā foras propellere, erit maius incōueniens, tunc nutrire, quàm in vigore. Adde, q; augmentum sapit naturā principij: & sic, eadē ratione, qua melius est nutrire in vigore, quam in principio, erit etiā melius nutrire in vigore, quàm in augmēto. sic etiā si obseruamus morem temporum accessionis, non debemus nutrire in principio, si accessio inuadat cū multa extremorū frigiditate, multo sopore, & similibus. eadē enim ratione, erit inconueniens nutrire in augmento, quod principij sapit naturā, nec in eo est facta omnimoda excalfactio; vel a sopore totalis expergefactio; quia adhuc materia ē intus, &, si sunt symptomata quodāmodo redacta leuiora, exhibito alimēto, omnia possunt faciliter augeri, & iterū reuocari: sic etiā, si in vigore non est nutriendū, quia in eo symptomata sunt praua, & melius est nutrire propè principiū, eadem etiā ratione melius erit nutrire propè principium, q̃ in augmēto: tunc enim symptomata praua incipiunt augeri: augmentū enim sapit naturā vigoris. accedit ad hoc, quod, assumpto alimento, si in vigore expectātur praua symptomata, efficientur multo prauiora, ob exhibitū alimētum: quoniā perniciosum est in principio, & augmēto aliquid exhibere: vt habemus quarto de ratione victus in acutis. preterea clarū est ex Galeno nono Methodi, ex Aetio, Paulo, & Actuario, & ante omnes ex Hippocrate, q; in principio, & augmento non solum cibū exhibere non licet, sed nec etiā potum, quē omnes concedunt in vigore: quoniā, vt dicebat Aetius, expansa caliditas tūc facilius refrigeratur, & antea potus exhibitus, potius, quò minus caliditas expanderetur, prohiberet. Cū ergo cibus, & potus, dū pedes frigidi sunt, & sic in principio, & augmento, sint interdicti, & potus potest, immo debet exhiberi in vigore, possumus concludere, quòd in vigore non sit admodum periculosum nutrire, vt in principio, & in augmēto. Et, quamuis Galenus vndecimo Methodi, in aliquibus videatur magis inclinare ad principium, in aliquibus magis ad vigorem, non loquitur tamen de nutritione facienda, vel præsente principio, vel præsente vigore: sed potius de

Cōment. 45.

Cap. vlti.

Tex. 39.

cibo exhibendo vel propè vigorem præcedentis acceſſionis, vel propè principium futuræ: &, quamuis poſſit conuinci, ꝙ in habẽtibus acceſſionis principium admodũ leue, quãque vrgente neceſſitate, non ſolum ante, ſed in ipſomet principio nutriẽdum ſit potius, quam in vigore ſæua habente ſymptomata: tamen hoc eſt admodum raró: & vt plurimum in primis temporibus acceſſionis abſtinere debemus, & nutrire longe a principio, quantum fieri poteſt; vt optime dicebat auctor quarti libri de ratione victus in acutis. Rurſus, ſi cõſideramus, qua de cauſa ſomnus prohibetur in principio, & augmento, & conceditur in vigore vt habemus ſecundo Aphoriſmorũ, inueniemus, ꝙ eadẽ ratione erit minus malũ nutrire in vigore, quã in præcedentibus temporibus: qm̃ tunc foras propellantur humores, & partes intimæ non ſunt ſic fatigatæ: vt, etiam ſi fiat ex cibo caloris reuocatio, quamuis non adeo cito febris ad declinationem peruenerit, tamen poterit adeo offendere, vt in præcedẽtibus tẽporibus, quando intus continebatur materia, & aſſumpto cibo natura magis grauabatur, & morbi cauſa, cibis corruptis potius, quã concoctis, augebatur: & vltra hoc, ſuffocationis poterat facillimè imminere periculum. Et ideò poſſumus concludere, quòd, vrgente neceſſitate, vt plurimũ minus malum ſit, nutrire in vigore, quam in principio, & augmento; & adeò, vt plurimum, vt Cornelius Celſus, qui a multis dictus eſt Latinus Hippocrates, vniuerſaliter pronuntiauerit eſſe minus malum, nutrire in vigore, quam in præcedẽtibus temporibus: inquit enim libro tertio: Cũ febris inſtet, incipiat, augeatur, in incremento cõſiſtat, decedat, in deceſſione conſiſtat, finiatur: ſcire licet optimum cibo tempus eſſe, febre finita: deinde, cũ deceſſio eius conſiſtit: tertiò, ſi neceſſe eſt, quando quomodocunq; decedit: cætera omnia periculoſa eſſe, ſi tamen pp infirmitatẽ neceſſitas vrget, ſatius eſſe, conſiſtente iam febris incremẽto, aliquid offerre, quã increſcente, & ſatius eſſe inſtante, quam incipiente. Ex quibus manifeſte patet, erroneam eſſe eorũ ſententiam, qui exiſtimãt, tutius eſſe nutrire in augmento, quã in principio, & vigore. Et, ſi adhuc aliquis obſtaret, dicens, ꝙ eadem eſt ratio particulariũ, & vniuerſalium temporũ: &, ſicut in vniuerſali vigore debet exhiberi tenuior victus, quam in alijs temporibus, ita in particulari vigore debet eſſet magis nocuum cibare, quam in alijs temporibus, & maximè in augmento: Ad hoc dicimus, falſum eſſe, quòd vniuerſalia, & particularia tempora eodem modo ſe habeant, quoniam vniuerſalia tempora diſtinguuntur penes actionem naturæ, & penes motionem cauſæ morbificæ, reſpectu naturæ, quæ ipſam tentat concoquere, ac cõcoquit, & ſic, cũ in vigore natura ſit nimiũ occupata circa coctionem cãæ morbificæ, non debet diſtrahi ad nouã coctionẽ: & maximè, quia eo tp̃e eſt admodum fatigata a morbo, qui tunc

Commẽ. 1.

Cap. 5.

magnus est,& vehementia habet symptomata, quæ summopere naturā vexant: particularia verò accessionis tempora non sunt distinguenda penes cruditatem,& coctionem,vt multi existimarunt, sed penes motum causæ morbificæ ad intra,& extra,& penes occupationem maiorem,aut minorem calidi innati: quia in principio mouetur materia ad interna, & tunc innata caliditas est maximè occupata, cum tunc sit quasi summersa,& suffocata: non sic in augmento,& multo minus in vigore: succensi enim succi ad exteriora propelluntur, dissolui incipiunt, & omnino in declinatione postea dissoluuntur, vt libro de particularibus morbi temporibus, & tertio de præsagitione ex pulsibus Galenus scriptum reliquit: & absque dubio,si particularia tempora se haberent, vt vniuersalia,sicut in principio vniuersali licet vberius nutrire,quam in augmento,& vigore,sic etiam esset in accessionis particularis principio.quod est contra Galenum,Hippocratem,& omnes, qui semper vitandū esse principium,exclamant,& præcipiunt,vt in omnibus primis tribus accessionis temporibus,quod est deterius tempus, a cibi exhibitione abstineamus, nisi maxima vrgeat necessitas: quoniam tunc a morbi vehementia est natura maxime vexata.Et hæc de his.

Cap. 3.
Cap. 8.

APHORISMVS DVODECIMVS.

Accessiones verò,& constitutiones,morbi indicabunt, & anni tempora, & circuituum successiua incrementa,siue quotidie, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiant. Sed & ex his,quæ mox apparent,indicia sumuntur,quemadmodum in morbo laterali,si circa initia statim sputum appareat,morbum breuiat: si verò posteà appareat, producit. Et vrinæ,& alui excrementa,& sudores, quæcunque apparuerint, vel bonam morborum iudicationem,vel malam, vel breues, aut longos fore morbos ostendunt.

CVM dixerit Hippocrates in Aphorismis præcedentibus, ꝙ ad rectā victus rationem instituendam,animaduertere oportet futurū morbi vigorem,ex cuius propinquitate, aut distantia,tenuiorem, aut pleniorē victū debemus exhibere: Et ꝙ in particulari ciborum exhibitione oportet

etiam considerare particulares accessiones; quia, neque cum adsunt, neque cum futuræ sunt, alimentum exhibere licet: In hoc Aphorismo, multorum medicorum placita redarguens, qui futurum morbi vigorem, & futuras accessiones posse præcognosci existimabant impossibile, dat methodum, qua prædicta duo præcognoscere licet: &, quamuis sumeretur etiã indicatio à viribus, quas metiri oportet, vtrum cum hoc, vel illo victu possint vsque ad morbi solutionem sufficere, tamen, vt inquit Galenus in Commento, Hippocrates nõ curauit de illis aliquid dicere, tum quia nullus antiquorum negauit viriũ tenorem posse præcognosci: qm̃, si non scientificè, & exquisitè, scientifica tamẽ coniectura licet propè ad veritatẽ accedere: tum etiã quia hoc poterat sciri ex his, quæ dixit in libro Prognosticorum. Sed de hoc in Cõmento. Inquit ergo, *Accessiones, & cõstitutiones morbi indicabunt*. Aphorismus iste diuiditur in duas partes, in quarum prima ponitur propriè aphorismus, qui in illis tantũ verbis continetur, Accessiones, & cõstitutiones morbi indicabũt, anni tempora, circuituũ successiua incrementa, & ea, quæ mox apparent. Et totũ, quod reliquũ est, est secũda pars, quæ continet exemplũ, quo declarat, quõ mox apparentia faciant ad futuri morbi vigoris, & futuræ accessionis præcognitionẽ. Et, ꝙ isto pacto diuidi debeat hic aphorismus, colligitur ex Galeno in Cõmento, vbi volens exponere illã particulã, Et circuituũ successiua incremẽta, inquit, Quòd verò circa finẽ aphorismi scribit, videamus: attamen si totus ille longus sermo esset aphorismus, non solũ illa particula non esset circa finẽ, sed nec circa medium, qm̃ esset ferè in principio: sed Galenus dixit esse circa finẽ, quia aphorismus cõtinetur in illis paucis verbis, vt dictũ est, & quia vltima particula est, & ea, q̃ mox apparent; & dictio, quã exponere intendebat, erat vltimæ particulæ propinqua, ideo dixit eã esse circa finẽ aphorismi: Hippocratis aũt intentio est explicare, ꝙ licet præcognoscere futuras accessiones, quo die scilicet, & qua hora fieri debent, & futurã morbi cõstitutionẽ, vtrũ scilicet morbus citò, vel tarde venturus sit ad vigorẽ, ex quatuor: primo, ex morbis; secũdo, ex anni temporibus; tertiò, ex circuituum successiuis incrementis; & quartò, ex his, quæ mox apparent: Qm̃ (vt inquit Galenus tertio de crisibus) ad hæc quatuor Hippocrates reduxit omnia quæ faciũt ad futuram morbi constitutionẽ præcognoscendã. Sed, vt benè eius sñia intelligatur, singula verba sunt quam optime ponderanda, & explicanda. Et, vt incipiamus a primo; per accessionem intellexit deterius tempus totius circuitus, quod includit tria illa tempora, principium, augmentum, & vigorem, vt in expositione præcedentis aphorismi ex Galeno in hoc Commento dictum est. Per constitutionem nihil aliud intelligit (vt explicat Galenus primo de crisibus) nisi morborum formam, secundum quam

Cap. 4.

Cap. 4.

ex talibus,ac tãtis vniuersalibus temporibus constituuntur: adeò quòd, si tempora sunt breuia, erit constitutio breuis;&,si tempora sunt longa, erit constitutio longa: & dicebat tertio Epidemion, primum statum, ab eo solere,non solum temperamẽtũ aeris præter naturam,sed etiam omnem cuiusque rei formam ita appellari recordemur. Et est notandum, quòd, quãuis interpres hic interpretur Constitutionem,& ibi Statum, tamẽ in Græco est eadẽ dictiõ κατάστασις.Cum ergo cõstitutio nihil aliud sit,quam ex talibus,ac tãtis vniuersalibus morbi tẽporibus compositio: ideò inquit Galenus in Cõmento, ꝙ,cõsiderare,si morbus sit acutus,vel peracutus, vel longus, & quando morbus in vigore cõsistet, nihil aliud est,nisi morbi cõstitutionem considerare: innuens per hæc verba,quòd, quamuis in præcedentibus aphorismis sumpserit victitandi rationẽ ex futuro morbi vigore:& hic non morbi vigorem,sed cõstitutionem præcognoscere doceat: tamen nõ diuersum,sed idem docet:cum morbi cõstitutio sit forma quædam,& ex vniuersalibus morbi temporibus cõpositio,vt dictum est.Est etiã sciendum,ꝙ, quamuis Hippocrates in secundo de ratione victus in acutis præceperit,vt in ratione victus instituenda respiciamus ad modũ morborum,& virium robur: & hic cum viriũ robore,considerat morbi constitutionem,vel futurum morbi vigorem: tamen nihil docet diuersum: idẽ enim intelligit per morbi constitutionẽ,& per morbi modum, vt habemus primo Epidemiõ.quo loco Galenus inquit,quòd Hippocrates intellexit per modum morbi,formã morbi. Et primo de crisibus inquit,quòd nihil aliud est morbi constitutio, nisi morbi forma: ergo morbi constitutio, morbi fama, & morbi modus sunt vnum,& idem.& Hippocrates,quamuis diuersis vtatur dictionibus,tamẽ semper stat in eisdem.Inquit ergo, morbi constitutionẽ esse longã,vel breuem,& accessionem in hac, vel illa die, vel hora esse futurã,morbi indicabunt. quod quomodo sit verum,explicemus,accipiẽdo quæ Galenus asserit secũdo de crisibus,scilicet, quòd morbi possunt indicare, vtrũ cito, vel tardè vẽturi sint ad finẽ; primò, ratione propriæ essentię;secũdo, ratione causæ;tertio,ratione loci affecti. *Quo ad propriam essentiam*: quoniã morbi calidi citius terminãtur, q̃ frigidi.calidũ enim semper facit ad mobilitatem,& frigidũ ad pigritiã.& ideo Galenus tum loco allegato,tũ septimo Methodi,morbos calidos citius frigidis terminari asseruit. indicat,& declarat illud idẽ morbi essentia, quoad sui magnitudinẽ:quia,quanto fuerit maior,& vehementior,tanto citius oportet expectare solutionẽ: nã,cum natura non possit sustinere morbi vehemẽtiã,est coacta venire ad pugnã,& tẽtare victoriã, vt habemus secũdo Aphorismorũ.quia,etsi ab vna,&eadẽ materia duo proueniãt morbi,nihilominus,si vnus alio est vehemẽtior, citius perueniet ad iudicationẽ,

Cõment. 3. in præfatione.

Commẽ. 3. Cõmen. 10.

Cap. 4.

Cap. 11.

Cap. 6.

Cõmen. 23.

quia natura molestata ab eius magnitudine, citius causam morbificã inuadit, & tentat victoriam, vt a morbi grauamine liberetur. Quod vero morbi ratione causæ indicent illud idem, non multam habet difficultatem. etenim morbi ex bile citissimè terminantur: cum fiant ab humore satis tenui, & mobili: ita, vt quandoque suo impetu paretur ad expulsionem. & vltra hæc sæuissima infert symptomata: ita, vt natura sit coacta venire ad pugnam: econtra pituita, & atra bilis longos excitant morbos: sunt enim humores crassi, firmati, ac veluti agglutinati, ita, vt præduris assimilentur tumoribus, & ideò multo tempore indigent ad sui concoctionem, & expulsionem, vt inquit Galenus secundo Aphorismorũ. Locus etiam affectus iuuat ad constitutionem morbi longam, vel breuẽ iudicandam: qm̃ morbi, qui sunt in partibus calidioribus, & qui sunt in partibus principalibus, citius terminantur, quam in alijs, vt habemus secundo de crisibus. Et sic videmus, pleuritidem, morbum semper acutũ, tamen citius sinistro, quam in dextro latere terminari, & non ob aliud, nisi propter maiorẽ cordis propinquitatem, & propter loci caliditatem. Et qñq; locus affectus est tanti momẽti, vt morbi, qui ratione sui, & suæ causę deberent esse longissimi, ratione loci fiunt breuissimi, vt apoplexia, & epilepsia; in quibus, quamuis humor redundans, qui eos morbos excitat, sit crassus, & lentus: & sic indigeret multo tempore ad sui attenuationem, concoctionem, & expulsionem: quia tamen afficitur cerebrum membrum nobilissimum, natura humorem sic crudum (non potens ob membri nobilitatem ferre noxã) nulla præcedente coctione, inuadit, & citissimã solutionem tentat. Et sic morbi, qui ratione causæ deberent esse diuturni, ratione loci non solum fiunt acuti, sed numerantur inter exquisitè peracutos, vt de apoplexia habemus secundo Aphorismorum, & de epilepsia, & distentione neruorum quinto Aphorismorũ. Sed aliquis nõ immeritò dubitaret, ꝙ epilepsia numeretur inter morbos acutissimos, cum ante vigesimumquintũ annum non curetur, nisi mutatione ętatis, victus, & locorũ, vt habemus secundo Aphorismorũ; &, si accidit post annum vigesimumquintũ, cum eo ęgri consenescunt, & cõmoriuntur, teste eodẽ Hippocrate quinto Aphorismorũ. Et Galenus etiã in hoc videtur sibi contradicere, cũ in dictis locis numeret inter peracutos epilepsiã: & primo de crisibus hunc Aphorismũ exponens, inquit quòd morbi indicabũt, vtrum futuri sunt breues, vel lõgi: quoniam phrenitis, causus, & pleuritis cito terminantur; morbus autẽ comitialis (qui idem est, quod epilepsia) & articularis, & coxendicum, ac renũ dolores sunt lõgi. Sed aliqui, ad pauca respicientes, citò ab hac se expediũt cõtrouersia, asserentes, ꝙ morbus comitialis, siue epilepsia potest considerari, & quo ad essentiam morbi, & quo ad particulares accessiones. quoad morbi essentiam,

Cõmẽ. 19.

Loco alleg.

Cõmẽ. 19.

Cõmẽ. 30.

An epilepsia sit morbus peracutus.

Apho. 45.

Apho. 7.

Cap. 4.

sentiã,est morbus diuturnus,durat enim longo tẽpore,vt quotidiana experientia cõprobatur: sed,quo ad particulares paroxysmos,& accessiones,est morbus acutissimus,cũ adeo validos habeat paroxysmos,vt absque dubio interficeret, si sine intermissione etiã per vnũ integrum diem perseueraret. Et sic pugnantiã soluunt: ꝙ Galenus qñq; considerauit paroxysmorũ vehemẽtiã, qñque morbi essentiam,& ideo qñque reposuit inter diutinos,qñque inter peracutos. Quę omnia, vt verum fatear,vidẽtur inconsideratè prolata, quia symptomata insequuntur morbũ, vt vmbra corpus: &,si loquimur de illis, quæ sunt signa morborum pathognomonica, sequuntur etiã ad morbi essentiam,& aucta,morbi auctionem, & diminuta,morbi diminutionem arguunt: immediate enim ab eius essentia fluunt,vt parum infra dicemus: Et concessum est apud omnes, ꝙ turpissima illa,& terribilia symptomata, quæ in epilepticorũ accessionibus apparent, vt conuulsio, spuma in ore,& omnium animaliũ actionũ abolitio,sunt illius morbi signa pathognomica , & sequuntur morbi essentiã, & sic nõ poterunt adinuicẽ separari: quia non erunt illa simul iũcta sinè epilepsia, nec erit epilepsia sine illis: & ideò , si epilepsia non est morbus acutus in propria essentia,est impossibile , vt sit acutus quo ad sua propria symptomata, si verum est, ꝙ immediate fluant a morbi essentia,& sic non possunt ab illa separari. Et ideo nos, animaduertentes Galeni sententiam in secundo de symptomatum causis , & in tertio de locis affectis,in quibus asserit, quòd, cum epilepsia, sicut & apoplexia, subito fiat, & subito soluatur, non potest esse morbus in intemperie , sed est morbus in compositione,& propriè in via. irruente enim aliquo crasso humore,subito fieri potest in meatibus cerebri obstructio , & fit epilepsia cum conuulsione illa non perpetua,quæ fit quatiente se cerebro, vt id,quod noxium est,expellat,&,quousque durat obstructio, perseuerat accessio,&,remota obstructione,sedãtur omnia symptomata,immo in totum tolluntur : quia omnino remota est obstructio , ex qua dependebãt. Hinc dicimus, quòd epilepsia,cũ subito fiat, & subito soluatur,est morbus peracutus ratione suæ essentiæ : non solum enim infra quatuor dies,sed multo citius terminatur: cum subito fiat,& subito soluatur: est tamen verum, quòd,remota epilepsia, & obstructione,remanet mala dispositio. etenim in his, qui hunc affectum patiuntur, si est per essentiam in cerebro,remanet alius morbus, vt puta intemperies frigida, & humida , quæ est apta nata de nouo humorem illum crassum aggregare, qui de nouo solet obstruere : & sic de nouo solet obstruere : & sic de nouo fiet epilepsia: sed,dum patiens est liber ab accessione, est etiam liber ab epilepsia ; quamuis non est liber a promptitudine incidendi in ipsam . de hac dispositione loquitur Hippocrates, & Galenus,quando asserunt

Cap. vlt.
Cap. 7.

hunc morbum esse diutinum : sicut dicimus, quartanam intermittentē esse satis longam: & tamē Galenus vult, quòd quartanarij, tempore, quo sunt a febre liberi, non sunt actu ægrotantes, ad minus eo morbo: sed habent promptitudinem incidendi in illum morbum : sunt enim neutra decidentiæ, vt habemus quinto de placitis. Et sic habemus, vt ad id, vnde discessimus, reuertamur, quomodo morbi, quoad sui essentiam, magnitudinem, causam, & locum affectum, possunt nobis indicare futuram morbi constitutionem longam, vel breuem: & si morbi calidi citius terminantur, quam frigidi, & qui ab humore bilioso citius terminantur, quam qui a pituita, & humore melancholico : &, qui sunt in locis calidioribus, vel in partibus principalibus, citius, quam qui sunt in locis frigidis, & à principibus partibus remotis: hæc ad inuicem coniungentes, febres ex bile tum ratione essentie, tum ratione causæ cito terminabuntur, & tanto magis, si humor putrescit intra vasa, & maximè si fuerit in vasis oris ventriculi, vel iocinoris, quia tunc non solum excitabit ardentem, sed ardentem malignam, vt inferius dicemus. Febres item pituitosæ, & melancholicę, ratione loci, si sunt continuæ, citius terminabuntur, quam suæ intermittentes: idem licet in alijs morbis, vt angina, quamuis, ratione, qua est inflammatio, sit morbus acutus: tamen, ratione, qua est in gutture, & lædit respirationem, ac deglutitionem, actiones ad vitā necessarijssimas, erit ratione loci morbus peracutus: econtra verò morbus articularis, coxendix, & huiusmodi, quia fiunt vtplurimum ab humore frigido, & crasso, ad minus a prædominio, & sunt in partibus frigidis, & a principalibus remotissimis, longam, & tardam indicant morbi constitutionem. Indicant etiam morbi futuras accessiones : scimus enim, quòd morbi ex bile affligunt per tertium, si fuerint cum febre coniuncti, ex pituita exacerbantur quotidie, ex humore melancholico per quartum, adeò quòd, si innotescit febrem esse biliosam, statim præcognoscimus futuras accessiones expectandas esse alternis diebus, qui motus obseruatur etiam in inflammationibus, vt habemus secundo de differentijs febrium; quia sanguis in parte inflammata bilescit, & sic bilis motum seruat: eodem modo, cum fuerit notum, febrem esse pituitosam præcognoscemus futuras accessiones esse quotidie; & in melancholicis expectabimus accessiones per quartum. Et sic verum est morbos ipsos indicare tum futuram morbi constitutionē, tum futuras accessiones. Sed circa accessionū præcognitionē est sciendum, ꝙ nō est, vt vulgus medicorū opinatur, qui ex figura accessionū febrem putāt esse dignoscēdā: Hippocrates enim, & Galenus totū oppositum docēt, qūo scilicet ex morbo possumus futuras accessiones præcognoscere, & nō ecōtra: & non immerito: quia inquit Galenus secūdo de crisibus, ex figura accessionum, vo-

Cap. 2. *Cap. 9.* *Cap. 2.*

lumus dignoſcere febris naturam, ſignum erit multoties fallax: quoniā febres ſolent complicari : & duæ tertianæ faciunt figuram vnius quotidianæ: ſic duæ quartanæ poſſunt facere figuram vnius tertianæ. Sed circa Galeni verba multi dubitarunt: quoniam minimè verum eſt, quòd duæ quartanæ faciant figuram vnius tertianæ: quia nō affligent per tertium: ſed vno die æger benè ſe habebit, & in duobus diebus aderit acceſſio: & ideo aiunt codicem eſſe mendoſum : & loco duarum quartanarum, inquiunt, legēdum eſſe, duarum quintanarum: quoniam, ſi vna incipit prima die, & alia tertia die, ſeruabunt figuram vnius tertianæ. Quorū ſententia mihi omnino non placet: quia non eſt ad Galeni mentem, qui quintanas febres non admittit, vt parum infra explicabimus. & eius intentio in eo loco non eſt declarare figuram acceſſionum, quæ ſeruatur in toto morbi tempore, ſed tantum in primis diebus, vt optimam victus rationem inſtitueret : & vult, quòd, qui vſque ad tertiam diem morbi naturam non nouit, iam non eſt Theſſalicus aſinus, ſed lapis: & duæ quartanæ primis tribus diebus, quoad circuitus formam, poſſunt tertianæ circuitum imitari: ſi una incipiat prima die, & alia tertia die. Et hoc ſufficit ad ſtatuendam Galeni ſententiam in eo loco, & nō oportet literam deprauare: & quintanas febres, quas ipſe ſemel tantū vidit; & obſcurè in eius doctrina introducere: & maximè quia exempla debēt eſſe notiſſima, & non eorum, quæ nunquam, aut rariſſimè accidunt. Sed, quia, ad hoc, vt ex morbo præcognoſcere poſſimus futurā conſtitutionem, & acceſſiones, oportet morbi naturam cognoſcere, & hoc ex propriis cuiuslibet morbi indiciis : ideò circa hoc, ſecundo de criſibus multum Galenus laborauit: & nos in Commento circa eius expoſitionem nonnulla conſiderabimus. Sequitur Hippocrates, *Et anni tempora*: & vult, quòd ad præcognitionem morbi conſtitutionis, debemus conſiderare anni tempora: quoniam, cum declaraſſet primò de natura humana, quòd in æſtate abundat bilis, ex hoc habebimus, quòd eo tempore morbi ſunt vt plurimum billioſi: & ſic erunt breues. Eadem ratione præcognoſcere licet, quòd acceſsiones erunt per tertium: in autumno ſolet abundare atra bilis, & ſic morbi erunt longi, & acceſsiones ſolent eſſe per quartum: in hieme abundat pituita, unde morbi erūt longi, & in febribus exacerbationes ſolent eſſe quotidie. ſed eſt notandum, quòd anni tempora indicant futuram morbi conſtitutionem, nō ſolum prædicto modo, ſed etiam, quia in æſtate non ſolum terminantur cito morbi, qui eo tempore fieri ſolent; & in autumno, & hieme tardè, qui his temporibus ſunt veluti proprij : ſed æſtas ſemper in morbis addit ad celeritatem, ſiue fiant ex bile, ſiue ex pituita, aut atra bile : & hieme ſemper addit ad tarditatem : & ideo ſecundo Aphoriſmorum dixit, *Aph. 25.*

dixit, Aestiuæ quartanæ breues, autumnales verò lõgæ, & maximè quæ hiemem attingunt; in quo quamuis videatur loqui de quartana, tamen, ea febre vsus tanquam exemplo, voluit inferre sententiam omnibus morbis vniuersalissimam: ac si voluisset dicere; Si quartana, quæ singulis temporibus longissima est, quando incipit in æstate, est minus longa: ergo possumus vniuersaliter inferre, quòd eo tempore citius iudicantur morbi, quam in aliis temporibus: semper enim, vt inquit Galenus, æstas addit ad celeritatem, & hiems ad tarditatem: & febris acutissima non adeò cito terminabitur in hieme, vt in æstate: & hoc accidit (vt eo loco Galenus asserit, & infra) quia in æstate pori sunt ratione caloris rarefacti, & humores ui caloris fusi per totum corpus feruntur, & facillimè difflantur: &, si vires fuerint robustę, morbi cito soluuntur, & ad salutem: si verò fuerint imbecillæ, vna etiam cum homoribus, & ipsæ dissoluuntur, & cito terminabuntur morbi, sed ad malum. In hieme verò accidit totum oppositum: etenim humores intus manent, & non facile difflantur: pori enim sunt clausi, & totum corpus densum: humores etiam non sunt sic fusi, & eliquati: vires etiam non facilè dissipantur: & ideò nec cito morbi soluuntur, cum perseueret eorum causa, nec ægri sic cito moriuntur, cum vires non dissoluantur, sed robustæ perseuerent: & sic morbi fiunt diuturni. Illud verò, quod dixit de anni temporibus, intelligendum etiam est de ætate, de temperamento, consuetudine, regione, particulari cœli statu, industria vitæ, & huiusmodi: quia, cum hæc eadem ratione se habeant, quando Hippocrates de vno illorum fecit mentionem, cætera omnia voluit esse intelligenda, vt inquit in hoc commento Galenus; & satis pulchrè declarat libro octauo de placitis: quoniam, vt in æstate morbi sunt breuiores, quam aliis temporibus, ita in ætate iuuentutis morbi citius terminantur, quàm in aliis ætatibus: &, vltra quòd morbi erunt breues, vt plurimum seruabunt circuitum tertianæ: &, sicut se habet autumnus respectu aliorum temporum, sic se habet senectus respectu ætatum; & ideo in ea abundauit atra bilis: & per consequens ea ætate solent fieri morbi tardę terminationis, & oportet expectare accessiones per quartum: & sicut, vt inquit Galenus, se habet hiems respectu aliorum temporum, ita ætas decrepitorũ, idest eorum, qui sunt in vltima senectute, respectu aliarum ætatum, & sic in illis oportet expectare morbos ex pituita, qui erunt diuturni, & accessiones erunt quotidie: eodem modo dicere licet de temperamento, & aliis. *Et circuituum successiua incrementa*: subiungit Hippocrates, quòd ad præcognoscendam futuram morbi constitutionem, & futuras accessiones, debemus tertiò considerare circuituum successiua incrementa. Sed notandum, quòd in aliquibus Græcis codicibus reperitur dictio,

In cõmẽto. *Cõmen. 15. & 18.* *Cap. 6.* *Loco alleg.*

dictio, Epidosies, quæ apud nos significat incrementa, vt benè interpretatur Leonicenus: in aliquibus verò est dictio Antapodosies, & sonat apud nos Vicissitudines, alternationes, varietates, & mutationes: &, quomodocunque interpreteris, sententia erit vera: siue enim inspiciamus circuituum successiua incrementa, siue circuituum vicissitudines, & varietates, semper, vt dicemus, habebimus intentum. Per incrementum verò, & vicissitudinem circuituum, non oportet cum aliquibus intelligere solum anticipationem, & postpositionem accessionum: quia, etsi in augmento fieri soleat anticipatio, in declinatione postpositio, & in vigore eodem modo solitum sit persistere accessio; tamen hoc est signum fallax: cum reperiantur quædam ex sua natura semper anticipantes, & quædam semper postponentes, in quibus non licet ex anticipatione augmentum, nec ex postpositione declinationem arguere. Et ideò, antiqui, illas Anticipantes, & has Postponentes, appellarunt, vt habemus primo de crisibus: & Galenus, tum eo loco, tum in hoc Commẽto, vult, vt per incrementa accessionum intelligamus, non solum earum anticipationem, sed etiam earundem longitudinem, & magnitudinem: quando enim hæc simul concurrunt, tuto possumus ex accessionum incremento augmentum, & futurum morbi vigorem præcognoscere: quia, quando accessio non solum multum anticipat, sed est etiam longior, & cũ vehementioribus, & prauioribus symptomatis, arguitur morbus acutissimus, & velocissimi motus, & tanto magis, quanto citius, & maior in omnibus fit accretio: tũc enim morbus multum naturam irritat, ita, vt sit coacta, velit nolit, venire ad pugnam, & tentare victoriam: & ideo Galenus inquit in Commẽto, quòd oportet etiam considerare, quantum penes hoc incrementum differunt inter se accessiones, quia, si differentia est multa, quia multum accessio anticipat, multum est longior, & multo maioribus est comitata symptomatis; arguere licet morbum esse acutissimum; & ideò citissimè venturum ad vigorem. Neque enim (ut inquit) fieri potest, vt magna incrementa suscipientibus accessionibus, non proxima sit morbi consistentia. quòd si non multum anticipauerit accessio, nec sit admodum longior, & symptomata sint, sed parum aucta, significatur quidem augmentum, sed non adeò effatu dignum: & ideo coniectandum non adeo propinquum esse morbi vigorem. Quod si nulla fiat anticipatio, nec in longitudine, aut symptomatum magnitudine actio, existimãdum multum à principio distare morbi uigorem: & de istis dicebat quarto Aphorismorum: Quibuscunque accessiones fiunt, quacunque hora febris dimiserit, si eadem cras occupauerit, iudicium habent difficile. Quæ sententia, quamuis fuerit à multis alio modo intellecta, tamen exponitur a Galeno, quòd, quando febres

Cap. 3.

Aph. 30.

febres incipiunt, semper eadem hora, quacunque hora posteà dimiserint, siue eadem, siue alia, difficile habent iudicium. quod (vt inquit) quotidiana experientia comprobatur; & ratio non deficit: quia, cum accessio semper seruet eandem horam, est signum, quòd causa est crassa, & viscida, ac veluti fixa, firma, & agglutinata, vt multo tempore indigeat ad sui concoctionem, & expulsionem. Et, si aliquis diceret, an liceat in febribus sua natura anticipantibus, & postponentibus, simul cum magnitudine, & longitudine accessionis, aliquid arguere supra futuram morbi constitutionem? Potest responderi cum Galeno primo de crisibus, quòd, quamuis in illis simpliciter anticipare, non arguat augmentum, & postponere declinationem; tamen, si consideramus modum anticipationis, & postpositionis, ex illis etiam licet aliquid coniectari circa dicta tempora. si enim febris anticipat sua natura per duas horas, quando incipit anticipare vltra dictam mensuram; vt si anticipat per tres, tunc est signum augmenti; &, quanto anticipatio vltra dictam proportionem fuerit maior, tanto citius demonstrat, futurum esse morbi vigoré. sic etiam in postponentibus, quando minus, quàm a proprietate solebant, postponunt, arguitur augmentum: &, quando postponunt magis, quàm sit ex eorum natura, arguitur declinatio: considerando tamen cum his accessionum magnitudinem, & longitudinem, vt superius dictum est. Arguunt etiam accessionum successiua incrementa supra futuras accessiones: quoniam, si pręcedens accessio anticipauit per duas horas, facilè coniectamur, cum morbus tendat ad vigorem, quòd succedens anticipabit per plures, vt per tres, vel quatuor: &, si morbus est tardi motus, ad minus anticipabit per duas alias horas, & sic cibamus: non solum cauendo ab horis præteritæ accessionis: sed abstinemus per multas horas ante; ne, accessione anticipante, simul cum cibo concurrat: quòd si nulla præcessit anticipatio, parum est timendum de anticipatione in accessione ventura: &, si effatu digna fuit in præcedenti facta anticipatio, summopere timendum de anticipatione in accessione ventura: & per multas horas ante accessionem abstinendum est. In his etiam, quę a proprietate anticipant, vel postponunt, si bene animaduertimus proportionem, quam seruant, & quomodo ab ea recedunt, parum aberrabimus à vera coniectura; vt horam, in qua futura est accessio, determinatè cognoscere valeamus: & hoc verificatur siue quotidie, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiant ipsi scilicet circuitus, hoc est siue circuitus sit quotidianus, siue alternis diebus, idest tertianus: ita, quòd vno die fiat accessio, & alio non, siue fiat per maiora interualla, vt in febre quartana, in qua fiunt accessiones de quarto in quartum, & sic in vno die fit accessio, & duobus sunt vacui. Sed dubitaret

Loco allegato.

taret

taret aliquis, vtrum Hippocrates per circuitus, qui fiunt per maiora interualla, intellexerit solum quartanos, an etiam alios, de quibus fecit mentionem primo Epidemion, vbi ponit febres quintanas, septimanas, & nonanas, hoc est habentes circuitus per singulos quinque dies, vel per septem, vel per nouem, vt in expositione huius loci existimauit Oribasius, siue expositor ille, qui sub nomine Oribasij circumfertur; qui ad omnes dictos circuitus, hanc Aphorismi partem ampliauit, quem secutus est Brasanolus? Ad hoc cum Galeno dicimus: primò, quòd, siue Hippocrates posuerit hos circuitus, siue non, debemus fateri nullo pacto dari: quoniam, in quibus vsus, & experientia debet iudicium facere, non debemus rationes inuestigare; & circa demonstrationes inueniendas tẽpus conterere: &, si darentur tales circuitus, apparerent in aliquibus ægrotantibus, vt apparent, quotidianus, tertianus, & quartanus: &, si Hippocrates tales circuitus obseruasset, vtique inter tot historias, quas in libris Epidemion narrauit, adduxisset aliquem ægrum, in quo tales circuitus obseruauit: quod non fecit, quia fortè non vidit, vt credendum est: quia Galenus fatetur primo de differentiis febrium nunquam se vidisse quintanum, septimanum, & nonanum circuitum: & primo Epidemion inquit, se ab adolescentia obseruasse, & nunquam vidisse septimanum, & nonanum circuitum: quintanum verò aliquando, sed obscurum: & ideò, cum quotidiana experientia repugnet dictis Hippocratis, debemus in hoc ab eo recedere: quia etiam a fide dignissimis est recedendum, quando absque forti ratione loquuntur, vt Galenus asserit sexto Epidemion, & quòd nemo debet se adeò doctrinæ alicuius obligare, vt sit veluti seruus, & libertinus. Sed cum Diocle, & Galeno primo Epidemion, debemus etiam rationecontra Hippocratem insurgere, asserentes, quòd, si darentur febres cum istis circuitibus, vtiq; fierent ab aliquo humore, non ab ipsa bile, quia hæc facit circuitum tertianum, non a pituita, quæ quotidianum; non ab atra bile, quia hæc facit circuitum quartanum; non a sanguine, quia nullum facit circuitũ: & non dantur plures humores, quam isti in corpore: ergo ratione conuincitur, quod tales circuitus dari non possint. Præterea, ut inquit Galenus primo Epidemiõ, cum Hippocrates fecerit mentionem de tertiana, & dixerit eam habere statum, ordinem, & terminum, ubi asserit, Tertianæ exquisitæ septenis circuitus terminantur: & in libro Prognosticorum dixit etiam de quartana, quòd habeat statum, terminum, & ordinem: est dubitandum, quare, si etiam alios circuitus obseruauerit, de illis nihil penitus dixit: & ideo ratio, & coniectura conuincit, quòd nec dentur, nec ipse illos obseruauit, sed, quoniam in istis est præcipuè credendum experientiæ, ideò, ut inquit Galenus eodem primo Epidemon, debemus

An detur quintanus, septimanus & nonanus, circuitus. Cõment. 3. Tex. 2.

Cap. 5. Cõmen. 3. Commẽ. 2.

Cõment. 2. Cõmen. 25. Loco alleg.

Cõment. 3. Cõmen. 17.

4. apho. 59. lib. 3. tex. 27.

Cõment. 3. Cõment. 7.

debemus animaduertere, & diligenter obseruare, vtrum quandoque tales circuitus appareant: nam, si apparerent, esset dictis Hippocratis fides adhibenda: sed est in obseruatione cauendum, ne aliquis contingat error: potest enim esse, vt aliquis febre ægrotet: &, quia febris causa est pauca, vnica accessione tota consumitur: & æger, putãs se esse omnino liberum, ad consuetam victus rationem reuertitur; &, facta denuo per septem, per octo, vel per nouem dies causæ aggregatione, potest de nouo incidere in febrem: &, cum iterum causa vnica accessione finiatur, iterum putans se liberum, reuertitur ad eundem victum, & remanẽte eadem dispositione, obseruataque eadem victus ratione, potest in æquali tempore idem reaggregari: & sic videbitur fieri accessio singulis septem, vel nouem diebus; & hoc modo videri posset, quòd dentur isti circuitus. sed in rei veritate non sunt veri circuitus: quia, Galeno teste, veri circuitus sunt, quando, etiam si optima victus ratio seruetur, ad cõstitutum tempus reuertuntur: sic enim videmus in tertiana, quotidiana, & quartana seruari certos, & determinatos circuitus, siue recta victus ratio instituatur, siue circa illam contingat error. Ex quibus innuere vult, quòd dicti circuitus non dentur, etiam si aliquando secundum quandam apparentiam visi sunt: non enim sunt veri, determinati, ac cõstituti circuitus; sed fiunt remanente in corpore aliquo morbi semine, ex noua humorum reaggregatione, vt dictum est. Et, cum Hippocrates de his nullum posuerit exemplum in epidemiis, & nullam fecerit mentionem in libris suis germanissimis, vt in Aphorismis, & in Prognosticis: oportet, vt inquit Galenus tertio Epidemion, coniectari, quòd, quæ dictis locis de his circuitibus scripta sunt, non sunt de Hippocratis mẽte; sed, vt alia multa fuerunt addita, sic & hæc ab aliquo fuerunt infarta. Iuxta quam sententiam nos dicere possumus, quòd, cum Hippocrates non nouerit alios circuitus, præter illos tres, tertianum scilicet, quotidianum, & quartanum: per circuitum, qui fit per maiora interualla, non intellexit, nisi quartanum. Et si benè cõsideramus, ex hoc met aphorismo potest conuinci, quòd secundum Hippocratis sententiam, quintanus, septimanus, & nonanus circuitus non dentur: quia, si darentur, cum non sint plures humores, quam quatuor, esset necessarium fateri, quòd ab vno humore plures possunt seruari circuitus: & sic non liceret ex morbis, ratione suę causę, prędicere futuram morbi accessionem, vt in hoc Aphorismo docet. Nam in tantum est vera sententia hic posita, inquantum præsupponit, quòd quilibet determinatus humor determinatam habet, ac propriam accessionis figuram: aliter nihil de futuris accessionibus concluderet. Et, cum aphorismi sententia sit fundata in eo, quòd quilibet humor habet suam accessionis figuram determinatam:

Eodem loco.

Cõment. 3. Cõmen. 64.

De causis period. catio nis.

natam: non erit ab re in hoc loco disputare de causa periodicationis: & postea, ad magis particularia descendendo, examinare, quæ sit causa, quòd bilis per tertium, atra bilis per quartum, & pituita quotidie inuadat. Et circa hanc quæstionem ante omnia est animaduertendum, quòd multi crediderunt, quòd Galenus ipsam examinauerit secundo de differentiis febrium, quod non est omni ex parte verum: quia, cum circa causas periodicationis duo possint considerari: primum, quare, vna febre finita, alia reuertatur accessio: secundum, quare bilis reuertitur per tertium, atra bilis per quartum, & pituita quotidie: primum tantum eo loco examinauit Galenus, quare scilicet accessiones reuertantur, & quare in febre ex sanguine nulla fiat repetitio, sed vnica accessione terminetur. Quod non animaduertens Argenterius, existimauit, Galenum in hoc esse varium: quia secundo de differentiis febrium causas circuituum refert ad facultatem expulsiuam, irritatã ab excrementorum copia: &, quando negat quintanas, septimanas, & nonanas, causas circuituum refert ad humorum proprietates, cum negauerit illas dari, quia non adsunt humores, ex quibus possent illæ excitari: quia pituita quotidie, bilis per tertium, & atra bilis per quartum inuadit: & sic possunt illos excitare circuitus. Sed absque dubio aberrauit: quia, quando Galenus causas circuituum refert ad facultatem expulsiuam, irritatam, tũc considerat causas, quare accessiones reuertantur. Quando vero reduxit ad humorum proprietatem, tunc reddidit causam, quare vna reuertitur per tertium, alia per quartum, & alia singulis diebus. Sed, ad propositum redeuntes, videamus breuiter, quæ sit periodicationis causa, hoc est, quare accessio reuertatur; & quare ex sanguine nulla fit periodicatio. Hinc postea veniemus ad aliud, quod fuit propositum, quare scilicet quilibet humor propriam seruet accessionis figuram. Et circa periodicationis causas cum Galeno dicimus, quòd in omnibus febribus, quæ per circuitum reuertuntur, adest aliqua pars, in qua est mala dispositio, & veluti focus putredinis, ad quam, tanquam ad imbecilliorem, a partibus fortioribus per facultatem expulsiuam fit excrementorum expulsio, quæ in parte imbecilla, cum ea non possit expellere, paulatim aggregantur: &, cum fuerint ita aucta, vt sua quantitate, vel qualitate molestent: quia non regulata a natura, iam putredinem incipiunt sapere: tandem natura, nimium stimulata, illa expellit, quæ cum suis vaporibus ferè putridis proprio etiam mouentur impetu, & fiunt accessiones, quæ postea augentur, & vigent: & tandem in declinatione materia, vel per sudorem, vel insensibiliter discutitur. Sed, remanente in foco putredinis, imbecillitate, & mala dispositione, & fortioribus iterum transmittentibus, de nouo fit aggregatio, & de nouo etiam propter prædictas

Cap. II.

Quare accessione per circuitum reuertuntur.

Loco allega.

prædictas causas, sequitur accessio: & ex eisdem etiam accidit causis, quòd accessio quandoque anticipet, quandoque postponat: anticipat enim, quando illa materia in maiori quantitate, vel magis acris fuerit, & virtus magis irritata: & ideo ex anticipatione arguitur morbi augmẽtum: postponit verò, quando materia fuerit in minori quantitate, aut magis benigna, & natura non est ideo irritata: & ideo arguitur declinatio. Et, cum hæc sufficiant ad huius Aphorismi intellectum, tum quoad alternationem, & vicissitudinem accessionum, tum quoad earũdem anticipationem, & postpositionem, his pro nunc erimus contenti: multa relinquentes, quæ Galenus asserit de humorum crassitie, & tenuitate, de motuum angustia, & laxitate, & de facultate valida, & imbecilla, quæ possunt esse causæ, vt accessiones citius, aut tardius finiatur, & vt citius, aut tardius inuadant. Sed febris ex sanguine, quæ Græce dicitur synochos, & nostri appellant continentem, nullum facit circuitum, vt eodem loco Galenus asserit; quia non fit ex affectu alicuius partis, in qua focus putredinis adsit, nec fit partibus fortioribus transmittentibus ad imbecilliores: hę enim erant causę vt in aliis febribus excitarentur circuitus, sed putrefactio fit in venis, & arteriis, & præcipuè maximis, quæ sunt inter inguina, & alas: vt dicebat nono Methodi: &, cum vna pars sanguinis sit alteri propinqua, & quod tangitur a putrido putrescit, semper per nouam putredinem in finem vsque, sine accessionum vicissitudine perseuerat: &, vt eodem loco dicebat, iuxta quod magis, aut minus, aut æquale est illud, quod difflatur, aut quod putrescit, fiunt tres synochi species: si enim plus est, quod putrescit, quã quod difflatur, fit epacmastica, quæ semper augendo procedit: si verò plus est, quod difflatur, quàm quod putrescit, fit paracmastica, quæ semper diminuitur: si verò æquale est, quod putrescit, ei quod difflatur, fit Omotona, quæ semper similis perseuerat. Et hæc de eo, quod primo quærebatur, pro nunc sufficiant. Circa verò aliud quæsitum, quare scilicet bilis habet suum determinatum circuitum per tertium, pituita singulis diebus, & atra bilis per quartum, maxima semper fuit difficultas: & ideo multi, de causæ inuentione desperati, confugerunt ad causas cæcas, & occultas, asserentes, quod hoc proueniat a forma specifica, vel a proprietate occulta: quod minime sufficere debet, quando aliquo modo propinqua, & manifesta causa potest indagari. Aliqui etiam ad astra, & communissimas causas voluerunt confugere: quod non est laudandum, quia, etsi inferiora sint alligata superioribus, ita, vt omnis inferiorũ virtus gubernetur inde, vt Arist. inquit; tamen non debemus causa illa communi esse contenti: quoniam sic multas soluere difficultates esset facillimum: sed debemus semper conari, vt effectuum naturalium aliquam reddamus pro-

Loco alleg.

Cap. 3.

Quare bilis per tertium, pituita quotidie.

pinquam

pinquam causam. Aliqui, ad causas propinquiores descendentes, dixerunt, ꝙ causa diuersę figurę accessionum, est diuersa humorũ quantitas. cuius sententiæ fuit in secundo libro suorum Problematum Alexander Aphrodiseus, si sunt illius, vel forsitã, vt opinor, alterius, & forsitan Tralliani: inquit enim, ꝙ, cum sanguis sit in maxima copia, facit febrem continentē, & sine intermissione affligit: postea est pituita, quæ cum possit nutrire, cęteros humores quãtitate superat; & ideo, quamuis sit frigida, & crassa, singulis diebus affligit: bilis verò, cũ sit pituita minor, & atrã bilim quantitate superet, affligit per tertium: & ipsa atra bilis, cum respectu omniũ sit minima, affligit per quartum. Sed hæc positio multas patitur controuersias: sequeretur enim, ꝙ quilibet humor aliam in pauca quantitate faceret accessionē, aliam in multa. quod experientiæ minime respondet, quia a bile, siue sit in pauca quantitate, siue in multa, semper fit accessio per tertium. Et Galenus secundo de differentiis febrium vult, quòd multa, aut pauca quantitas non mutet circuitus formam, sed facit ad accessionis longitudinē, & breuitatem. Nec est recipiendum, quod ait Argenterius, quòd bilis, quãdo est multa, variat suam periodũ: quia, quando in febribus biliosis fiunt singulis diebus accessiones, accidit, quia in duobus locis separatis bilis putrescit, & sunt duæ febres biliosæ simul cõplicatæ: & quotidiana experientia comprobatur, ꝙ, quamuis singulis diebus fiant accessiones, tamen correspondent adinuicē per tertium. signum euidens, quòd quælibet complicatarum per tertiũ facit accessionem. Præterea nihil prohibet, vt aliquis sit adeo atrabiliosus, quòd in eo redundet magis atra bilis, q̃ flaua; & tunc in illo nõ haberemus causam, quare fit accessio per quartũ: nec solum in aliquo corpore casus est possibilis, sed doctissimus Fernelius multis rationibus conatus est demonstrare, quod in corpore humano, benè se habēte, & optimè sano, maior sit quantitas melancholici humoris, quã biliosi. Aliqui verò dixerũt, ꝙ varietas, quę reperitur in circuitibus, fit a putredinis proprietate. & rationes Argenterij libro tertio de causis morborũ, quamuis multũ valeant contra eos, qui ponunt hoc fieri a proprietate occulta, aut forma specifica ipsorũ humorũ, tamen contra hanc positionē sunt friuolę. isti. n. ponunt proprietatē in humoribus putrescentibus, & in illis nõ reperitur nisi dũ putrescunt: nec ēt contra istã concludit, quòd dicit pręceptor meus Altimarus, ꝙ, cũ putredo in omnibus sit eiusdem naturę; semper enim est mutatio totius putrescētis substantiæ ad corruptelam: non potest in vno causari vnũ effectum, & aliũ in alio: etenim, etsi vna sit, ratione sui, putredinis natura, potest tamē ex varietate subiecti, diuersitatē suscipere, vt dicemus; sed quõ possit exponi, & saluari ista positio, ex his, quę in nostra determinatione dicturi sumus patere poterit: & ideo ad il-

Probl. 8.

Cap. 3.

Cap. 7.

Iam accedamus. Sed ante omnia dicimus esse animaduertendũ, ꝙ, vt bene dicebat Alexander in proęmio suorũ problematum, multoties medici, cũ non habeant certam causam, sunt coacti ad occultas proprietates cõfugere, & non solum medici, sed etiã philosophi: quoniã non habent, quã causam assignẽt, quare magnes attrahit ferrũ, & succinum festucas, quare portulaca remouet dentiũ stuporem, & rhabarbarũ trahit bilim: in istis enim ad proprietates oportet cõfugere; quas Galenus quãdoq; substãtiæ familiaritates appellauit, per quas non intellexit, vt multi, aliquid a cęlo, vel ab astris istis inferioribus cõicatum; sed proprietatẽ quãdã, quę resultat in misto ex quatuor elemẽtis, quę ad eius constitutionẽ veniũt sub hac paritate, vel imparitate: quia scilicet in eo est plus terræ, minus aeris, cũ tanta proportione aquę, & tanta ignis, quę proportio taliter est in vno, vt nullo modo sit, sub eadẽ proportione, in alio: sic enim illa essent eadẽ, & hæc habentur ex Galeno quarto simpliciũ, & has multi appellauerunt formas specificas. Et inter alia, quorũ causam ignoramus, est, non solũ difficile, sed, quoad nos, impossibile, scire, quare bilis determinatè obseruat hãc accessionis figurã, & mouetur determinatè in hac hora. sic etiã, quare alij humores obseruant suã determinatã periodũ, quemadmodũ sciri nequit vera causa dierum criticorũ: & quare mulier determinatè singulis mẽsibus purgatur per menstrua, & per nouem menses vtero gerit, vel per septem, & quare, cũ alia animalia habeant vnũ sui partus determinatũ tempus, mulier nõ habet: & quare inter alia animantia quædã per tres menses, vel plures, quędã per annum, vel per aliquod aliud determinatũ tempus vtero gerunt. In his omnibus verã causam inuenire, est ferè, ex parte nostri, impossibile: quoniã vltimas rerũ differentias ignoramus. Cũ hoc tamen debemus semper conari; vt, quantũ fieri potest, propè ad veritatẽ accedamus. quòd in prępposito quęsito facere tentabimus; sumẽtes ab ipsius rei natura principiũ; considerãtes cuiuslibet humoris putrescentis naturã, præcipue scilicet cuiuslibet humoris temperamentũ, & secundario etiã ipsorum substantiam, vt infra dicemus. Et supponimus, ꝙ humores non faciant suas determinatas periodos, nisi putrescãt; quod manifeste apparet in morbo regio, in quo adest bilis redundantia, sed, quia non putrescit, non apparet in illo morbo febris, nec aliqua periodus: &, si necesse est, vt putrescãt, dicerẽ, quod, ratione maioris, aut minoris propensionis ad putredinẽ, & ratione maioris, aut minoris resistentiæ ad putredinis causas, huiusmodi in accessionibus accidunt varietates. Et, quoniã ex Aristotelis sentẽtia quarto Meteorologicorũ putredo fit a calido, & humido, ita tamen, vt humidum præualeat calido: si enim calidũ præualet humido, efficitur generatio: & ideo sequitur, quòd putredinis potissima causa sit humiditas,

Cap. 15.

& secun-

& secũdario caliditas. Et suppono etiam, quòd humores sint his qualitatibus præditi, sanguis vel est tẽperatus, vel calidus, & humidus; pituita est frigida, & humida; bilis calida, & sicca; & humor melãcholicus est frigidus, & siccus. His suppositis, dicimus, quòd, quãdo fit putrefactio illa, citius putrescũt, quę magis participant de qualitatibus, & his, quę ad putredinẽ faciunt, & illa tardius putrescũt, quæ putredini qualitates magis aduersas, & cõtrarias habent: & sic videmus in exterioribus sicca, & frigida putredini multũ resistere, quia suis qualitatibus, putredinis causas oppugnãt. Et hac ratione ducti, dicimus, ꝙ non est mirum, si, sanguine putrescente, continens, & quæ vnica terminatur accessione, excitatur febris: etenim, vltra quòd nõ fit veluti cæteræ, existente in aliqua parte putredinis foco, & ad eã, tanquam imbecilliorem, excrementa fortioribus transmittentibus; illud accidit etiã, quia, etsi sanguis sit temperatissimus, & in mediocritate cõsistens: tamen ad minus, quando putrescit, in eo humidũ præualet; &, cum non putrescat in parte determinata, sed in venis maximis, vbi sanguis putrescẽs, est simul cum nõ putrescẽte, & quod tangitur a putrido putrefit, & ideo per partem post partẽ, fit continua putrefactio, eo magis, quia in sanguine nec reperitur siccitas, nec frigiditas, quibus posset putredinis causis resistere; immo existimarunt multi, inter quos fuit etiã Hippocrates, in primo de natura humana, vt ex Galeno in Cõmento colligitur, quòd sanguis sit calidus, & humidus, & sic nõ solum careret causis, quæ putredinem oppugnare possent: sed etiam in eo essent qualitates, quarum ratione nõ immeritò per partem post partem, quousq; in totũ putrefactio remoueatur perseueraret; cũ nihil in eo sit, quod notabiliter resistere posset. Ipsa verò pituita, non cõtinentem excitabit febrem, tum quia putrescit in parte determinata, tũ etiam, quia, etsi ratione humiditatis sit satis ad putredinem prona, est tamen in ea frigiditas, cuius ratione quodammodo, sed nõ multum resistit, cum in putrefactione requiratur etiã caliditas: & sic, cum adsit putredinis potissima causa, ipsa scilicet humiditas, nõ multum intermittẽs excitabitur febris; sed, cum deficiat caliditas ratione resistentiæ, quę fit a frigido, non adeo cõtinuo affliget: & sic accessio fiet quotidie. Bilis verò non adeo faciliter putrescit, sed magis resistit, quàm pituita, quia, etsi calida sit, cum tamen habeat siccitatem, ipsius ratione humiditati, qua est putredinis potissima causa, resistere potest: &, cum nõ adeo facile putrescat, vt pituita, inuasio non erit per singulos dies, vt in pituita, sed erit per tertium. At humor melãcholicus, qui frigidus est, & siccus, & per vtrãmq; qualitatem putredinẽ oppugnat, non est mirum, si ad locũ putredinis perueniens, magis resistat, quàm quilibet alius humor, & sic eius accessiones erunt per maiora interualla, & per quartum. Potest

Cõmen. 40.

etiam cum qualitatibus considerari humorum substantia, quæ, si bene consideramus, quamuis ad dictas accessionum varietates quodam modo adiuuet, tamen præcipuè facit, vt accessio citius, vel tardius increscat, & febris citius, aut tardius terminetur: si enim potissima causa, quòd bilis inuadat per tertium, esset, quia, dū putrescit, cito accenditur, & postea cito dissoluitur, & hinc æger cito venit ad infebricitationē, adeò, vt nullum ferè putredinis vestigium remaneat; & sic deficit, quòd possit cito ad putredinem reliquos humores disponere, vt in quotidiana, in qua humores tardè accenduntur, tardè increscit, & viget febris, & in declinatione, vix perfectè declinat; quia semper remanent multa putredinis vestigia; & vapores multi in corporis habitus foraminibus retenti, quæ partem aliā pituitæ ad putredinem disponere possunt, etiam si ex sua natura non adeò faciliter accendatur: si hæc inquā esset potissima causa, ꝙ pituita per singulos dies, & bilis per tertium faciat accessionem, vt præceptor meus Altimarus existimauit; sequeretur, quòd in biliosis continuis non seruaretur idē ordo, qui in intermittentibus: bilis enim ex sua natura facile accenditur, & in febre continua nunquam deficeret, quòd aliā humoris portionem ad putredinem disponere posset; & tamen bilis eandē seruat periodum, siue continuam, siue intermittentē excitet febrē. Et apud me, aliud est dicere, quod facile putrescat, & quod facilè accendatur; bilis enim propter siccitatē difficulter putrescit; sed, cū putrescere incipit, ob eius tenuitatē faciliter accenditur, & postea dissipatur. Pituita econtra propter humiditatē faciliter putrescit, sed, dū putrescit, ob eius crassitiē, & lentorem, difficilè accenditur: & calor ab humiditate ferè suffocatur; & ideò febris, quæ ab eius putredine excitatur, est pigra, & tardi motus, ita, vt rarò perfectè declinet. Et hæc de periodicationis causis dicta sint: & habemus ꝙ per maiora interualla circuitus fiunt ex humore melācholico, per minora ex bile, & per multo minora ex pituita. Sed, quare fiūt per horas statutas, & determinatas, ita, vt bilis inuadat sē per per tertiū, & in hora quadā determinata, sic & alij humores, est impossibile scire. sequitur. n. ad humorū proprietates, & in his, q̄ a proprietate operātur, vt inquit Galenus decimotertio Methodi, sola sufficit experiētia, quia nō possunt aliqua methodo sciri. *Et ex his, quæ mox apparēt, indicia sumūtur.* Hāc Aphorismi partē pro nunc breuiter pertransibimus, & in Cōmēti expositione eā cū Galeno diffusissime explicabimus. Et Hippocrates in hac parte explicat quartū genus eorū, ex quibus præcognoscere licet futurā morbi constitutionē, & futuras accessiones. hoc autem sumitur ex illis symptomatis, & signis, quæ epiphenomena, idest mox apparentia dicuntur; ad differentiam eorum signorū, quæ statim cū morbo apparent, & cū eo a principio inuadunt, quia semper morbū

Cap. 9.

comitantur,

comitantur,&dicuntur signa pathognomonica, idest passionis significatiua, quę fluunt a morbi essentia & eius sequuntur naturã,& ab eo sunt inseparabilia: ad differentiam etiam signorum assidentium, quæ quãdoque a principio inuadunt; quandoque postea superueniunt; quandoque nullo pacto apparent, nec a principio, nec postea: quoniã non sequuntur morbi naturã, nec ab eo sunt inseparabilia: sed, quando apparent, faciunt in morbo differentiam, vt infra dicemus. ab istis omnibus diuersa sunt signa mox apparentia, quæ non a principio in morbis apparent, sed posteà superueniunt. & hæc sunt triplicia: quia vel sunt signa coctionis, & cruditatis, vel signa salutis, & mortis, vel sunt signa crisima, idest decretoria: de quibus omnibus infra. Vult autem Hippocrates, ꝙ ex omnibus his possumus coniectari supra futuram morbi constitutionem; sed præcipuè ex signis coctionis, quæ non solum maiorẽ vim habent, quam signa salutis, & mortis, & quam signa crisima: sed etiam maiorem vim habent ad prædicendam futurã morbi constitutionẽ, quàm omnia prædicta, scilicet ꝙ morbi, anni tempora, & circuituum successiua incrementa, vt habemus primo de crisibus. Sed & ex his, quę mox apparent, dubitaret statim aliquis de hoc loquẽdi modo: debebat enim seruare eundem dicendi modũ, & ordinem, quem primo: &, cum dixisset, Accessiones, & cõstitutiones morbi indicabunt anni tẽpora, & circuituũ successiua incremẽta: debebat subiũgere, vt staret in eadẽ loquendi forma, Et ea, quæ mox apparẽt: ipse verò ab ea recessit, & alia vtitur forma, inquiens, Et ex his, quæ mox apparẽt, indicia sumuntur. Ad hoc dixerũt aliqui, quod vsus est hoc modo loquẽdi, vt declararet, ꝙ non solum ex his, sed etiã ex prædictis, accessionum, & constitutionis præcognitio haberi potest; sicut in illo Aphorismo secundi libri: vbi cibus plus præter naturã ingestus est, hic morbum facit: ostendit autem, & sanatio. Vult Galenus, quòd debet apponi illa coniunctio, Et, vt denotet, quòd nõ solum sanatio illud ostendit, sed etiam multa alia. Vel dicamus, & melius, quod mutauit dicendi formam propter duo: primum, vt denotaret, ꝙ, quamuis, quæ prius dicta sunt, habeant aliquam vim ad futuri vigoris præcognitionẽ, non tamen sufficientem ex illis habemus coniecturam; vt haberi potest ex primo de crisibus: efficitur autem sufficiens, & artificiosa, si illis addatur signum sumptum ex mox apparentibus: & vt demonstraret, quantum ad exquisitam coniecturã præcognoscendi futuram morbi constitutionẽ, hoc signum differt ab aliis, variauit dicendi modum. Secundum, vt exemplum, quod subiungitur, intelligeretur, de hoc vltimo signorum genere, & non de præcedentibus: quod fuisset dubiũ, si eundem semper loquendi modum obseruasset: & ad declarandũ, quomodo mox apparentia faciunt ad futuri vigoris præcognitionẽ, subiungit

Cap. 5. & 9

Aph. 17.

Cap. 5.

iungit exemplum,inquiens,quemadmodum in morbo laterali si statim circa initia sputum appareat,morbũ breuiat: morbus vero lateralis, qui dicitur Græcè pleuritis, est inflãmatio existens in thorace,& propriè in membrana, quæ succingit costas, & cõmunitatem habet cum thoracis cauitate,ita, vt non possit nisi per sputum expurgari,vt docet partis formatio:& hac ratione de eo inquit,Si statim circa initia sputũ appareat. Ad quorum verborũ intellectum est notandum, quòd principium morbi est triplex:quia quandoq; sumitur pro primo insultu;quandoq; pro vno tempore vniuersali, vt contradistinguitur ad augmentum, vigorem,& declinationẽ;quandoq;, & tertio sumitur pro primis tribus diebus,vt Galenus asserit in Cõmento, & primo de crisibus: per Statim,& circa initia ĩ hoc aphorismo nõ oportet intelligere primũ insultũ:quia, vltra, ꝙ repugnat rei naturæ, vt in primo insultu signa coctionis appareãt: esset etiam oppositum illius,quod asserit,quòd sit signum,ex mox apparentibus. Nec etiã per Statim, & circa initia,intelligi potest principiũ, vt est vnum ex temporibus vniuersalibus morbi: hoc enim distinguitur ab aliis per signa cruditatis,& coctionis:est enim principiũ quousque signa manifesta coctionis non apparuerint: & sputum arguit coctionem, & repugnat dicere principium,vt est tempus morbi, & quòd in eo coctionis signa appareant. Quamobrem dicendum est,quòd per Statim,& circa initia, intelligendum est principium pro tota prima accessione; quæ solet perdurare vsque ad tertium diem,& sic sumitur pro primis tribus diebus. Inquit ergo, quòd, si in pleuritide circa primos tres dies apparet sputum,morbus est breuis; sed per sputum oportet intelligere sputum concoctum: quando enim est crudum, nõ sputum, sed sputamen, vt quidam, &, vt alij, sputio dici debet,vt ait Galenus primo de crisibus:si verò sputum non apparet a principio,morbus erit lõgior: signum est enim, quòd materia non adeò cito poterit a natura superari. Sed de his infra. *Et vrinæ, & alui excrementa*. Circa hæc verba est sciendum, quòd signa mox apparentia sunt duplicia:quædam sunt signa propria morbi,in quo apparent:& sic signũ mox apparens,& proprium sumitur ab excremento, quod a parte primo affecta excernitur, adeo ꝙ, considerare sputum in pleuritide, est signum mox apparens, quod est propriũ illius morbi; cùm sputum excernatur a parte affecta: eodem modo considerare vrinam in affectibus iocinoris,& venosi generis,& alui excrementa, in intestinorum,& partium adiacentium affectibus,est considerare signũ mox apparens, & propriũ in illis affectibus. Sunt posteà alia mox apparentia, quæ non sunt illi affectui propria, sed affectibus aliis communia, vt in affectibus thoracis considerare vrinam,& alui excrementa; sic etiam vtrum corpus sit æqualiter calidum, vtrum

Cap. 6. & 7.

Cap. 5.

vtrum benè se habeat ad oblationes: hæc enim sunt bona in omnibus morbis, & eorum opposita sunt mala; de quibus ad longum Hippocrates secundo Prognosticorum. & prædicta distinctio est Galeni primo de crisibus. Et Hippocrates voluit, in adducto exemplo vtraque esse consideranda: propria quidem, quando in pleuritide considerauit sputum: communia vero, quando voluit, vt considerentur etiam vrina, alui excrementa, & sudores, quæ tantam habent vim, vt, iuxta ipsius sententiam, liceat ex illis præcognoscere, non solum, si cito, vel tardè morbus debeat terminari, sed etiam vtrum ad salutẽ, vel ad mortem: vt hinc possit constare, quanto maiorem vim habeant mox apparentia signa, quàm morbi, anni tempora, & circuituum successiua incrementa. Cum verò, quæ hic dicuntur, sint tantum capita eorum, quæ scripsit in libris Prognosticorum, indigent (vt inquit Galenus primo de crisibus) multa perscrutatione, & longo examine: & nos, ne idem pluries repetatur, multa, data opera, tanquam declaranda in Commẽto, prætermittimus. Et, ad propositum redeuntes, dicimus, quòd ex mox apparentibus possumus pręcognoscere futurã morbi cõstitutionem longam, vel breuem: si tarde, vel cito signa coctionis appareant, vel signa lethalia; ex eisdem etiã licet præcognoscere futuras accessiones: quia, cum in augmento accessiones anticipent; &, quanto magis accelerat augmentum, tanto maior fit anticipatio, si apparent signa coctionis, & adeo cito augẽtur, vt cito futurũ morbi vigorem cõiectemur: præcognoscere possumus, ꝙ multũ accelerare debent, & anticipare particulares accessiones: sic ẽt in morbo lethali, si signa lethalia admodũ augentur, multũ augebitur morbus, & accessiones multũ anticipabunt. Et hęc de hoc Aphorismo sint dicta.

Tex. 56.
Cap. 5.

Cap. 6.

Sed circa Galeni Commentum multa sunt consideranda. & nos, vt ordinatim procedamus ad clariorem doctrinam, ante omnia Commentum in duas pręcipuas partes diuidamus: in quarum prima Galenus explicat, quare post præpositos Aphorismos, hunc Hippocrates subiunxit: & declarat huius ad præcedentes continuationem, intentionem, & intentionis causam: in secunda parte singulas Aphorismi partes explicat, quo modo scilicet morbi, anni tempora, circuituum successiua incrementa, vt ea, quæ mox apparent, declarant, & indicant futuram morbi constitutionem, & futuras accessiones. Quo ad primam partem, inquit, quòd, cum præpositum fuerit in præcedentibus ad rectam victus formam instituendam, oportere futurum morbi vigorem propinquum, aut longinquum, præcognoscere, & considerare vires, vtrum possint cum hoc, vel illo victu sufficere vsque ad morbi solutionem; & vltra hæc ad particularem ciborum oblationem, oportere etiam futuras accessiones præcognoscere. Et, quia multi medici existimauerunt,

futuri morbi vigoris, & futurarum accessionum, præcognitionem esse impossibilem: ad hunc remouendum errorem Hippocrates hunc intulit Aphorismum, in quo exhibet methodum, qua illa præcognoscere valeamus. Sed, quoniam prædixerat, necessarium esse considerare etiã vires, & aliquis potuisset dubitare, quare Hippocrates non docuit etiã, quo modo possumus præcognoscere, vtrum vires sint aptæ sufferre, vel non, vsque ad morbi solutionem? Ad hoc respondet Galenus, quod Hippocrates docuit solum modum præcognoscendi futuram morbi cõstitutionem, & accessiones: quia de illis tenuerunt antiqui, quòd nullo pacto præcognosci possunt: de viribus vero nullus antiquorum dubitauit, quòd cognosci, & præcognosci possint: &, si non cognoscuntur exquisitè, (cuiusque enim rei quantitas, nec scribi, nec dici potest,) tamen artificiosa quadam coniectura possumus propè ad veritatem accedere: & inquit Galenus, quòd medicus in primo statim ingressu ad ægrum, potest deprehendere vires ex pulsu, & aliis signis, quę ipse in Prognosticis explicauit. Circa quæ verba, est notandum, quòd relatiuum, Quæ, non debet referri ad omnia præcedentia. etenim Hippocrates partem artis, quæ pertinet ad pulsuum differentias, causas, dignotionem, & præsagitionem, penitus reliquit intactam, vt habemus libro de præcognitione ad Postumum: & ideo, quando dixit Galenus, quòd vires possunt cognosci ex pulsibus, locutus est non ad mentem Hippocratis, sed suam, & maximè, quia in loco allegato asserit, quòd in omnibus secutus est Hippocratis sententiam: & ipse solum addidit, quæ ad pulsuum notitiam attinent. Posteà vero, quando subiungit, *Et aliis*, his debet referri relatiuum, Quæ, vt significet, quæ scilicet alia fuerunt ab Hippocrate in Prognosticis tradita. Sed circa ea, quæ dicta sunt de pulsu, est notandum, quòd Hippocrates pluries in libris suis fecit mentionem de pulsibus: sed vt plurimũ more antiquorum, vtitur nomine Pulsus, in pulsationibus dolorosis, vt Galenus secũdo de locis affectis asserit, & libro quarto de differẽtiis pulsuum: quo loco etiã asserit, quòd antiqui omnem arteriarũ motum magnum, & vehementem, ac manifestũ pulsum appellabãt: & ideo, libro, ꝙ animi mores corporis temperaturã insequantur, exponens sententiã illam Hippocratis, quorum vena in cubito pulsat, hi furiosi sunt, inquit inter alia, ꝙ per venas antiqui intelligebant etiam arterias & quòd nõ omnem motum arteriarum pulsum appellabant: sed solum sensibilem, & vehementẽ: & inquit, quòd Hippocrates in dicta sententia locutus est more antiquorum: sed in rei veritate ipse fuit primus auctor huius cõsuetudinis, vt omnis motus arteriarũ pulsus diceretur: &, quamuis in primo de differentiis pulsuum dixerit, ꝙ Hippocrates nõ omnem motũ arteriarũ pulsum appellabat, est intelligen-

Cap. 12.
Cap. 3.
Cap. 2.
Cap. 8.
Cap. 2.

intelligendum, quò ad ea, quæ in suis libris scripsit, in quibus ferè semper secutus fuit morem loquendi vetustiorem. Sed circa id, quod quæri solet, an Hippocrates pulsum cognouerit, inquit Galenus tertio de crisibus, quòd Hippocrates signa ex pulsibus sumpta non est executus, vel quia pulsum non nouit, vel quia parui momenti existimauit: sed, si cõsideramus, quæ ipsemet Galenus asserit, libro, quòd animi mores corporis temperaturã insequantur, quòd scilicet ipse Hippocrates fuit auctor huius consuetudinis, vt omnis motus arteriarum Pulsus diceretur. Et quæ inquit primo de differentijs pulsuum, quòd Hippocrates primus nomen Pulsus literis prodidit: & quòd artis, quæ est in pulsu, non videtur fuisse ignarus: non tamen hanc artis partem multum elaborauit: sic enim sonat ad verbum Græcus codex: possumus sine dubio affirmare, potius secundam partem, quòd scilicet Hippocrates cognouerit pulsum: sed non exquisitè, & ideò parui momenti existimauit: & hac ratione, signa ab ipso sumpta, non est executus. Et ad horum confirmationem habemus, in libro de alimento, vbi Hippocrates inquit, quod in pulsu debemus considerare consonantiam, & dissonantiam: quod non dixisset, si nullam pulsus habuisset notitiam. Et hæc, quo ad primam partem Commenti: alia enim fuerunt in expositione Aphorismi declarata. Secunda pars subdiuiditur in quatuor partes: cum quatuor sint ea, ex quibus futuri vigoris, & futurarum accessionum habetur præcognitio. in prima parte docet, quomodo morbi faciant ad illorum præcognitionẽ; in secunda, quo modo anni tempora; in tertia, quo modo circuituum successiua incrementa; & in quarta, quo modo ea, quæ mox apparent. Quo ad primam partem inquit, quòd medicus, statim cognita specie, & natura morbi, & ex qua causa proueniat, conijcere potest morbum futurum esse lõgum, vel breuem, & accessiones futuras esse, quotidie, vel per tertium, aut per quartum; quoniã, si morbus fit ex bile, citò terminabitur, & accessiones erunt per tertium: ex atra bile morbus erit longus, & accessiones per quartum. Sed, quia hoc præsupponit, vt bene dignoscatur morbi natura, qua non cognita, nihil poterit medicus dicere de futura morbi constitutione, & accessionibus: ideò Galenus in Commento inquit, quòd ad perfectam huius Aphorismi intelligentiam, declarauit fusissimè in secũdo de crisibus, quo modo medicus possit etiam in prima die vniuscuiusque febris naturam perfectè dignoscere: quod hic prętermisit, ne idẽ pluries inculcare videretur. Nos aũt, vt huic nostrę expositioni nihil, quo ad fieri põt, desideretur, aliqua ex his, quę ibi fuerũt declarata, in mediũ adducemus: &, loquẽdo de febribus, explicabimus, qũo ex ipsa rei natura, põt medicus vniuscuiusq; febris naturã à principio dignoscere: & maximè, quia sẽper febris (vt habemus secũdo de crisibus)

Cap. vlt.

Loco alleg.

sibus) affert secũ indicia etiã humoris, ex quo genita est: quia, si volumus cognoscere solũ febrẽ in se, quatenus febris est, dignoscitur ex sola caliditate in toto corpore præter naturam aucta, & præcipuè in corde, & ex aucto cordis vsu, quem ostẽdit pulsus celeritas, & respiratio maior. Quã do vero dignoscere cupimus febrem tertianam, quotidianam, aut quartanam: nihil aliud quærimus, nisi cognoscere febrem, quæ fit ex bile, vel pituita, vel melancholia: & illa signa, quæ ostendunt esse febrem tertianam, illamet ostendunt fieri ex bile. Vt hinc clarè patere possit, aberrasse Argenterium, qui vult, quòd in cognitione morborũ debemus sumere signa ex causis, etiam internis: quod ridiculum est: cum nihil aliud cognoscere intendamus, nisi morbum, ut fit ex hac, vel illa causa: & sic, si causa est ignota, & quæritur, quomodo erit possibile ex ea signum sumere? Cum igitur specialium, & determinatarum febrium signa ostendant etiam humores, ex quibus febres genitæ sunt, multo facilius erit febres dignoscere; si vniuscuiusque humoris natura fuerit exquisitè, & optimè cognita: hæc enim est via regia, & hac methodo in cuiuslibet rei inuentione debemus procedere, sumendo semper, ab ipsius rei quæsitæ natura, inuentionis principium. Quamobrem, si volumus tertianam febrem cognoscere, & iam nota sit febris natura, vt febris est, quæ, vt diximus, nihil aliud est, nisi aucta quædam caliditas preter naturam in corde, & toto corpore, & faciliter ex prius dictis signis dignoscitur, sed desideramus cognoscere febrem tertianam, quæ fit ex bile, & ideo oportet bilis naturam dignoscere: hæc autem, vt habemus primo, & secundo de temperamentis, est omnium humorum calidissima, substantiæ tenuis, & fluxibilis, acris, ac mordax, & rationi cõsonum est, quòd, dum putrescit, acquirat maiorem caliditatem, & acrimoniam, & ex sua natura est saporis amari, & coloris crocei: si ergo ex tali humore excitatur febris, & humor putrescit extra vasa, ita, vt possit per corporis habitum moueri, non est mirum, si maximus excitabitur rigor. asserit enim Galenus secundo de symptomatum causis, quòd, ad excitandum rigorem, vim habet multam substantia acris, mordax, & tenuis: adeò, vt possit per partes musculosas, & sensibiles permeare, & sua acrimonia partes mordicare: non est etiam mirum, si accessio cito terminatur, & per sudorem: humor enim est tenuissimus, & nullo impedimento retentus; sed extra vasa putrescens, suomet impetu expellitur, & penetrans per cutis poros, per sudorem educitur: &, cum moueatur extra vasa per totum corpus, nõ est mirum, si aliqua eius portio, ad ventriculum perueniens, sua acrimonia os eius molestat, & cordis morsum excitat: nec etiam est mirum, si euomuntur flaua, & biliosa: quoniam bilis redundat, quæ flaui est coloris: nec est mirum, si excrementa sunt biliosa, & vrinæ flauæ, vel subruffæ: se-

Cap. 2.

quuntur

quūtur enim humoris peccantis naturam,vt dictum est. Circa actiones, quæ læduntur, non etiam est mirū,si accidit capitis dolor: humor enim peccans est sua natura tenuis, calidus, & siccus; ita, vt facilè possit efferuescere, sursumque petere, & sua acrimonia capitis partes erodendo, dolorem excitare: non est etiam mirum, si adsunt vigiliæ: quoniam bilis calefacit,& exiccat: quæ faciunt ad vigiliæ generationem, sicut frigiditas, & humiditas ad somnum: nec est mirum, si quandoque accidit alienatio, quia cerebrum,in aliquibus debile existens, faciliter potest a vaporibus multis ab acribus humoribus eleuatis, immodice calefieri, & exiccari;& vltra hoc,spiritus animales,qui sunt admodū tenues, possunt,ab illis eleuatis, moueri, & turbari: & sic introducitur alienatio: mirum etiam non est,si pulsus fit magnus,velox,& frequens; cum vltra naturam febris humor,qui ipsam gignit,est calidissimus,& siccus, & ex putredine maiorem acquirit caliditatem, & per consequēs cor multum calefaciens mirum in modum auget ipsius vsum;& ideò natura,cum nō possit magnitudine ad refrigerationem supplere, addit in velocitatē; & cum nec hoc sufficiat, addit in crebritate, & frequentia: nec etiam est mirum,si magna excitatur sitis,quę nihil aliud est,nisi appetitus frigidi, & humidi,cum in hac febre vigeat caliditas, & siccitas,aderit frigidi, & humidi multa necessitas: erit etiam in hac febre inappetentia,quia fames est appetitus calidi,& sicci: & ideo in hac febre ventriculus calefactus,& exiccatus non appetet: sicut enim ad famem excitandam facit frigiditas, ita caliditas ad inappetentiam, vt habemus primo de symptomatum causis. *Cap. 5.* Idem etiam dicere licet in illis symptomatis, quæ affectus corporis nominantur: quoniam non est mirum, si in patiente tertianam color totius,& præcipuè partis albę oculorum,inclinat ad flauū, qualis color ictericorum: si calor ad tactū est mordax, & acris, si lingua est flaua,& in ea sentitur amaritudo: febris enim hæc fit ex bile,quæ est coloris flaui,saporis amari,& acris,ac mordax. Vt iam patere possit, ꝙ, si benè fuerit perpensa, & cognita humoris facientis febrem natura, a priori (vt sic dicam) demonstratione propter quid scire licet,quæ symptomata ad illum humorem putrescentem, & excitantem febrem succedere possunt:& sic facile a posteriori, quando signa in ægrotantibus apparent,quæ ad hunc,vel illum humorem succedere debent, cognoscere poterimus, quis humor redundet, & per consequens, quæ sit species febris. Ad exquisitiorem etiam coniecturam, possumus quædam alia considerare, vt in præposita febre, quòd æger sit in ætate iuuentutis, quòd ægrotet tempore æstiuo, in regione calida,& sicca,quòd consuetus sit similes morbos pati, quòd nunc etiam alium morbum ex eodem humore genitum patiatur, vt erisipelas, quòd hic etiam morbus populariter

grasse-

grassetur: si, his omnibus concurrentibus, etiam a primo die quis non cognouerit, esse tertianam, erit omnino asinus: multo magis si præcesserunt victus calidus, & siccus, curæ, mærores, vitæ industria bilim aggregans, & alia huiusmodi. Et, cum ex dictis innotescat morbi species, q sit tertiana, statim ex hoc haberi potest, q citò terminabitur, & q accessiones erunt per tertium. Eodē modo ex ipsa rei natura principium inquisitionis sumendo, poterit medicus statim a principio cognoscere febrem quotidianā: quia, quamuis febris, vt febris, est intemperies calida cordis, & totius corporis: tamen, qñ fit ex pituitoso humore, semper secū affert signa humoris, ex quo genita est; qm, cum pituita sit humor frigidus, & humidus, crassus & lētus, siue viscidus, coloris albi, & saporis iuxta eius differentiā, vel insipidi, vel dulcis, vel acidi, vel salsi: multa apparebunt signa, quæ talē attestātur humorē. Et primò in accessionis principio apparet refrigeratio multa, quæ difficulter excalfit: humor enim vltra frigiditatē, habet crassitiē, & lentorē: & ideò est naturæ actionibus rebellis, & nō facile superatur: excitatur etiā vltra frigiditatē, qñq; rigor paruus, vel, vt melius dicā, horror, qui inter frigiditatē, & rigorem medius est: & hoc euenit, qñ pituita putrescēs est acris, & mordax; vt qñ est salsa, vel acida: tunc enim, si mouetur per partes, mordicat; & cū non possit, ob eius crassitiem, & lentorem, ad intima penetrare, non poterit magnū excitare rigorem, sed solū horrorem, vt dictū est. Et in hac febre non solum principiū accessionis est cū frigiditate, quæ longo tpe perdurat, sed oīa alia accessionis tempora sunt lōga, ita, vt, quamuis ex sua natura, (cū fiat ex humore putrescēte extra venas) deberet venire ad verā infebricitationem; tamen vix, & ferè nūquā ad illā deuenit; adeo humor est impactus, & corporis meatibus adhæret; &, discurrendo per ea, quæ apparent in toto febris tpe, quo ad actiones læsas; in animalibus quidem apparet segnities, & obliuio, sic etiā visus tenebrositas, & in auribus sonitus quidam; quæ oīa sequuntur humoris naturā: quia, sicut siccitas facit ad perspicacitatem, & sensuū perfectionem, ita humiditas ad obliuionē, & sensuū hebetudinem, vt habemus secundo artis medicinalis. Et nō est mirum, si, vbi abundat frigiditas, & humiditas, adest caloris natiui imbecillitas, cuius ratione generantur multi flatus, & sic sibilus, & sonitus in auribus: non est etiā mirū, si hac febre laborantes patiuntur inclinationem ad somnū, & profundū: ex frigido enim, & humido profundus somnus excitatur, & prouenit. Parum etiam isti curant de agendis, & sunt secordes, & tardi ad iram, quia vapores frigidi, & humidi ad cor eleuati ipsum refrigerāt, & eius caliditatem inefficacem reddunt: in hac etiā febre pulsus est paruus; tū propter paucam euentationis necessitatem, tū propter caloris imbecillitatem: est etiā respectu pulsus aliarum febrium, & præcipue biliosarum

Text. 23. & 24.

ſarum tardus, & rarus, propter eaſdem cauſas. Quoad actiones naturales, adeſt cibi faſtidium, propter humoris frigiditatem, & humiditatem, quæ obtundunt oris ventriculi ſenſum: & hac etiam ratione adeſt nauſea, & quandoque etiam vomitus, & pauca, aut nulla ſitis: cum enim in ventriculo ſit multa crudorum humorum copia, ob nimiam eorum frigiditatem, nec ſitis excitatur, nec fames: &, quamuis, ratione qualitatum prædominantium, deberet excitari fames, tamen, quia omnis immodica intemperies operationem exoluit, humiditas multa frigiditati permiſta obtundit ſenſum, & inappetētiam cauſatur, vt dictũ eſt. Et hac ẽt ratione calor, à nimia humiditate obtuſus, & veluti ſuffocatus, non poteſt perfectè concoquere: inde multæ cruditates, inde rugitus, & flatuũ copia. Quo ad ea, quæ excernuntur, pauca erunt excrementa per aluum, quia feces pituitæ craſſæ, & viſcidæ, permiſtæ, impediuntur, quo minus poſſint excerni: & pituitæ copia obtundit etiam biliosi excrementi acrimoniam, quod per porum felleum ad inteſtina demãdatur, vt naturam ad excremẽtorum expulſionem irritet. Vrina etiam ab initio erit tenuis, & alba; quia tunc craſſa, & lenta materia non poteſt per illam regionẽ euacuari: in morbi verò progreſſu, humore iam quodammodo attenuato, vrinæ apparent craſſiores, cum aliquid de eo educatur: ſic etiam nõ a principio, ſed circa finem augmenti, & circa vigorem apparet ſudor: prius enim materia erat craſſa, & poſtea temporis progreſſu attenuatur; & ob pituitæ in toto corpore redundantiam, aderunt etiam multæ per nares excretiones. Circa verò affectus corporis, color totius verget ad album ob pituitæ naturam: calor primo tactu erit mitis, poſtea mordax: quia, etſi, ob pituitæ putredinem, calor deberet eſſe ſtatim acris, tamen obtunditur a multa humiditate: & ſic non cognoſcitur, niſi manus in tactu multum perſeuerauerit. Erit etiam in toto corporis habitu tumefactio quædam, ac veluti cachexia ob multam pituitam, quæ a calore attennata, cum peruenerit ad cutim, non poteſt exire, & tumorem cauſatur. Et ſic ſigna febris faciunt etiam innoteſcere humorem, ex quo genita eſt: &, ſi hæc ſequuntur naturã pituitæ, & a priori ſcire licet, quod hic humor talia poteſt excitare ſymptomata: faciliimum erit, illis apparentibus, ad pituitoſi humoris, qui eſt eorum cauſa, notitiam peruenire; eo magis, ſi æger fuerit admodum ſenex, vel puer, & crapulis deditus, & conſuetus affici morbis ex pituita, vt œdemate; ſitque in regiõne frigida, & humida, præceſſitque victus frigidus, & humidus, & vita ſedentaria, præcipuè poſt conſuetum exercitium derelictum, & ſimilia. Et, ſi, vltra hæc, quotidiana febris populariter graſſetur, & medicus eam non dignouerit, erit non ſolum Theſſalicus aſinus, ſed lapis. Quòd ſi febris nõ ſit ſimplex, nec ex vno gignatur humore, ſed ex pituitoſo, & bilioſo ſimul,

mul, afferet etiam signa composita, quæ partim hunc, partim illum humorem attestabuntur: quoniam signa nec erunt sinceræ pituitæ, nec sinceræ bilis; sed sapient quodammodo naturam vtriusque. Et, vt circa hoc aliquid doceatur, accipiam pro exemplo semitertianam, de qua meminit Galenus in Commento: ista enim est febris composita ex tertiana, & quotidiana: & non, vt dicebat Agathinus, est tertiana notha producta, vt habemus secundo de differentijs febrium: sed eius compositio non est per humorum confusionem, sed per complicationem. Ad quorum verborum intellectum, est sciendum, quòd morbi quandoque inter se componuntur per confusionem, quandoque per complicationem: componuntur per confusionem, quando vel humores, qui eos generant, ad vnam veniunt naturam, vt quando bilis permiscetur pituitæ, & vna efficitur massa, quæ postea putrescens facit febrem; febris illa in se est simplex: quia prouenit a putredine vnius massæ, in qua humores misti venerunt ad vnam formam: sed in ea est in veritate plurium humorum simul confusorum compositio, ita, vt massa nec sit solum bilis, nec solum pituita, sed quid mistum: & febris ex ea genita nec signa bilis putrefactæ, nec pituitæ præ se feret; sed mista, quæ quodammodo sapiant naturam vtriusque. Quandoque verò morbi componuntur per confusionem; quia sunt plures morbi in eadem parte; vt, quando in oculo in eadem tunica adest inflammatio, & corrosio, & aliquis alius affectus, vt habemus libro de differentijs morborum. Per complicationem vero componuntur morbi, quando sunt plures, sed in partibus diuersis: vt, quando vnus affectus est in oculo, & alius in alia parte. Et eodem modo efficitur complicatio ratione causæ, vt, quando vnus humor peccat in vna parte, & alius in alia, etiam si videantur concurrere, & concurrant ad vnius morbi generationem, vt accidit in semitertiana, in qua humor pituitosus putrescit intra vasa, & humor biliosus extra: quia, cum istæ febres possint complicari quatuor modis, vt tertiana intermittens, cum quotidiana intermittente, & hęc non erit semitertiana, quia, teste Hippocrate primo Epidemion, semitertiana est febris continua, & acuta; &, si fieret ex duabus intermittentibus, non esset continua: vt tertiana continua cum quotidiana continua: & tunc nec excitabitur semitertiana; quia hæc, ex loco allegato, est febris horrifica, in qua fiunt plures horroris repetitiones: quod non esset, si humores putrescerent intra vasa, vt tertiana continua, & quotidiana intermittens: & tunc nec omnino excitabitur semitertiana, pituita enim putrescens extra vasa excitaret solum frigus, non horrorem. Et ideò vult Galenus secundo de differentijs febrium, quòd semitertiana fiat ex quotidiana continua, & tertiana intermittente: sic enim habebit a quotidiana, quòd sit cõtinua, & ab eadem,

Cap. 8.

Cap. vlti.

Cõment. 1. Tex.

Cap. 8.

dem, iuncta cum tertiana, ꝙ sit acuta: habebit enim velocitatẽ in motu, ratione bilis, & ratione, qua est continua, est periculosa, & sic erit acuta. Quòd autem sit horrifica, nec solum habet à bile, nec solum a pituita; hęc enim excitaret frigus, & illa rigorem: sed prouenit ab vtroque: quia caliditas, & acrimonia bilis obtunditur ab ipsa pituita; & ideò non excitabit rigorem: pituita verò calefit, & attenuatur a bile, & ideo non excitabit frigus, sed excitabitur quoddam medium, & est horror: qui est paruus rigor. Notandum tamen, quòd febris hæc non dicitur horrifica, quia incipit cum horrore: sic enim posset fieri a sola pituita, si fuerit salsa: sed dicitur horrifica, quia pluries habet horroris repetitiones, siue reduplicationes, vt bis, ter, & quater: transacto enim horrore, videtur, vincente caliditate, febris increscere, & postea iterum pugnante frigiditate reuertitur horror: & vsque ad vigorem fit ascensus huiusmodi inæqualis: nunc caliditate, nunc frigiditate superante. Est etiam notandum, ꝙ, quamuis semitertiana sit composita per humorum, & morborum complicationem, non confusionem: tamen nunquam excitabitur, nisi accessiones confundantur, ita, vt simul inuadat accessio tertianæ, & quotidianæ, etsi in diuersis locis humores putrescant. Et ideò semitertiana, quandoque statim a principio inuadit, quandoque verò in diuersis horis, inuadentibus tertiana, & quotidiana; tandem, per vnius anticipationem, & postpositionem alterius, accessiones simul inuadunt, & confundũtur, & tunc fit semitertiana: etenim prius erat quidem complicata quotidiana continua, cum tertiana intermittente: sed non erat semitertiana: deficiebant enim signa, quæ ipsam characterizant: quia nõ erat febris horrifica; cum talis fieri non possit, nisi accessiones confundantur, & simul inuadant. His perpensis, & benè intellectis, facillimũ erit, percipere, quæ de hac febre Galenus asserit secundo de differentijs febrium, & quæ libro secundo de crisibus: sic etiam, quæ scripsit primo Epidemion: quo loco etiam asserit, quòd, cum quotidiana inuadat quotidie, & tertiana alternis diebus, de necessitate in semitertiana in vna die erit accessio tum tertianæ, tum quotidianæ, quę simul iunctæ horrificam faciunt febrem; in alia verò die, accessio erit remissior: quoniam erit solius quotidianæ. Et sic, obseruatis accessionum horis, pręcognoscere licet, qua die maior, & qua die minor futura est accessio: &, cognita febris huius natura, licet etiam præcognoscere futuram morbi constitutionem: hæc enim nõ erit adeo breuis vt tertiana; quia cum bile redundat etiam pituita, quę longo tempore indiget ad sui concoctionem, & expulsionem: nec erit longa, vt quotidiana; quia cum pituita abundat bilis, quæ ipsam excalfacit, quodã modo attenuat, & ad caloris actionem reddit paratiorem. Et dicitur semitertiana, vt inquit Galenus primo Epidemion, vt semiasinus,

Cap. 7 et 8.
Cap. 8.
Commẽ. 1.
Cõmen. 22. & Cõm. 2.
Cõmen. 23.
Commẽ. 3.
Commen. 3

nus, semideus, & huiusmodi : & solet dici in illis, in quibus dimidium illius naturæ attribuere intendimus: & sic dicimus semimortuum, semiuocalem: & subiungit, quòd nomen semitertianæ male attribuitur dictæ febri; quia non est dimidia, respectu tertianæ, nec quo ad vim, nec quo ad symptomata: sed est tertiana longe deterior: ita, vt tertiana potius videatur huius dimidia, quam hæc illius: nisi dicamus, (vt ipse addit) q, cum tertiana habeat accessiones per tertium, & veniat ad integritatem, alterum istorum habet semitertiana; & altero caret. inuadit enim per tertium, sed non venit ad integritatem. & vltra hoc differt semitertiana ab illa, quia incipit cum horrore, & tertiana cum rigore, & habet diem intermedium integrum, & terminatur cum sudore, quæ non apparent in semitertiana. Et hæc de hac febre : quæ si benè perpendantur, considerata rei natura, medicus poterit cognoscere febris causam & speciem: hęc enim nō incipit cum rigore, vt tertiana, nec, vt in illa, cito terminatur accessio, & cum sudore, & est continua : ex altera parte non incipit cum refrigeratione, vt quotidiana; nec sinè aliqua specie typi, vt omnes continuæ : est acuta, quod quotidianæ non competit; est horrifica, & plures habet horroris repetitiones, quod nec soli pituitæ, nec soli bili referri potest: sed hæc omnia accidunt, quia mistis humoribus, media quædā, & mista accidunt signa : & ideò in hac febre non erit tanta sitis, vt in tertiana; nec tanta sitis carentia, vt in quotidiana. Eodem modo circa alia discurrendo, inueniemus, verum esse, quod dicebat Galenus, quòd semper febris, siue sit simplex, siue composita, secum affert signa humoris, ex quo genita est, siue vnus sit humor, siue plures. Et, febris cognita natura, poterit postea medicus præcognoscere futuram morbi constitutionem, & futuras accessiones : quia, quotidiana febre cognita, cum causa sit pituita crassa, & viscida, quę multo tempore indiget ad sui attenuationem, concoctionem, & expulsionem, statim indicabit, morbum esse diuturnū: & accessiones futuras esse quotidie. In semitertiana verò, vt prius dictū est, ob duorum humorum permistionem, morbus non erit diuturnus, vt quotidiana; nec breuis, vt tertiana : & accessiones alternis diebus erunt maiores; cum concurrant duæ accessiones simul : in die intermedia accessio erit remissior; quia est solius quotidianæ. Et hæc, pro exemplo, tā de febribus simplicibus, quam compositis, dicta sint. Sed, antequam ad alia progrediamur, quædam, quæ in hac Commenti parte sunt difficilia, explicare intendimus. Et primo Galenus inter febres diuturnas, enumerat typhodem quam succedentem interpretatur Leonicenus, & Fumantem interpretatur Cenomanus : innuentes per hęc, quòd sit febris quædam, quæ multam habet humiditatem: & per consequens eius caliditas non admodum præualet, cum a nimia humiditate ferè extinguatur : &

Galenus

Galenus libello cōtra Lycum, inquit, febrem typhodem, vel elodem esse febrē, in qua ægri semper sudant, & à sudore non leuantur: quamuis velint aliqui, ꝙ illa verba sint intelligenda potius de febre elode: inquiunt enim, febrē typhodem esse humidā, sed fumosam, & vaporosam: &, quāuis in ea sint multi vapores, non abundant tn̄ sudores: vt in febre elode: & hoc confirmāt, tū ex etymologia vocabuli: quia dicta est à verbo typhō, idest effumo: tū ēt ex Galeno, qui septimo Aphorismorum numerat febrē typhodem distinctā à febre elode. Sed quomodocunque sumatur, parū refert: cū Galenus libro contra Lycum fateatur, vel esse easdē, vel parum inter se differre. Notandū est etiam, circa ea verba, in Cōmento, Et morbo quidem laterali, & phrenitidi, magna ex parte per tertium accessiones fiunt. suppurationibus autem, quæ ventri eueniunt, aut epati, & tabi quotidie, & magis ad noctem. In quibus primo est memoriæ reuocandum, quod supra ex Galeno diximus ex secundo de differentijs febrium: & est, quòd in inflammationibus, etsi fiant à sanguine, accessiones fieri solent per tertium: & hoc accidit, quia in parte inflāmata sanguis efferuescit, & vertitur in naturam bilis, & ideò in morbo laterali seruatur vt plurimum talis accessionum figura: sic etiam, & multo magis in phrenitide: hæc enim dicitur inflammatio largo modo, quia propriè est erysipelas; cum fiat ex bile vel pallida, vel flaua, vel atra: & ideò seruabit motum bilis. (*Suppurationibus autem.*) Circa hæc est animaduertendus Græcus codex: &, si benè considerabimus, non loquitur Galenus de suppurationibus ventriculi, & iocinoris: sed vniuersaliter, de omnibus earum partium affectibus, & postea separatim de suppuratis, & tabidis: quod optimè animaduertit Cenomanus: & ideo locum sic interpretatur. ijs verò, qui ventre male affecto, & epate, morbi committuntur, item empyemati, & tabi quotidie, magisque sub nocte. Sed nos videamus, quare in istis accessiones fiunt quotidie, & magis ad noctem: & primò, quomodo hoc verificatur in empyematicis, & tabidis, deinde in alijs. Dicimus, quòd empyematici, siue suppurati, vel sunt tabidi, vel parati ad tabem, afferente Hippocrate quinto aphorismorum, quòd, quicunque à morbo laterali suppurantur, si in quadraginta diebus purgantur, sani fiunt: si verò non, in ptisim, idest tabem transeunt: & idem Hippocrates secundo Prognosticorum scriptum reliquit, quòd tabidi, & suppurati interdiu leuiter afficiuntur, noctu verò plurimum vexantur: & Galenus in Commento, volens rationem reddere, inquit, quòd, cum isti patiantur febrem hecticam, non ratione affectionis, in nocte magis, quam in die affliguntur, cum illa sit vniformis, & perpetua: sed illud est per accidens: etenim, cum in istis caliditas præter naturam sit habituata, & radicata in partibus

Circa prin.

Cōmen. 41.

Cap. 3.

Apho. 15.

Tex. 60.

solidioribus; illud idem dictis partibus accidit à potu,& cibo quod accidit in calce superinfusa aqua: Et, sicut in calce, superinfusa aqua, accenditur caliditas,ita in hecticis,& tabidis,superueniente cibi, & potus humiditate,excandescit caliditas, quæ est in membris fixa, & radicata: & efficitur quædam veluti accessio, vt etiam scripserat primo de differētijs febrium: &,quia non statim, assumpto alimento, humiditas potest ad partes peruenire, ideò inquit, quòd illa excalfactio fit, vna, vel duabus horis ab assumpto cibo,& potu: & ponit hoc inter febris hecticæ signa pathognomonica.Et nos,antequam explicemus,quare magis in nocte, quā in die,illud accidat; aliqua dicemus circa adductum exemplū, & maximè, quia stimulus medicorum Auerroes, libro quarto sui Colliget,in hoc Galenum reprehendit.inquiens, quòd causa huius excalefactionis,à Galeno prius, & postea ab alijs medicis assignata,est fabula: quia non potest inter membrū nutriendum,& alimentū, esse tanta contrarietas,quanta est inter calcem,& aquā:& ideò, cum in calce irritatio illa fiat per aduentū contrarij, non potest eadē ratione per aduentū alimenti fieri in membris.Sed ipse in hoc,nihil habet, meo iudicio, contra Galenū; quia, quòd,assumpto cibo,in hecticis fiat superexcalefactio, vt in calce superinfusa aqua, est clarū, & quotidiana experiētia comprobatur: & hoc sufficit pro Galeno,siue ex eadem causa in vtraque illud accidat,siue non: & maximè,quia ipsemet primo de differentijs febrium, cum dixerit,quòd similitudo adest inter calefactionem, quæ hecticis accidit post assumptum cibū,& calefactionē,quę accidit in calce superinfusa aqua:subiungit,Quæ verò sit huius euentus causa, inquirant philosophiæ studiosi: & sic non potuit loqui modestius: & nō potuit huius stimuli caninos dentes euitare. Sed, si intimius res consideramus, adhuc adest in eā similitudo: nā tunc,superueniente humore, caliditas efferuescit, qñ in sicco,& arido fundatur: & ideò, sicut in calce,in qua viget cū multa siccitate caliditas, sequitur,superueniente humido,irritatio; ita in febre hectica,cū partes sint arefactæ,& caliditas sit fundata in sicco, superueniente humido,etiā excandescere debet: nec etiā deficit cōtrarietas:quia alimentum semper,quousq; fuerit assimilatum, est contrariū,& per assimilationē tandem efficitur simile; & talis cōtrarietas manifestatur magis in hecticis,quia partes nutriendæ sunt arefactæ;& nutrimētū superueniens est actu,& potestate humidū,quatenus est nutrimentū. Et, ꝙ hæc sit vera causa,& ratio,confirmatur ex eo,quòd ipse, volens aliam assignare,adducit rationem fatuā; & simul, & semel vult rationem reddere,quare excalfactio a cibo fit in hecticis,& nō in putridis; & inquit, quòd,existente in hecticis calefactione in membris solidis, superueniēs alimentum ad partes inflammatas, ipsum etiam alimentum excalfit, & efferuescit,

Cap. 9.

Quare in hecticis fit superexcalfactio à cibo, et magis in nocte.

Cap. 33.

Loco alleg.

efferuescit, & sic sequitur illa exacerbatio, quæ non accidit in putridis; quia in illis caliditas non est in membris radicata, quod minimè verum est: quia caliditas illa non sequitur ratione caliditatis fientis, vel factæ, sed ratione, qua fundata est in sicco, & arido: vnde, si acceperis aliquod calidum, quod habeat humidum coniunctum, si aliquod humidum, vel aquam super infundas, non sequitur excalfactio, vt in calce; & ideò, etiã quòd caliditas fundetur in membris, & sit facta; si non fundatur in arido, ita, vt membra sint arefacta, & exiccata, non sequitur dicta super excalfactio per aduentum humidi. Quod videre licet in omnibus alijs febribus, in quibus, vt infra demonstrabimus, semper caliditas est fundata in membris; quamuis non sit semper habituata: &, superueniente cibo, non fit illa excalfactio, quia membra, in quibus fundatur caliditas, non sunt arefacta, & exiccata. Super excalfactio etiam illa, quæ à cibo apparet in hecticis, non sequitur ad nutrimentum, quatenus nutrire debet, sed ratione qua est actu humidum: & sic partes exiccatas irrigãdo, caliditatem excitat: veluti in calce, non fit illa irritatio, vt calci assimiletur aqua, & ex ea augeatur, sed irritatur à contrario superueniente: & sic absque dubio videtur, quòd verum sit Galeni exemplum, etiam quo ad similitudinem causæ. Sed, si à cibo assumpto accidit illa superexcalfactio, deberet sequi indifferenter, siue cibus in die, siue in nocte assumatur: & ideò videtur dubium, quod Hippocrates, & Galenus asserunt, scilicet, quòd isti affliguntur magis in nocte, quã in die. Aliqui respondẽt, quòd Hippocrates illud asseruit, quia antiquiores (vt habemus secũdo de ratione victus in acutis) non omnes prandebant, quia illi, qui semel in die comedebant, cenabant, & non prandebant; & sic cena erat omnibus communis, prandium verò aliquibus: cum ergo omnibus cena esset consueta, & superexcalfactio, quæ ad cenã succedit, est in nocte: ideò dixit, quòd afflictio sit magis ad noctẽ. Quæ responsio nõ placet, quia Hippocrates eo loco non negat, ꝙ exacerbatio interdiu etiã fiat, sed magis in nocte: &, cũ non fiat, nisi cibo assumpto, licet coniectari, ꝙ ex eius sñia, etiã si assumatur in mane, & in sero, excalfactio sequitur magis ad cibũ vespertinũ, quam ad matutinũ. Præterea, aliud est loqui de victu ægrotãtiũ, aliud de victu sanorũ: vnde, etsi supponatur verũ, ꝙ antiqui vt plurimum solum cenabant, tñ hoc non debebat, nec poterat seruari in omnibus morbis, & præcipuè in febre hectica. habemus enim infra, ꝙ, quando defectus est multus, & virtus est debilis, ratione multi defectus debemus multum nutrire: sed virtus debilis non potest multa simul conficere: Et ideò, Galeni præcepto, debemus nutrire parum, & sæpe, vt virtus possit alimentum concoquere, & ex multiplicatis vicibus defectui suppleamus: &, si hoc est verum, in febre hectica non licet semel in die

Tex. 21. *Apho. 17.* *Eodẽ loco.*

nutrire, etiam si corpus sic tempore sanitatis fuerit consuetum; cum in ea defectus sit multus, & virtus imbecilla. Et ideo dicta positio non est acceptãda; & melius est (meo iudicio) cũ Galeno, in illius loci expositione dicere, ꝙ in nocte hectici, & tabidi affligũtur magis; quia in nocte iugiter crescit, & augetur caliditas: crescit enim non solum superueniente ab assumpto alimento excalfactione, sed etiã quia eo tempore, vt perfectiores fiant coctiones, calidũ concentratur ad intra. Et vltra hæc potest addi alia causa ex Galeno secundo Aphorismorum, vbi exponens illum Aprorismum, Quibus crisis fit, his nox præcedens mala, inquit, quòd si crisis futura in die, molestia præcedit in nocte; si crisis futura est in nocte, molestia præcedit in die: sed hæc molestia noctu fit manifestior: quoniam hoc tempore dormire consueuimus, & sic, somnis a turbatione interruptis, clarius molestia illa percipitur, licet similis quandoque efficiatur in die. Eadem ratione dicere licet in hecticis, & tabidis, quòd, quamuis similis quodammodo in die fiat excalfactio, tamen non sentitur, vt in nocte, quæ somno, & quieti dedita est. Possumus etiam cum recentioribus addere, quòd, cum in die humana cogitatio circa plura versetur, & cum amicis & familiaribus confabuletur æger: perturbatio etiam, si fiat, non adeo sentitur: in nocte verò, vltra quòd calidum concentratur ad intra, vltra quòd tempus est somno, & quieti dicatũ, adest etiam, quòd, cum deficiat aliorum consuetudo, & ad alia animus non distrahatur, melius sui corporis noxam percipit, & dictam excalfactionem, & molestiam exquisitius sentit. Et sic tabidi, & hectici affliguntur quotidie, & magis ad noctem; non ꝙ in illis fiant veræ accessiones, sed quia fiunt illæ exarcebationes, quæ accessionibus sunt admodũ similes: vt habemus primo de differentiis febrium. Sed videamus, quo modo illud accidat in aliis affectibus a Galeno enumeratis: & iam diximus, quòd in interpretatione Leoniceni, est magnus error in verbis, vbi subiungit, Et in supputationibus ventriculi, & iocinoris: quia, vt bene animaduertit Cenomanus, Galenus loquitur de omnibus affectibus uentriculi, & iocinoris; & postea separatim de empyematicis, & suppuratis: vt diximus patere ex Græco codice. Sed, quare in ventriculi, & iocinoris affectibus illa exacerbatio a cibo accidat, est alia causa pulcherrima: & est, quòd, sicut in hecticis a cibo ob impressam in membris caliditatem, fit quædam, superueniente cibi humiditate, exacerbatio, ita, affecto ventriculo a cibo, maxima sequitur molestia; quia statim cibus peruenit ad partem affectam, & ipsam grauat: sic etiam, affecto iocinore in alimenti distributione, omnia exacerbantur: transit enim per partem affectam. Et hac ratione dicebat Galenus, decimotertio Methodi, quòd circa victum affectuum ventriculi, &

Cõmen. 13.

Cap. 9.

Cap. 13.

iocinoris maior est habenda diligentia, quam circa affectus partium lon ginquarũ à ventriculo; quia in istis semper ab assumpto alimento sequitur molestia, & noxa, vt dictũ est, & magis ad noctem, ob prius dictas causas. Et Galenus, cũ in Commento declarasset, quõ morbi indicant futurã morbi constitutionem, & futuras accessiones, sequitur, Quo modo anni tempora, & quo modo circuituũ successiua incrementa faciant ad idem. Sed, quia, quæ attinet ad hæc, fuerũt in Aphorismi expositione exquisitè pertractata, ideò ad illã Commenti partem accedamus, in qua declarat, quo modo mox apparentia indicant futurã morbi constitutionem: quo loco, vt explicaret, quid sit intelligendum per signa mox apparentia, quę Græcè Epiphenomena appellantur, inquit, quòd signa omnia sunt in triplici differentia: quia quædam sunt pathognomonica, idest passionum significatiua; quædã sunt sindreuonta, idest assidentia; quædam sunt epiphenomena, idest mox apparentia; & signa mox apparentia, adhuc sunt triplicia, vel enim sunt signa coctionis, & cruditatis; vel sunt signa salutis, & mortis; vel sunt signa crisima, idest decretoria. Et hoc pacto est intelligenda Galeni diuisio, & non debent (vt aliqui putant) signa assidentia inter mox apparentia numerari: quia Galenus in fine Commenti laudat etiam Praxagoram, qui duos scripsit libros de assidentibus, & vnum de signis mox apparentibus: innuens absque dubio, quòd illa sunt inter se separata: quod erit clarius, si horum omnium signorum naturam cõsiderauerimus. Et primò dicimus cum Galeno in Commento, & libro de constitutione artis, quòd signa pathognomonica sunt illa, quæ sequũtur morbi naturam, & ab eo non possunt separari, nec morbus ab illis, vt tussis, difficilis respiratio, dolor pungitiuus, & febris; ex Hippocrate; & pulsus etiam durus, & serrinus, non possunt separari a pleuritide, nec pleuritis ab aliquo istorum: hæc enim sequuntur morbi naturã, & ideo statim cũ morbo inuadunt: quia sinè istis, nec per momentũ potest dari pleuritis. Signa epiphenomena, idest mox apparentia, non sequũtur naturã morbi, & ideò nõ inuadunt vna cũ morbo, sed postea apparẽt. Signa verò sindreuonta, idest assidentia, sunt inter hæc quodammodo media; qm̃ qñq; apparent a principio, vt signa pathognomonica; qñque succedunt postea, vt mox apparentia; qñ que etiam nullo tempore apparent. Et, sicut signa pathognomonica ostendunt speciem morbi, ipsius enim sequuntur naturam: & sicut signa mox apparentia ostendunt, vel coctionem, & cruditatẽ, vel salutem, & mortem, vel sunt signa decretoria: ita signa assidentia ostendunt aliquid diuersum ab his, quæ dicta sunt: quia, quando apparent, faciunt in morbo aliquam differentiam. Et, vt non recedamus ab exemplo Hippocratis, signa pathognomonica in pleuritide, sunt, tussis, difficilis spiratio, & alia, quæ diximus.

Cap. 15.

M 3 Signa

Signa assidentia sunt, quòd æger facilius decumbat in latus affectum, vel in latus oppositum, & quòd dolor ascendat ad iugulum, vel descendat ad hypocondria: hęc enim nō sunt signa pathognomonica, quia non apparent in omni pleuritide: nō sunt signa mox apparentia, quoniā quādoque inuadunt simul cum morbo: & vltra hoc, non attinent ad signa coctionis, & cruditatis, non salutis, & mortis, nec sunt signa decretoria: sed sunt signa ab omnibus dictis diuersa; & dicuntur assidentia, quia assident; & propinqua sunt naturæ ipsius morbi, & faciunt in morbo differentiā. Quia, cum pleuritis sit inflāmatio membranæ succingentis costas, si pars membranæ superior magis inflammatur, dolor ascendit ad iugulum; si pars inferior, dolor descendit ad hypocondria: & sic illud signum facit in morbo differentiam, quia ostendit, quòd afficiatur magis pars superior, vel inferior: &, quando afficitur magis pars superior, tunc dolor ascendit ad iugulum, & est signum necessario consequens non ad pleuritidem, vt pleuritis est, sed ad pleuritidem, cum hac differentia, q in ea magis afficiatur membranæ pars suprema, quàm infima. Et, iuxta Hippocratis sententiam, dicta signa faciunt etiam aliam in morbo differentiam: quoniam, si dolor ascendit ad iugulum, pleuritis fit ex sanguine calidiore; si verò descendit ad hypocondria, fit ex sanguine pituitoso: & ideò secundo de ratione victus in acutis, quando ascendit ad iugulum, sanguinem mittit, & qn descendit ad hypocondria, purgat: quāuis eo loco aliter Galenus sentiat. Sic etiam, quòd facilè decumbat æger in partem affectam, vel oppositam, facit in pleuritide differentiam: etenim, cum membrana, quæ inflāmatur, sit duplex, vt Galenus inquit libro de constitutione artis: & nō est intelligendū esse duplicem, quia sit duplicata, vt quidā falso existimarunt: quia huius oppositū patet ex anatomicis administrationibus: sed dicitur duplex, pp duas superficies, quas habet, quarum vna est versus musculos, & costas: & alia est versus cauitatē: qn inflammatio est in superficie versus cauitatem thoracis, tunc, si æger decumbit supra latus oppositum, pars inflammata remanet quasi appensa, & superioribus partibus eam comprimētibus grauatur, & magis dolet, quod, si decumbit supra latus affectum, pars inflammata quiescit supra musculos, & costas, & ab interna cauitate a nullo grauatur: & ideò affecta pars minus dolet, & æger facilius decumbit. Quòd si inflammatio est in superficie versus costas, sequitur totum oppositum: quoniam, quando ægri decumbunt in latus affectum, pars inflammata comprimitur à tunica, quæ supra ipsam collocatur: & inflammatio coartatur inter tunicam, & musculos, & ideò multum dolet. Quod si decumbat in latus oppositum, melius se habet: quia inflammatio quiescit supra tunicam, & ab alijs partibus, musculis scilicet, & costis, cum firmæ sint, non sic com-

Text. 10.

Cap. 5.

sic comprimi potest, & sic minus dolet. Quamobrem huiusmodi signa nihil aliud ostendunt, nisi quandam in morbo differentiam, quæ cum possit à principio adesse, & possit postea superuenire, dictum est, quòd quandoque a principio inuadunt, & quandoque postea sequuntur: &, si differentia illa nunquam est in morbo, nunquam etiam talia signa apparebunt. Patet ergo, quid sint signa assidentia, quid significent, & quo modo sint ab alijs separata. Sed aliqua alia dicamus de pathognomonicis, quæ cum sequantur morbi naturam, ab eo sunt inseparabilia: ita, quòd non est dare morbum sine illis, neq; illa sine morbo; dummodo omnia pathognomonica sint simul iuncta; vt habemus secundo de difficultate respirationis: si enim considerauerimus signa separatim, quamuis vnumquodque sit inseparabile a morbo, cuius est signum pathognomonicum, & conueniat omni, & semper: tamen, si ratione morbi separari non potest, nõ inconuenit, quòd vnumquodque alia ratione separabile sit. quia licet a morbo necessariò arguere supra quodlibet signum pathognomonicum; sed non valet econtra: quoniam, si est pleuritis, necessariò aderit tussis: sic difficultas respirationis, & alia: sed, si adest tussis, non de necessitate erit pleuritis: quando enim volumus à signis necessariò arguere supra morbum, oportet, vt omnia signa pathognomonica simul concurrant; & hanc vocabant antiqui, syndromen, idest cõcursum signorum, ex quo morbos dignoscebant. Signa enim pathognomonica, considerata separatim, sunt signa propria illius morbi: sed hoc modo propria, quia insunt omni, & semper, sed non soli; si verò omnia simul considerantur, ex omnibus efficitur vnum signum verè proprium, quod non solum inest omni, & semper, sed etiam soli: & ex hoc licet arguere supra morbum, quia est illius veluti character. Et, cum Hippocrates in hoc Aphorismo exemplificet in pleuritide, non erit ab ratione hoc loco cõsiderare ex ipsa rei natura, quomodo in pleuritide necessariò signa illa sequantur, quæ pleuritidis sunt pathognomonica: &, supponendo, quòd pleuritis sit inflammatio membranæ succingentis costas, si ibi est inflammatio, necessario aderunt tria, tumor, rubor, & dolor: hæc enim inflammationem necessario sequuntur. Sed, vt inquit Galenus libro de constitutione artis: cum pars affecta intus lateat, nec tumorem, nec ruborem licet videre, & relinquitur solus dolor, qui necessario est in pleuritide, & potest sentiri: species verò doloris est, vt sit pungitiuus, & hoc ratione partis affectæ: quando enim inflammatur pars membranosa, talis sentitur dolor, vt habemus etiam secundo de locis affectis: est verò dolor iuxta costas, quia membrana eo loco, est situata, & latissimè dolor diffunditur, vel diffundi potest: quia succingens membrana ad plurimum spatium extensa est. Sequitur necessariò febris pro-

Cap. 8. *Cap. 15.* *Cap. 5.*

pter affectum, & partem affectam simul, quorum si alterum desit, non necessariò sequitur febris: quia non sequitur ad inflammationem, vt inflammatio est: sic enim etiam in digito febrem excitaret, quod non facit: quoniam pars affecta longè à corde sita est: nec etiam sequitur solum ratione partis: sic enim quilibet affectus in illa membrana febrem excitaret propter cordis propinquitatem: quod non est verum: quia, si ibi fuerit affectus frigidus, vt scirrhus, aut ædema, nō sequitur febris: sed sequitur febris in pleuritide propter vtrumque simul; quia scilicet inflammatio est in parte cordi propinqua, in membrana videlicet, quę succingit costas. Sequitur etiam necessariò spirandi difficultas: & hoc ratione partis affectæ, quia inflāmatur succingens membrana, quę est pars instrumenti respiratorij, ipsius scilicet thoracis: species verò difficultatis, quòd scilicet spiratio sit crebra, sequitur, nō ad partem affectam, sed ad affectum: quia, cum pars ex affectu doleat, & in respiratione pars affecta attollatur, & ex motu maior excitetur dolor: natura, vt dolorem euitet, dissoluit actionem, & eam terminat, & sic coacta est ad aliam respirationem cito reuerti, vt vsui, ac refrigerationi possit supplere: & sic parua, & crebra efficitur respiratio. Necessariò etiam sequitur tussis, tum ratione affectus, tum partis affectæ: quia, quando inflāmatur pars, quæ non tegitur operculo denso, semper aliquid foras exudat, sed quandoq; magis, aut minus, ratione, qua vel pars affecta est magis, aut minus rara; vel humor in inflammatione contentus est magis, aut minus tenuis: &, quoniam, quod in pleuritide ab inflammatione exudat, attrahitur à pulmone, & in respirationis meatus incidit, & eos replendo quodammodo respirationem impedit: hinc natura ad expulsionem irritatur, & sequitur tussis, quæ, ex secundo de symptomatum causis, est actio naturæ, irritatæ a causa præter naturam: &, cum hæc irritatio semper sit in hoc morbo, semper etiam aderit tussis. Et, vltra hæc, necessariò etiam in pleuritide sequitur mutatio in pulsu, & fit proprie pulsus maior, celerior, & crebrior naturali; vna cum tensione, & duritie: & hoc symptoma sequitur partim ad affectum, partim ad partem affectam: ad affectum quidem, quia, cum sit inflammatio, & cum febre, necessariò aucto cordis vsu, pulsus erit maior, celerior, & crebrior: sed, quia pars affecta est neruosa, in qua ob inflammationem fit quædam tensio, non potest sic liberè arteria dilatari, cui communicatur affectio: vt dicebat Galenus quarto de differentijs pulsuum: & ideò pulsus extensione apparet durus: &, quia inter partes arteriæ fibrosas, sunt etiam partes carnosæ, quæ minus tenduntur, sequitur, vt arteria in aliquibus partibus magis tendatur, & in aliquibus minus: & sic fit pulsus ad similitudinem serræ, & dicitur pulsus serrinus. Et hæc sunt symptomata,

Cap. 4.

Cap. 8.

ptomata, quæ necessario sequuntur pleuritidem; &, si ei additur aliqua differentia, tunc sequuntur aliqua de assidentibus; vt dictum est. Sed accedamus ad signa mox apparentia, & exquisitius eorum naturam, & partitionem consideremus. Hæc dicuntur mox apparentia; quia posteà apparent, & non simul cum morbo inuadunt. Quid verò sit intelligendum per Post apparentia, & Postea apparere, cum hæc contra distinguantur ad signa pathognomonica, de quibus dictum est, quòd statim cum morbo inuadunt: si bene intellexerimus, quid significat illud, Statim, habebimus per oppositum, quid sit intelligendum per Post apparere: hoc enim ordine hæc Galenus explicat, primo de crisibus, inquiens, quòd signa pathognomonica statim inuadunt; hoc est, statim in primo insultu morbum comitatur. Dictum est enim superius ex Galeno, in eodem loco, & in hoc Commento, quòd Principium sumitur quandoque pro primo morbi insultu; quandoque pro vno morbi vniuersali tempore; & quandoque pro primis tribus diebus. Signa pathognomonica apparent statim in primo morbi insultu: quia sequũtur morbi naturam, & ab eo non possunt separari. Signa vero mox apparentia dicuntur mox apparere, ad illorum differentiam; quia non statim cum morbo inuadunt: sed postea succedũt: & non est necesse, vt hoc sit post longum tempus: satis est enim, vt non in primo insultu inuadant cum morbo. Et ideo de istis dicebat primo de crisibus, Post apparent autem quædam statim in prima die, quædam in secunda, quædam in tertia, & quædam in quarta, quædam cum processerit morbus: quia satis est, vt non appareant simul cum morbo, nec eius sequantur naturã: Et ideò non debet videri mirum, si signa coctionis sunt inter mox apparentia: & tamen Hippocrates inquit, Si statim appareant, morbum breuiant: etenim, etsi non possint apparere in principio, pro primo insultu, nec in principio, vt est morbi tempus vniuersale, & signis cruditatis circumscribitur: tamen possunt apparere in principio, sumẽdo principiũ, pro spatio trium dierum: & sub eodem significato dicebat Hippocrates primo Epidemion., Continua est, quæ statim incipiens florescit, ac viget. Nec etiam debemus mirari, si signa decretoria, quæ sunt de mox apparentibus, possunt apparere in morbi principio, sumendo Principium, non pro primo insultu, sed pro primis tribus diebus, & pro tempore vniuersali ipsius morbi: sic enim dicebat Hippocrates libro de humoribus: Decretoria in melius non statim appareant: si enim apparent ante coctionem, non solum non indicant crisim, sed sunt signa praua, vt habemus primo de crisibus. Signa etiam lethalia sunt ex mox apparentibus; & inquit Galenus in Commento, quòd non possunt a principio apparere: quod est intelligendum eodem modo: scilicet, quòd non pos-

Cap. 6.

Cap. alleg.

Cõment. 3. Tex. 10.

Cap. 7. et 8

sunt apparere in primo morbi insultu: non enim sequuntur morbi naturam: sed possunt apparere in principio vniuersali ipsius morbi: quod potest comprobari ex his, quæ Galenus asserit tertio de crisibus: vbi tenet, quòd æger potest mori in omnibus vniuersalibus morbi temporibus, præter quam in declinatione: &, si in principio potest mors succedere, aderunt etiam eo tempore signa, quæ mortem ostendunt. Vt concludere liceat, quòd signa mox apparentia, dicuntur mox apparentia, quia, cum non sequantur naturam morbi, non inuadunt simul cũ morbo: sed postea succedunt, siue cito, siue tarde. Distinguuntur verò mox apparentia inter se: quia signa coctionis, & cruditatis sunt omnino fida: signa decretoria sunt omnino infida: signa salutis, & mortis sunt quodammodo media: non enim sunt fida, vt signa coctionis; nec sunt infida, vt signa decretoria. Quòd signa coctionis sint semper fida, habemus ab Hippocrate primo Epidemion, vbi ait, Coctiones iudicationis celeritatem, salutisque securitatem significant; cruda verò, & incocta, & quæ in abscessus malos conuertuntur, iudicationum carentias, vel dolores, vel temporis longitudinem, vel mortes, vel recidiuas ostendunt. Et sic laudauit semper signa coctionis: quoniam sunt semper bona; & vituperauit signa cruditatis, quia sunt semper mala: cum hoc tamen (vt inquit Galenus in Commento) ex sui natura non sunt signa lethalia: sed tantum significãt supra morbi longitudinem: quamuis quodam modo per accidens possunt significare supra mortem: quando scilicet sunt iuncta cum virium imbecillitate: fida est ergo, quæ a signis coctionis, & cruditatis habetur cognitio. Signa verò crisima, & decretoria sunt duplicia: quædam sunt solum signa, quædam sunt signa, & causæ crisis: signa solum sunt, quæ significant supra futuram crisim, & ostendunt perturbationem, quæ fit in corpore, ante crisim, vt dolor capitis repente inuadens, difficultas spirandi præter rationem, cordis morsus, hypocondriorum contentio, vigiliæ immodicæ, delirium, nox absque ratione molesta, accessio anticipans, & alia multa, quę in hoc Commento, & primo de crisibus a Galeno enarrantur. Signa simul, & causę sunt, quæ non solum significant crisim, sed etiam ipsam faciunt, vt sudores, sanguinis fluxus, multum alui profluuium, vomitus, parotides, & alia huiusmodi, per quæ solent morbi iudicari. Sed omnia dicta signa, siue sint signa solum, siue signa, & causæ, sunt infida: quoniam in diuersis temporibus, non solũ diuersa, sed penitus contraria significant: si enim hæc apparent post signa coctionis, significãt cito futurum esse iudiciũ, & ad salutem: &, quamuis, ipsis apparentibus, astantes, & ignari medici terreantur, tamen medicus generosus non solum non timet, sed futurum euentum tuto pronunciat; vt habemus tertio de crisibus. Si verò apparent

Cap 9. *Commẽ. 2. Tex. 45.* *Cap. 14.* *Cap. 2.*

apparent ante coctionem, non solum non erunt signa bona, & bonam crisim non ostendunt: sed tunc sunt signa prauæ dispositionis, & deterrima, vt Galenus asserit primo de crisibus: etenim, veluti euacuationes, si opportuno tempore appareant, prodesse solent: ita, si fiant intempestiuè, non solum non iuuant, sed etiam nocent: & ideo dicebat Hippocrates, Decernentia in melius, non statim appareant: & secundo Epidemion circa principia, Decretoria, quæ non decernunt, partim lethalia sunt, partim difficilis iudicationis, idest, ea, quę solēt iudicare morbos, si eos non iudicant, vel significāt mortem, vel difficile iudicium: & hoc erit, quando apparent ante signa coctionis, vt habemus locis allegatis, & Galenus clarè explicat primo de crisibus, & in hoc Commento. Erit ergo hæc differentia inter signa coctionis, & signa crisima, siue decretoria: quia signa coctionis, & cruditatis semper significant idem, & sunt fida: signa verò crisima in vno tempore significant salutem, in alio verò, vel mortem, vel morbi difficilem iudicationem. Differunt etiam, & alio modo: quia signa crisima significant iudicium bonum, vel malum: nam vel bene, vel male decernunt: signa vero coctionis significant quidem salutem, sed non de necessitate crisim: cum etenim sanitas obtineri possit, & mediante crisi, quæ est subito facta mutatio; & per solutionem, quæ paulatim fit; signa coctionis ostendunt quidem salutem: sed nō de necessitate per mutationem subito factam, vel paulatim. Sunt postea signa salutis, & mortis, quæ, si animaduertimus, quæ dixit Galenus primò de crisibus, & tertio, & libro de constitutione artis, sunt signa, quæ attinent ad morem morbi: declarant enim eius benignitatem, & malignitatem: & hæc, vt inquit primo de crisibus, sunt triplicia: quoniam vel considerantur in excrementis, in quibus considerantur signa coctionis, & cruditatis, vt in vrina, alui fecibus, & sputis: vel considerantur in totius corporis dispositione: vel in naturalibus, & animalibus operationibus: in excrementis enim non solum apparent signa coctionis, & cruditatis: sed etiam signa lethalia. Quoniam, si vrina fuerit optimi coloris, substātiæ mediocris, & sedimentū habeat album, lene, & æquale, erit signū coctionis perfectæ, & arguet etiā supra morbi benignitatē: vrina verò alba est cruda; sic etiam turbida, & crassa est cruda; ꝙ si cum hoc fuerit etiam nigra, non solum est signum cruditatis, sed etiam est signum prauum, & lethale; vt habemus in Commento, & primo de crisibus; similiter in alijs excrementis, non solum coctionis, & cruditatis, sed etiam salutis, & mortis indicia considerantur. In dispositione verò corporis sunt signa salutis, & mortis ex primo Prognosticorum, si facies ægri est sano similis; & maximè sibimet sano existenti: sic enim erit signum salutis. si verò nares fuerint acutæ, oculi concaui, collapsa

Cap. 7. et 8.

Cap. 14.
Cap. 4.
Cap. 15.

Cap. alleg.

Cap. 11.

tempora,

tempora, & alia ab Hippocrate descripta affuerint, sunt signa lethalia. Considerantur etiam in operationibus, de quibus multa in Prognosticis dixit Hippocrates; vt, si oculi lucem effugiunt, si oculis conniuentibus æger dormiat, si palpebra, vel labrum peruertatur, si supinus cubet, si deorsum procliuior delabitur, si hianti ore dormiat, si cubet in ventrem, si dentibus strideat, & alia huiusmodi, quæ omnia sunt lethalia, & futuram ostendunt mortem. Sed hæc omnia, iuxta Galeni sententiam primo de crisibus, sunt in duplici differentia: quia eorum aliqua sunt omnino bona, vel mala; aliqua verò sunt bona, vel mala vt plurimum: omnino bona, vel mala sunt, quæcunque Hippocrates expressit per superlatiuum, dicens ea esse optima, vel pessima: & quibus etiam adiunxit aduerbium Carta, idest valde: hæc enim semper vnum quoddam ostendunt, aut raro aliud indicant. Vt plurimum verò bona, vel mala sunt ea, quæ Hippocrates simpliciter bona, vel mala esse pronunciauit, vt mente cõstare, atque ad ea, quæ offeruntur, bene se habere, bonum: & alia huiusmodi: quoniam hæc non habent adeo magnam vim, vt præcedentia: & ideo dicebat secũdo Aphorismorum, quòd hæc bona sunt, quantum attinet ad ipsa: sed, si volumus de morte, aut vita aliquid pronunciare, hæc non sufficiunt: sed aliorum signorum debemus vires cõsiderare. Et sic ex dictis iã patere potest, quòd signa salutis, & mortis nõ sunt omnino fida: quoniam, quæ sunt diapantos, & omnino talia, quamuis ferè semper idem significent, tamen possunt aliquando, sed raro fallere: quæ verò sunt vt plurimum talia; ad prædicendum saluté, aut mortem non sufficiunt. vt dictũ est. Differunt ergo hæc à prius dictis, quia non sunt semper fida, vt signa coctionis; nec sunt infida, vt signa crisima; sed sunt quodammodo media inter illa: quæ omnia videre licet apud Galenum primo de crisibus. Sed est animaduertendum, quòd interpres horum signorum diuisionem, eo loco a Galeno positam, non intellexit: & ideo omnia confundit: sed Galenus, vt patet ex Græco codice, fecit horum signorum diuisionem in Diapantos, & Epipoli, idest, in ea, quæ sunt prorsus, & omnino talia, & in ea, quæ sunt magna ex parte, & vt plurimum talia. Et Diapantos talia vult, quòd sunt ea, quæ optima, & pessima dicuntur ab Hippocrate: Epipoli verò, & vt plurimum talia sunt, quæ ab ipso dicuntur simpliciter bona, vel mala. Et, nisi hæc animaduertantur, impossibile est Galeni sententiam eo loco intelligere. Sed, habita signorum omnium diuisione, & cognitis, quibus inter se distinguantur, differentiis, vt omnia, quæ dicta sunt, melius intelligantur, cum Hippocrate, & Galeno ad particulare exemplum descendemus. Quia Hippocrates in Aphorismo exemplificat in pleuritide, & Galenus in Commento adducit pro exemplo quendam pleuriticum,

Cap. 14. *Cõmen. 33.* *Cap. alleg.*

cuius historia fuit enarrata ab Hippocrate tertio Epidemion: cuius hęc sunt verba: In Abderis Anaxiona, qui ad Thracias iacebat portas, febris acuta prehendit, lateris dextri dolor continuus, tussis sicca, neque primis diebus expuebat aliquid. & alia. Iste Anaxion erat pleuriticus: sed statim in huius historiæ principio accidit difficultas: quare Hippocrates, cum semper fuerit breuitatis studiosus, hic voluit affectum potius tot signis describere, quã dicere, & breuissimè, quòd hic erat pleuriticus. Præterea, si potius voluit affectum per sua signa pathognomonica describere: quare, facta mentione de febre, de dolore continuo, & tussi sicca, reliquit respirationis difficultatem, quæ, vt alia dicta, hunc morbum necessario comitatur? Ad hæc respondet Galenus, secundo de difficultate respirationis, & inquit, quòd, cum Hippocrates nil dixerit sine ratione, non sine causa morbum hunc per signa propria potius descripsit, quàm affectum nominauerit: est enim ipsius consuetudo, vt, dum nominat affectum, eius propria symptomata subticeat: &, si in ipsis adest aliquod insuetum, cum nominauerit affectum, illud accidens symptoma insuetum determinat: &, si plura sunt accidentia, quæ determinatione indigent, tunc nomen affectus subticet, & accidentia illa determinat, ex quibus etiam postea innotescit affectus: hoc modo processit in Anaxione, in quo quamuis esset pleuriticus, & sic debebat adesse tussis, febris, & dolor: tamẽ, cum in Anaxione hæc haberent aliquid, quod indigebat determinatione, ea signa determinando, morbum circumscripsit, & nomen morbi tacuit: in hoc enim non solum aderat febris, vt in omni pleuritide, sed erat acuta; non solum aderat dolor, qui debet esse in pleuritide, sed erat continuus; sic etiam non solum aderat tussis, sed erat sicca: ideò, vt horum signorum determinationem apponeret, morbum per signa circumscripsit; &, si tacuit respirationis difficultatem, fuit, quia in Anaxione erat, vt solet esse in pleuritide, & nihil habebat rari, & insueti, & per consequens non indigebat determinatione. Et Hippocrates per dicta signa non solum ostendit, quo morbo afficiebatur, sed etiam ostendit morem, & magnitudinẽ morbi: erat enim pleuritis magna: quia dolor erat continuus, & febris acuta: erat etiam mali moris; quia tussis erat sicca: cum enim in pleuritide inflammetur membrana, quæ non habet operculum densum, &, ipsa existente rara, aliquid semper exudat: & tussis, quæ excitatur, vt plurimum est humida, vt Galenus loco allegato inquit; in Anaxione erat sicca: quia sanguis in parte inflammata contentus erat pituitosus, & crassus; & hac ratione, etiam, quòd membrana esset rara, nihil poterat resudare. Sed aliquis instaret, si Hippocrates quandoque reliquit nomen affectus, & ipsum describit per signa propria, si illa habent aliquid rari, & insueti,

Cõment. 3. Tex. 79.

Nota multa circa historiã Anaxionis.

Cap. 8.

quare

quare in Anaxione, ficut tacuit difficultatem respirationis, non tacuit etiam febrem acutam, cum hæc nihil habeat insueti: febris enim acuta est inseparabilis à pleuritide. Et, quamuis aliquis dicere posset, quòd Galenus in libro de constitutione artis, ponit febrem esse signum proprium pleuritidis, & non addidit, quòd oportet, vt sit acuta, tamen in fine huius Commenti,& quinto de locis affectis, inter signa pathognomonica pleuritidis ponit febrem acutam, & ideò eam debebat subtacere in descriptione Anaxionis. Ad hoc dicimus, quòd, cum pleuritis sit morbus acutus,& cito terminetur, febris etiam, quæ ipsam comitatur, ob citam determinationem solet dici acuta: sed re vera, acuties est potius ratione inflammationis, quàm ratione febris: quoniam, si consideramus febrem in se, habemus quarto de causis pulsuum, quòd, quãdo pleuritis fit a sanguine pituitosiore, febris erit lenior; si a biliosiore, febris erit acutior: & hoc est illud rarum, quod in Anaxione considerauit Hippocrates circa febrem: quia, cum laboraret pleuritide ex sanguine pituitoso, vt ostendebat tussis sicca, febris debebat esse lenis, non acuta, & tamen fuit acuta: & hoc ostendebat, quòd non solùm putresceret humor in parte inflãmata, qui erat crassus; sed alij humores putrescebant in venis,& febrem excitabant acutã. Accidit etiam dubitatio circa id, quod Galenus dixit secundo de difficultate respirationis, de dolore in pleuritide; quòd scilicet in Anaxione Hippocrates fecit mentionem de dolore: quia non solum aderat dolor, sed erat continuus: ac si posset esse pleuritis sine dolore continuo, & tamen primo Prorrheticorum inquit, quòd dolor in pleuritide debet esse continuus, non rarus, vt est quando fit a spiritu flatuoso: quia, quando in pleuritide dolor est rarus, tunc, vt inquit Hippocrates, arguit delirium, vt etiam dicebat in illo Aphorismo: Quicunque, dolorem habentes, dolorem non sentiunt, his mens ægrotat: quoniam, si mens non ægrotat, debet semper sentire dolorem, cum in parte affecta, firma sit dispositio dolorosa. Ad hanc difficultatem dici potest, quòd dolor potest dici continuus, vno modo, vt semper in thoracis dilatatione, & respiratione sentiatur; & hoc est necessarium in omni pleuritide: quia, cum in thoracis dilatatione, in parte affecta fiat tẽsio, necessario excitabitur dolor, qui sentitur dum fit dilatatio, & facta dilatatione quiescit, & talis dolor est continuus, quia in omni dilatatione percipitur, & ideo æger non potest libere respirare. Alio modo dicitur dolor continuus, quia omni tempore affligit, siue thorax dilatetur, siue quiescat; quia dolet etiam, tempore illo intermedio inter vnam dilatationem, & aliam: & hoc non est necessarium in pleuritide, nec sæpè accidit, &, quando accidit, arguit magnam, renitentem, ac rebellem inflammationem, quod fuit in Anaxione, in quo cum

Cap. 11.

Cap. 2.

Cap. 8.

Comen. 22.

dolor esset hoc pacto continuus, fecit de eo Hippocrates mentionem, tanquam de quodam raro, & insueto. Fecit etiam mentionem de tussi sicca, quia, etsi tussis sit in pleuritide necessaria, tamẽ rarò est sicca, & vt plurimum est humida: quia, quamuis in principio morbi adsint signa cruditatis, tamen hæc suscipiunt magis, & minus: & Galenus in Commento inquit, quòd circa sputum, maximum signum cruditatis est, si nihil penitus expuatur; est etiam signum cruditatis, si expuatur aliquid humidum; sic etiam, si expuatur aliquid crassum, & non concoctum: postea signum coctionis, si expuatur concoctum: si verò expuatur impermistum, aut flauum, est signum malum: quòd si fuerit liuidum, vel nigrum, est signum valde prauum, & perniciosum: in Anaxione à principio non expuebatur aliquid crassum, & crudum: hoc enim fuisset signũ cruditatis, sed cum quadam occulta coctione, quæ potest adesse in morborum principio: distinguitur enim principium ab augmento, per signa coctionis manifesta; vt habemus primo de crisibus: nec expuebatur aliquid humidum, quod demonstrasset maiorem cruditatem, sed non tantam, quantam ostendit nil penitus expuere. Sicut enim in vrina, si est alba, & tenuis, arguit maximam cruditatem, ita circa sputum, si nihil penitus expuatur. Et, quemadmodum, si vrina cum tenuitate, non fuerit ita alba in colore, ostendit cruditatem, cum aliqua pauca, sed occulta coctione; ita sputum humidum cruditatẽ significat, sed non quantam nihil expuere. Et, sicut vrina, si non solum fuerit melius colorata, sed sit etiam in substantia non adeò tenuis, est quidem signum cruditatis, sed cum occulta coctione, ita in sputo si expuatur aliquid crassum, & crudum. In Anaxione verò nihil penitus expuebatur circa primos dies, & ideò maxima arguebatur cruditas; & ob id non fuit mirum, si pleuritis, quæ ex sua natura est morbus acutus, & debet quatuordecim diebus terminari, in Anaxione prorogata est vsq; ad trigesimumquartum. Sed tussis sicca, iuxta Galeni sententiam primo Epidemion, efficitur quatuor modis. Quandoque enim fit exasperatis faucibus, & guttu re, & natura tentante expellere, quòd molestat: & cum in illis nulla sit humorum affluentia, nihil tussi reiicitur. Quandoque fit ob intemperiem instrumentorum respirationi seruientium; & sic, cum musculi thoracis molestiam quandam sentiant, mouentur ad expulsionem, & tussim excitant, & tussis sequitur sicca, quia nihil adest, quod expulsione indigeat, quod etiam secundo de symptomatum causis scriptum reliquit. Quandoque tussis redditur sicca: quia humor aliquis subtilis a capite per asperam arteriam in pulmones dilabitur, qui naturam irritans tussim excitat: sed, cum materia sit tenuis, non educitur, sed dispergitur, & tussis fit sicca. Quarto modo fit tussis sicca; quando humores crassi,

Cap. 17.

Cõment. 1. Cõment. 14.

Cap. 4. et 5.

& lenti, sunt in partibus respirationis firmiter infixi, qui adeo adhæret, & agglutinati sunt, vt, etiam si natura conetur per tussim expellere, non possit: & Galenus, dans exemplum huius vltimi modi, eodem loco inquit: Veluti in lateris doloribus, in quibus nihil expuitur, vt est in nostro Anaxione, in quo tussis fuit sicca: quia humor, qui continebatur in parte inflammata, erat crassus, & lentus: &, quamuis inflammatio esset in parte rara, tamen nihil ferè a parte resudabat; & sic tussis fuit sicca. *Sitibundus peruigil &c.* reliquit Hippocrates difficultatē respirationis, de qua postea fecit mentionem in die septima: quoniam nihil habebat insueti, & ideo non indigebat peculiari determinatione, & addit signa, quæ erant consideratione digna: hic enim erat sitibundus, & peruigil: erat sitibundus, idest maximam patiebatur sitim: quod rarò in pleuritide accidit, tum quia in hoc affectu vt plurimum sputum est humidū: &, stante humiditate in faucibus, & lingua, non potest magna sitis excitari: tum etiam, quia in hac pleuritide tussis erat sicca; & Hippocrates inquit quarto Aphorismorum; Quibus plurimæ, siccæ tusses, leuiter irritantes, in febribus ardentibus fiunt, non multū siti infestantur: quia, vt inquit Galenus in Commento, semper ex tussi trahitur humor aliquis, quo partes illæ, quæ attinent ad thoracem, madescunt: & sic non fiunt admodum siticulosi: & tanto magis indigebat hoc signum consideratione, quia inflammatio ortum ducebat a sanguine pituitoso, & non debebat tantam sitim excitare. Patiebatur etiam Anaxion maximas vigilias, & morbo improportionatas: quia Galenus inquit quarto de causis pulsuum, quòd, quando pleuritis efficitur a sanguine pituitosiore, eleuantur vapores ad caput, & inclinant ad soporem: quando verò efficitur a sanguine bilioso, vapores eleuati excitant vigilias, & quandoque delirium. *Vrinæ bene coloratæ, multæ, tenues*; alia translatio habet, vrinæ non bene coloratæ: quod esset signum maioris cruditatis: si verò fuerint bene coloratæ, ostendunt quandam coctionem, sed occultam: cum fuerint tenues. Et nota, quòd vrinæ bene coloratæ possunt esse tenues, sed non tenuissimæ: quia maxima tenuitas arguit maximā cruditatem: & sic de necessitate vrina tenuissima est alba: &, si est bene colorata, non potest esse talis, sed tenuis, vt habemus primo Epidemiō. Est autem in hoc loco considerandum, quòd, cum signa coctionis, vt habemus primo de crisibus, considerentur in excrementis, in quolibet morbo, excrementa sunt consideranda: animaduertentes tamen, quòd non omnia habent eandem significandi vim in omnibus morbis: sed maximam vim habent supra affectus illarum partium, a quibus excernuntur: & sic in affectibus thoracis, & instrumentorum respirationi seruientium, maximam vim habent signa sumpta a sputo: in affectibus

Aph. 54. *Cap. 8.* *Commē. 8.* *Cōmē. vlti.* *Cap. 7.*

iocinoris, & generis venosi, signa sumpta ab vrina: in affectibus ventris, & intestinorum, signa sumpta ab alui excrementis. & primo Epidemion, addit quartum genus eorum, q̃ excernuntur per nares, quę maximã habent vim significandi supra affectus cerebri. Sed, cũ excrementa habeãt magnam vim significãdi supra affectus partium, a quibus excernuntur, est consideratione dignũ, quare Hippocrates in pleuritide considerauit vrinã, cum affectus non sit in genere venoso; sed in thorace. Ad hoc primo possumus dicere, quod signa epiphenomena, & mox apparẽtia, vt dicebat Galenus primo de crisibus, sunt duplicia, quędam propria, & quędam cõmunia: &, quoad excrementa, signa mox apparẽtia propria sunt illa, q̃ sumuntur ab excrementis, q̃ educuntur a parte affecta: quæ verò considerantur in aliis excrementis, sunt mox apparentia, non propria, sed cõmunia, quæ etsi nõ habeãt adeo magnam significandi vim, vt illa quæ sunt propria, tñ voluit Hippocrates, vt illa etiam cõsiderentur: cum videamus, ꝙ in hoc Aphorismo, exemplificando de pleuritide, non solum sputum, sed etiam vrinam, & alui excrementa considerauit. Et, si aliquis diceret, Si excrementa non educuntur a parte affecta, quomodo poterunt significare supra morbum? Ad hoc, quantum ad vrinam, dici posset, ꝙ, cum vrina significet supra affectus generis venosi, cuiusmodi est febris, est consideranda in omnibus morbis, in quibus febris adest, siue affectus sit in partibus thoracis, vt pleuritis, siue sit in intestinis, vt voluulus: quoniam, ratione febris, vrinæ semper indicabunt. Et, si aliquis instaret, quòd, cum febris tunc consequatur ad alium affectum, ad cuius remotionẽ remouetur, & periculum imminens totum ex illo morbo dependet, absque dubio erit parui momenti, siue consideres vrinã, aut non. Ad hoc dicimus cum Galeno tertio Epidemion, vbi exponens historiam mulieris, quæ voluulo periit: & in ea, inter alia Hippocrates considerauerat etiam vrinam, inquit in Cõmento, quòd vrina est considerãda in omnibus affectibus, tum ventris, tũ thoracis, pulmonis, & neruorum, & nõ solum in affectibus, qui consistunt in genere venoso: quoniam in affectibus aliarũ partium, quamuis, quando sunt bonæ, paruã vim habeant significandi supra salutem; tamen, si sunt malæ, maximam vim habent ad significandam perniciẽ: si enim in pleuritide vrinę sunt bonæ, signum est, quòd in solis spiritus instrumentis versatur periculũ, & æger ex illo morbo potest perire: at, si vrina fuerit praua, significat affectum thoracis esse adeò prauum, & malignum, vt communicatus sit etiam cęteris partibus. Et ideo bonũ est in omnibus affectibus vrinam prospicere: & non est mirũ, si eam Hippocrates in Anaxione cõsiderauit: & maximè, quia, si bene animaduertimus, oportet fateri, quod in Anaxione, vltra materiam, quæ continebatur in parte inflammata, erat

Cõmen. 2
Cõmen. 14
Cap. alleg.
Cõment. 2.
Cõment. 6.

alia, quæ putrefcebat in vafis: quia ex fanguine pituitofo in in inflammatione contento, non potuiffet excitari febris adeò acuta, tanta fitis, vigiliæ adeò immodicæ, & etiam delirium, vt imediatè fubiungit Hippocrates. Hæc enim (fi memoria recolimus, quæ de humorum indicijs, ex ipfa rei natura prius dicta funt) abfque dubio funt humoris biliofi foboles: & ideò, hac etiam ratione, erat confideranda vrina. Et fubiungit, *Sexta die delirauit*: & diximus ex Galeno quarto de caufis pulfuũ, quòd ad pleuritidem ex fanguine pituitofo, qualem patiebatur Anaxion, non fequitur delirium, neque vigiliæ: fed potius inclinatio ad foporem: fed fuit excitatum delirium, quia, vt diximus, alia materia putrefcebat in venis. *Neque calefacientia aliquid proficiebant*: ideft, neq; proficiebant fomenta, quibus, fecundo de ratione victus in acutis, iubet, vt in principio pleuritidis vtamur. Nos verò, antequã vlterius progrediamur, aliquid de fomentis in medium afferamus, & maximè, quia faciũt ad intellectum eorum, quæ diceda funt, circa illud; quare venam fecuit octaua die. Et ante omnia difcutiendum eft, an in curatione pleuritidis incipiendum à fotibus. Et, vt perfectior, & vtilior tractatio euadat, eft vniuerfaliter confiderandum, vtrum in inflammationum curatione, fit incipiendum à fotibus. Et in hoc habemus Galeni fententiam tertio artis medicinalis, vbi afferit, quòd, quando corpus plus æquo repletum eft, minimè debemus, per partem affectam euacuare, nec per facrificationẽ, nec per calefacientia non per facrificationẽ, quia, rõne excitati doloris, maior fiet attractio: nõ per calefacientis, quia plus erit, qđ vi caloris attrahitur, q̃ quod difpergitur: & ideò fexto Aphorifmorũ dicebat, q̧ ficut fomenta parũ per dolorẽ molliunt, & leniunt, ita alterã fluxionẽ aduocant, & excitãt: qua n. rõne poffunt id, qđ cõtinetur in inflãmatione, difcutere, eadẽ poffunt ex locis vicinis attrahere. Et fecũdo de arte curatiua ad Glauconẽ, inquit, hoc effe maximũ inter errata, q̃ in inflammationis curatione fieri poffunt; fi fupra partẽ inflãmatã, calida, & humida applicentur, nõ euacuato prius toto corpore. Ex quibus locis vr̃ effe afferendũ, q̧ in pleuritide; ficut in oĩbus aliis inflãmationibus, nũ fit incipiendũ à fotibus, & fomẽtis: cũ ad hæc nõ liceat deuenire, nifi p̃cedẽte totius corporis euacuatione. Sed cõtra hãc determinationẽ eft Hippocrates, & Galenus; qui, in principio fecundi de ratione victus in acutis, volunt, vt per exordia, & principia pleuritidis tentemus curationẽ calefacientibus, & fotibus: hæc enim, vt inquit eo loco Galenus, cutim efficiunt rariorẽ, & fanguinem contentũ in inflãmatione attenuãt, & etiam per halitum digerunt. Nec eft dicẽdum, vt aliqui, quòd Hippocrates, eo loco, vtitur cura tentatiua, vt dignofcat, fi eft vera pleuritis: quia, fi pleuritis fuerit mendofa, folis fotibus poterit curari: fi verò pleuritis fuerit

Cap. alleg.

Tex. 66.

Comen. 31.

Cap. 2.

vera, ex fotibus magis augetur, cum habeant vim attrahendi, & sic est veniendum ad sanguinis missionem. Sed hi non animaduertunt, quòd, volentes saluare Hippocratē, ipsum afficiunt maxima infamia, ac si nō cognouisset veram pleuritidem: & tamen dicebat Galenus quinto de tuenda valetudine, quòd rarissimi sunt morbi, qui habent signa adeò certa, sicut pleuritis. Et sic maxima reprehensione fuisset dignus Hippocrates, si pleuritidem non cognoscebat. Et ideò aliter est dicendum, cum Galeno tertio Epidemion, vbi asserit, quòd in curatione cuiuslibet doloris, & sic etiam doloris, hac methodo est procedendum: quoniam, si non fit ab aliqua causa externa, sed interna, debemus considerare præcedentem victum: &, si, aut expleniori nutrimento, aut exercitio derelicto, aut quia retenta est aliqua consueta euacuatio, cognoscimus, quòd adest in corpore plenitudo; tunc non debemus reprimere, ac repercutere à parte affecta: quia humores retrocedent ad partes principes. Nec debemus fouere, & lenire partes dolentes, antequàm totum corpus fuerit euacuatum: quia ob ea remedia alliceretur ad partem affectam humorum affluentia: & ideò tunc incipiendum est à totius corporis euacuatione: etenim, hac facta, poterimus & repercutere, & calefacientia applicare, vt oportuerit: quòd si non præcessit victus talis, vt ex eo generatam esse plenitudinem, suspicemur; incipiendum est à fotibus, & fomentis calefacientibus, & humectantibus: quia vel affectus curabitur, vel non: si nō curabitur, oportet cessare à fotibus, & totum corpus euacuare prius, & deinde ad fotus redire: est enim signum, q; quamuis non præcessit victus, qui potuit manifestè excitare plenitudinem, ipso nō animaduertente, plenitudo aliqua fuit paulatim, & occultè coaceruata, cuius ratione fotus non iuuant: quia magis attrahunt, quàm discutiant. Ex quibus ad locorum conciliationem dicimus, quòd, si dolor, vel inflammatio est cum signis plenitudinis, omnino est incipiendum à corporis euacuatione: si verò non adsunt signa plenitudinis, tunc incipiendum est à fotibus: quia vel curabunt affectum, si tota materia in parte inflammata continetur, vel adminus iuuabunt ad dignotionem occultæ plenitudinis: si enim non curatur fotibus, corpus debet prius euacuari, deinde veniendum ad fotus. Et hoc etiam dicebat Galenus sexto Aphorismorum, exponens illum Aphorismum, Dolores oculorum, meri potio, balneum, & fomentum &c. inquit, quòd fomentum est securissimum: quia vel tanquam signum iuuabit ad dignotionem: vel tanquam causa, ad salutem: vel enim sanabit affectum, si nulla est in corpore plenitudo: vel illam, si adest, & est occulta, manifestabit: & sic ad curationem etiam confert. Et hac ratione Hippocrates, secundo de ratione vi-

Cap. 11.

Cōmen. 36

Cōmen. 76.

Cōment. 31

ctus in acutis, in curatione pleuritidis cœpit a fotibus, & non ad dignoſcendum affectum, vt aliqui volunt. Illud enim, quod quæritur, non eſt affectus cognitio: ſed cauſæ, ideſt occultæ plenitudinis dignotio: quoniam, quando non adeſt, iuuant; quando verò præſens eſt, potius nocent. Et hac etiam ratione non eſt mirum, ſi in Anaxione fomenta nihil proficiebant: indigebat enim euacuatione, & ideo poſtea in octaua dei venam ſecuit. Sequitur Hippocrates, *Septima die magis laborabat; quia febris intendebatur; neque dolores comminuebantur; & tuſſes infeſtabant, & difficulter ſpirabat.* In quibus verbis explicat, quòd in ſeptima die peius, quam in præcedentibus ſe habuit: & volens declarare, quomodo morbus erat maior, conſiderat morbi ſigna pathognomonica: dictum eſt enim in tertio de criſibus, quòd ſicut illa ſigna oſtendunt morbi ſpeciem: ita illorum ſymptomatum, ſiue ſignorum magnitudo, oſtendit morbi magnitudinem. Et ideò ex illorum magnitudine declarat, quòd in ſeptima die morbus erat maior: quia, quamuis dolores non comminuebantur, ſed ſimiles perſeuerabant, ſic etiã tuſſis infeſtabat, vt prius, & vt prius etiam difficulter ſpirabat: tamen febris, quæ eſt vna de ſignis propriis, eo die intendebatur, & erat maior; &, ſi alia ſigna perſeuerabant in eadem magnitudine, & vnũ illorum erat magis auctum, ſequitur, quòd morbus erat maior. Et notandum, quòd hic fecit mentionem de reſpirationis difficultate; volens denotare, quòd perſeuerabat vt a principio, ſicuti etiam perſeuerabat dolor, & tuſſis: quia in iſtis non erat facta mutatio: ſed, cum eo die aucta eſſet febris, ideò Anaxion magis laborauit. Subiungit, *Octaua die venam in cubito ſecui, ſanguis plurimus fluxit, & qualem oportuit.* In quibus verbis multa ſunt conſideratione digna: & primò circa hæc Galenus conſiderat, quare Hippocrates, cum tot deſcripſerit ægros in libris Epidemion, quorum plurimi ſanguinis miſſione indigebant, nunquam fecit de ea mentionem, niſi in hoc ægro: & inquit tertio Epidemion, quòd vel eſt dicendum, quòd Hippocrates in illis non fuit uſus hoc remedio: vel quod uſus fuit, & tanquam clarum in narratione prætermiſit. Non eſt dicendum, quòd eo non fuit vſus: cum Hippocrates, ſanguinis miſſionem non abhorruerit, immo pluries ea vſus fuerit, vt patet in germaniſſimis eius libris, vt in Aphoriſmis, in libris de ratione victus, & in libris de articulis: & ideò eſt dicendum, quòd, illud, tanquam clarum, prætermiſit. Et, ſi in Anaxione de ea fecit mentionem, illud appoſuit tanquam rarum: quoniã, vt dicebat tertio Epidemion, antiqui medici habebant pro lege quadã certa, vt poſt quartã diẽ venã non ſecarent: & contra eorum placita, cum in Anaxione ſecaſſet venam die octaua, de ea fecit mentionẽ: nõ quia in eo ſolo venam ſecuit: ſed

Cap. 4.

Cõmen 1. Comm. 3.

ſed quia ei ſolũ,in die octaua: & ideo dicebat tertio Epidemion, de ſanguinis miſſione in Anaxione fecit mentioné, quia in ea erat aliquid noui: quoniã octaua die, non quia oporteat in adductis hiſtoriis facta etiã remedia narrare. Quia liber Epidemion non ad curationẽ, ſed ad pręſagitionẽ fuit inſtitutus: & ideo apponuntur quandoq; remedia; non vt curandi methodũ doceat, ſed ad cognoſcendã morbi malignitatem, vt inquit tertio Epidemion; ſicut in dicto ægro dixit etiã, ꝙ fotibus dolores nõ mitigabantur. facta fuit ergo ſolum de ſanguinis miſſione mentio in Anaxione: non quia in eo ſolũ venã ſecuit, ſed quia illi ſolum in octaua die: &, vt dicebat Galenus in Cõmento, ſi ſecuit venam in die octaua, cenſere debemus, ꝙ multo magis eo vſus eſt pręſidio in ſecunda, tertia, & quarta, in quibus antiqui etiã venam ſecabãt. Sed, quamuis pateat ex dictis, quare in ſolo Anaxione fecerit de hoc remedio mentionẽ: tamẽ adhuc eſt dubium, quare non miſit ſanguinẽ a principio, ſed expectauit vſque ad diem octauã. Nec eſt dicendum, vt aliqui, ꝙ Hippocrates non fuit vocatus ad Anaxionis curã a principio: quoniam, etſi Galenus in expoſitione hiſtoriæ Anaxionis dicat, ꝙ in ægris Hippocrates multa prætermiſit, quia ipſe quandoq; non fuit a principio: tamen hoc non licet dicere in Anaxione; in quo adeo exquiſitè morbi ſigna ſtatim a principio ponit, & per totum morbi progreſſum; vt coniectari debeamus a principio affuiſſe in eius curatione. Nec etiã videtur mihi laudanda Manardi ſententia, qui in libro duodecimo ſuarum Epiſtolarum inquit, ꝙ Hippocrates nõ miſit ſanguinem a principio: quia, antequam ſexta die deliraret, erat dubius, vtrum indigeret ſanguinis miſſione, vel purgatione. Etenim, ſi pleuritis eſt inflammatio, & debet curari, vt aliæ inflammationes, quæ ab humorum defluxu dependẽt; vtiq; faciendę ſunt euacuationes, & reuulſiones, quando materia fluit ad partem, quæ cępit inflammari. Et, ſi ad hoc iuuant euacuationes, vt humorum defluxum ad partem inhibeant, quanto tardius fiunt, tanto minus iuuant. humor enim, qui iam continetur in parte inflammata, & excidit è vaſis, non poteſt amplius retrocedere, ſed debet per partem affectam euacuari, & in pleuritide euacuatur per ſputum. Non eſt ergo coniectandum, quòd, morbo indicante, & viribus non repugnantibus, Hippocrates abſtinere voluerit a ſanguinis miſſione eo tempore, quo magis erat proficua. Nec eſt etiam laudanda poſitio Montani, qui inquit, quòd Hippocrates non fuit vſus ſanguinis miſſione in primis diebus: quia, quando dolor eſt fortis, debemus prius fomentis dolorem mitigare: deinde per venæ ſectionem euacuare: & hoc confirmat auctoritate Auicennæ, qui Quarta primi inquit, Cum materiam ad longinqua trahere volueris, loci dolorem prius ſedabis, vt ipſius minuatur coartatio per attra-

Cõment. 2. Cõmen. 6.

Cõment. 3. Comen. 79.

Epiſt. 5.

Cap. 3.

ctionem: quoniam dolor est attrahens. Sed hęc sunt penitus reiicienda: quia, quando virtus potest sufferre euacuationem, si dolor est vehementissimus, debemus statim euacuare: si enim, relicta euacuatione, fomenta applicamus; quamuis quodammodo molliant, & leniant dolorem, tamen fluxionē augent: & sic auget etiam postea dolorem; vt diximus supra ex tertio Epidemion. Est tamen verum, quòd, quando dolor est vrgētissimus, tempore, quo euacuare volumus, ad hoc, vt facilius inhibeatur humorum affluxus ad partem inflammatam: debemus lenire, ac fomentis mitigare dolorem: quia, cum dolor attrahat, vt cucurbitula, nisi tempore euacuationis mitigetur, reluctabitur reuulsioni, quę fit ratione euacuationis: & hoc est illud, quod dicebat diuinissimus Hippocrates sexto Epidemion, Cedentem retrahere statim, renitenti cedere. Et Galenus in Commento inquit, quòd, quando dolor est mitigatus, tunc, parte non sic attrahente, reuulsoria remedia magis proficient. Et sic etiam est intelligendum Auicennæ sententia: quia, etsi, forti existente dolore, tempore, quo facienda est euacuatio, optimū sit præcedere doloris mitigationem per anodina uocata remedia: tamen in illis non est diu immorandum: quia, etsi pro aliquo tempore dolorem mitigent, tamē, noua materia vi caloris attracta, dolorem postea magis augent: & ideo bonum est, facta doloris mitigatione, antequā iterum dolor exacerbetur, sanguinem mittere: quia tunc pars inflammata reuulsioni cedit, & minimè, ratione doloris, reluctatur. Sed non est rationi consentaneum asserere, hoc fuisse obseruatum in Anaxione, cum, iuxta istorum sententiam, Hippocrates tot diebus circa fotus, & doloris mitigationem fuerit occupatus, & postea octaua die venam secuerit. Nec etiam placet mihi Altimari, mei præceptoris, sentētia; qui in pleuritidis curatione vult, non esse necessarium in omni pleuritide sanguinem mittere, & purgare: quādoque enim ad curationem soli fotus sufficiunt: & ideo non est mirum, si Hippocrates tentauit solis fotibus curare Anaxionem: &, quòd quandoque fotus sufficiant, probat ex ipsomet Hippocrate, in secundo de ratione victus in acutis, vbi solis fotibus tentauit curare pleuritides: & clarius ex Galeno sexto Epidemion, vbi inquit, quandoque se curasse pleuritidem solis fotibus, & nulla alia facta euacuatione: & hoc modo processit Hippocrates in cura Anaxionis: sed, cum videret, quòd dolores non mitigabantur, & die sexta delirauit, & septima peius se habuit, ad aliud, magis effatu dignum, remedium deuenit; ad ipsam scilicet sanguinis missionem. Sed, si vera sunt, quæ prius diximus, positio ista non est recipienda: quando enim morbus, & inflammatio dependet ex magna causa, & ex plenitudine, vt dictum est, incipiendum est ab euacuatione, & non a fotibus; nisi ratione acerbi doloris, eo met tempore fiant, quo

Cōment. 3. Cōmen. 76.

Cōment. 2. Tex. 8.

Cōment. 3. Commento.

quo facienda est euacuatio; vt, parte non renitente, melius ad partem oppositam, & longinquam reuulsio fiat. Et tunc tantum incipiendum à fotibus, quando signa non adsunt, quibus, quòd morbus ab aliqua plenitudine fouetur, dignoscere valeamus: tunc enim per fotus, vel curabitur affectus, vel occulta manifestabitur plenitudo: & hac methodo Galenus processit in pleuritico, quem solis fotibus curauit: quia, vt ipse eodem loco inquit, pleuritis erat leuis. Stante igitur hac methodo, utique inscientissimus fuisset Hippocrates; si in curatione Anaxionis sperasset in solis fotibus. Dictum est enim ex Galeno, quòd ideò Hippocrates descripsit pleuritidem in Anaxione per signa propria, & non nominauit affectum: quia ex signis, cum determinatione apposita, habebamus non solum, quòd erat pleuriticus: sed etiam qualis esset pleuritis: erat enim magna, cum febris esset acuta, & dolor continuus: erat etiam mali moris, & maligna, quia tussis erat penitus sicca. Et, si ex signis habebat, affectum esse magnum, & malignum, non poterat, nisi ex magna causa, & ab humorum plenitudine originem ducere: & ideo, si supradictæ methodi non erat ignarus Hippocrates quo modo potuit, aut debuit, sanguinis missione derelicta, sperare in solis fotibus? Et ideo, saluo semper meliori iudicio, dicerem, quòd Hippocrates non solum in aliis sanguinem misit aliis diebus, & de hoc tanquam consueto in narratione non fecit mentionem: sed etiam in Anaxione sanguinem misit præcedentibus diebus, & solum de sanguinis missione in octaua diè fecit mentionem: quia habebat aliquid insueti, non quòd fuerit prima. Cum enim videret, quòd, etsi fuisset facta sanguinis euacuatio, adhuc fotus non iuuabant, maior enim fiebat attractio, quam discussio, & per hoc significabatur, quòd adhuc aderat in corpore plenitudo: & hac ratione motus Hippocrates, iterum in die octaua venam secuit, ex qua euacuatione dolores aliqua ex parte cessarunt; non quod fuerit educta materia in inflammatione contenta: hæc enim non poterat amplius retrocedere; sed fuit euacuata illa portio, quæ adhuc è venis non exciderat, & venas, in parte inflammata, & propè ipsam extendendo, dolores augebat: & ideo, ea educta, dolores ex parte cessarunt: quia remansit solus dolor, qui fiebat ex materia in inflammatione contenta. Sequuntur postea alia in Anaxione, qualiter scilicet vndecima die cępit expuere, morbo existente in principio: si enim aderat aliqua coctio, erat occulta, non manifesta. In decimaseptima vero cępit expuere concocta; & tunc incepit augmentum. Sed, cum dies decretorij non omnes habeant æqualē vim, non potuit in vigesima die succedere crisis perfecta, vt succedit in die septima, si apparent in die quarta signa coctionis, etiam debilia: & ideo iudicium factum in vigesima non fuit perfectum; quia remanserunt re

liquiæ, quarum ratione, etsi videretur liber à morbo, erat tamen siticulosus, & expuebat non omnino concocta: & quia, quæ relinquuntur, recidiuam faciunt, ideo die vigesimaseptima iterum rediit febris, & materia perfectè concocta, fuit postea in die trigesima quarta integrè iudicatus. Circa quæ multa essent consideranda, quæ sine decretoriorum dierum notitia minimè intelligi possunt: & ideo pro nunc ea prætermittimus: declarabimus enim alias, quæ ad dierum decretoriorum naturã, & ad crisim attinent. Et Galenus in Commento, post Anaxionis historiam, declarat multa de signis coctionis, quòd scilicet fuerint laudata in primo Epidemion vniuersaliter ab Hippocrate; & cum consideretur in excrementis, in secundo Prognosticorum particulariter laudat signa coctionis in vrinis, in alui excrementis, & sputis. Sed, cum hæc omnia videre liceat primo de crisibus, ideò, ne omnia in vno loco inculcemus, bona fronte prætermittimus.

APHORISMVS XIII.

Senes facillimè ieiunium ferunt: secundo loco qui ætatem consistentem habent: minus adolescentes: omnium minimè pueri, præsertim qui inter ipsos sunt viuidiores.

CVM declarasset Hippocrates, ꝙ ad victus formam instituendã oportet animaduertere futurum morbi vigorem, & futuras accessiones: & quo modo hæc sint præcognoscenda, docuerit in præcedenti Aphorismo: cũ declarasset etiam, quod sunt considerandæ vires, vtrũ possint, vel non possint sufferre: In hoc Aphorismo, vt perfectius possit victus ratio institui, iubet etiã considerandas esse ætates, corporumq; temperamenta: quia, etsi victus ratio principaliter sumatur a modo ipsius morbi, & virium robore, vt ex secundo de ratione victus in acutis, cum Galeno diximus: tamen, ꝙ ætas, temperamentum, & alia huiusmodi multum etiam iuuent ad victus exhibendi quantitatẽ, idem Galenus testatur eodem loco, & primo de ratione victus in acutis: cũ in diuersis ætatibus, diuersam cibi quantitatẽ exhibere oporteat: senes enim facillimè ieiuniũ ferunt, nõ sic consistentes, minus adolescẽtes, omniũ minimè pueri; vt in hoc Aphorismo docet Hippocrates. Sed, ad huius Aphorismi intelligentiã, oportet considerare, quid sit ætas, & quõ fit per ętates mutatio; deinde, quot sunt ætates; & vltimo, quomodo

Cõmen 36.

Cõmen. 45.

in illis

in illis verificentur, quæ dicta sunt. Quoad primũ, est sciendum, ex Galeno, primo de tuenda valetudine, quòd ætas, est quædam mutatio temperamenti, quæ fit temporis progressu: & dicitur mutatio temperamenti: quoniam ad ætatis mutationem, non sufficit pilorum generatio, corporis proceritas, & longitudo citò aduenieus, coloris mutatio, & alia huiusmodi: sed oportet, vt fit mutatio, & varietas in temperamento. Et ad hoc respiciens Galenus libro quinto, dicebat, senectutem esse frigidum, & siccum corporis temperamentum, ratione multitudinis annorũ proueniens: & mutatio debet fieri temporis progressu: si enim ob alias causas in primis ætatibus corpus fieret frigidum, & siccum; non propter hoc erit in ætate senectutis. Sed videamus, quo modo fit ætatum mutatio. & pro nunc paucis contenti erimus. in sequentibus enim, quando de innati caloris substantia erit sermo, omnia erunt lucidiora. Pro nunc autem dicamus, quòd, cum in nostræ generationis primordio, virtus formatiua deberet omnes corporis partes effingere; oportuit, vt ex humidis esset nostra generatio; vt generationis materia facillimè extenderetur, & ad quoduis esset sequax; vt patet ex primo de tuenda valetudine, & ex secundo de temperamentis. Sed, quoniam non par erat sic humida permanere nostra principia: quia, si sic permansissent, nec partes sicciores, vt ossa, & cartilagines, potuissent efformari; nec perfectum vnquam animal generari potuisset: est enim in partibus, quæ ad eius actiones perficiendas requiruntur, vt sint robustæ, necessaria quædam siccitas: & ideò nostris principijs iniectum fuit à principio elementum ignis in tãta copia, vt possit extendere, & exiccare, non tamen vreret. Et ideò videmus, in his, ex quibus a principio constat nostra substantia, calidum, & humidum abundare: humidum, vt sit aptum extendi, formari, & ad omnia sequax esse: calidum, vt effingat, formet, & exiccando humidum omnia construat. Et hoc calidum, quod in nostris primordijs a principio præualet, & ideò insitum, & innatum calidum appellatur; & idem est, iuxta Hippocratis sententiam, quod virtus formatiua, vt infra videbimus, incipit, humidum exiccando ex semine, & sanguine menstruo, ex quibus constat nostra substantia, partes in vtero matris effingere, quousque perfectus edatur fœtus, in quo, vt intueri licet, adhuc, propter nimiã humiditatem, caro est præhumida, & aliæ partes molles. Immò, vt dicebat secundo de temperamentis, in nuper natis ossa sunt veluti cerea, & quasi caseus nuper coagulatus: ita, vt obstetrices, ob ossium mollitiem, membra accommodent, & quò volunt ducant: deinde, temporis progressu, siccius semper redditur corpus, & partes fiunt solidiores, & ad actiones magis robustæ: demum, procedente tempore, & calido semper exiccante, tanta sequitur siccitas, vt non solum ossa reddantur siccissima,

Quid sit ætas. Cap. 2. et 3.

Cap. 9.

Quomodo fit mutatio per ætates.

Cap. 2.

Cap. 2.

Cap. 2.

ſima,& aliæ partes ſiccæ;ſed caro efficitur minor,& corpus redditur macilentum,& rugoſum; &, aucta magis ſiccitate, tandem ſequitur mors, quæ eſt ineuitabilis: quoniam,temporis progreſſu,ex his,quæ nobis cõgenita ſunt,ducit originem,vt habemus primo de tuenda valetudine.Et ex hac temperamenti mutatione,quæ fit temporis progreſſu,antiqui,volentes manifeſtas exprimere varietates,quæ in vita contingunt,introduxerunt ætates. Sed circa earum numerum magna fuit inter doctores diuerſitas.Sed,relicta eorum ſententia,qui ætates referunt ad planetas,& eorum,qui eas referunt ad numerum, & per ſeptenarios ætates diuidũt, de illis,habito reſpectu ad calidi in humidum actiones, diſſeremus:& iuxta varietatem humidi, & calidi, ætates diſtinguemus: ætas enim eſt mutatio in temperamento,vt dictum eſt.Et animal nunquam reperitur ad actiones magis aptum,quam in vigore: eouſque enim ſemper augetur,& perficitur, quia in tempore præcedenti abundat quodammodo humidum,quod pro futura auctione erat neceſſarium.Galenus tenet, ꝙ vſque ad vigorem corpus non mutatur in calido,& frigido: quia calidũ vſque ad illud tempus,ad ipſam ſcilicet iuuentutem, ſimile perſeuerat: eſt enim eadem copia caloris in primis ætatibus, & in iuuentute; differens ſolum qualitate; cum in pueritia ſit magis mitis,& ſuauis; in iuuentute magis acris,& mordax: quod ex ſubiecti prouenit diuerſitate:quoniam in pueritia ſubſtantia eſt magis humida,& in iuuentute magis ſicca.Et,ſi calidum illuc vſque ſimile perſeuerat,& ętas eſt mutatio temperamenti,totum tempus, iuuentutem præcedens,eſt diſtinguẽdum penes humidi, & ſicci varietatem: & aliqui totum illud tempus vocauerunt adoleſcentiam: cum per totum illud tempus animalia augeantur, & creſcant.Et,iuxta Galeni ſententiam,tempus, quod præcedit iuuentutem,quæ incipit anno vigeſimoquinto,vt nunc dicemus,diſtinguitur in tres partes,quarum prima dicitur pueritia, & ſe extendit vſque ad decimum tertium,vel decimumquartum annum: quoniam,teſte Galeno ſexto de tuenda valetudine, & idem aſſerente tertio Aphoriſmorum, ætates non poſſunt annorum numero recte circunſcribi,cum in diuerſis tẽperamentis diuerſimodè ſe habeant: quia poſt pueritiam ſuccedit pubertas,quæ eſt,quando homines incipiunt ſemen emittere:quod aliquibus citius, aliquibus tardius ſuccedit: & totum tempus præcedens eſt pueritia,quę ab Hippocrate tertio Aphoriſmorum diuiditur in quatuor partes,& hæc ætas eſt omnium humidiſſima: minus humida eſt,quæ ſequitur,& dicitur pubertas, quæ, quamuis dicat quandoque Galenus, ꝙ extenditur vſque ad annum vigeſimumquintum,tamen tunc ſub pubertate includitur etiam addoleſcentia:& ſic de pubertate loquitur quinto Aphoriſmorum: ſed propriè dicitur pubertas ab anno decimoquarto ad deci-

Cap. alleg.

Quot ſint ætates.

Cap. 2. Cõmen. 27

Apho. 24. 25. 26. & 27.

Cõmen. 7.

ad decimumoctauum, & ab hoc ad vigesimumquintum dicitur adolescentia: quoniam tunc manifestissime augentur, vt habemus quinto Aphorismorum: & ætates istæ differunt per maiorem, aut minorem humiditatem. Et sic habemus tres ætates: prima est Pueritia, quæ durat vsque ad decimumquartum: secunda est Pubertas, quæ durat vsque ad decimumoctauum: & tertia est Adolescentia, quæ durat vsque ad vigesimumquintum annum. Succedit postea Iuuentus, quæ est ætas vigoris, & à Græcis dicitur ἀκμὴ, quia tunc actiones vigent, & perfectæ sunt: & hæc ætas terminatur ad quintam septimanam, idest ad annum trigesimumquintum, vt asserit Galenus tertio Aphorismorum. Succedit postea illud tempus, quod sequitur Iuuentutem, quod non solùm penès humidum, & siccum, sed etiam penès calidum, & frigidum per ætates distinguitur. Etenim, cum vsque ad iuuentutem multa fuerit facta humidi exiccatio, si postea humidum magis exiccatur, deficit caloris pabulum, & sic incipit etiam calidum deficere: & corpus, non solùm ratione continuæ exiccationis, tendit ad siccum, sed etiam ratione deficientis caloris, vergit ad frigidum: & hac ratione totum tempus, quod iuuentutem sequitur, est frigidum, & siccum, vt habemus loco allegato. Est tamen verum, quòd hic caloris defectus, & à vigore declinatio, in quibusdam annis non est manifesta, sed ferè insensibilis; & sic describitur quinta ætas, quæ terminatur ad septimam septimanam, idest ad annum quadragesimumnonum, quæ habet diuersa nomina: quoniam, quatenus videtur ad sensum permanere, & à perfectione non cadere, dicitur καθεστηκυῖα, idest ætas constantiæ, potiùs, quàm consistentiæ: consistere enim propriè attinet ad ætatem iuuentutis: quatenus verò in rei veritate hoc tempore incipit declinatio, dicitur παρακμαστικὴ, vel παρακμὴ, idest declinãs, vt habemus tertio Aphorismorum, & quinto de tuenda valetudine: & in hac ætate homines possunt sua munia exercere, & in actionibus resistunt, quamuis non vt iuuenes: dicitur etiam hæc ætas ἀνδρεία, idest virilis. Succedit sexta, & vltima ætas, quę dicitur Senectus, in qua corpus manifestè labitur ad frigidum, & actiones sunt imbecillæ; & hæc, iuxta Galeni sententiam, diuiditur in duas partes, in quarum secunda tanta est virium imbecillitas, vt nec mouere se valeant: & dicitur Decrepita, quemadmodum prima, dicitur propriè Senectus, & iuxta hunc ordinẽ ætates sunt sex, Pueritia, Pubertas, Adolescentia, Iuuentus, Aetas constantiæ, & Senectus. Sed circa senectutem est difficultas: quia Galenus aliter ipsam diuidit in hoc Commento, aliter in quinto de tuenda valetudine: ibi enim ipsam diuidit in tres partes: & prima, inquit, quòd dicitur cruda, viridisque senecta; secunda dicitur senectus media; & vltima dicitur decrepita: & senes, in hac vltima parte, dicuntur πέμπελοι,

Cõmen 9.

Cõm. 30.

Loco alleg.
Cap. vlt.

quod

quod ad pompā, & funeralia sint opportuni. Et quidam dixerunt, quòd parum refert, siue senectutem in tres partes diuidas, siue in duas: quia, quādo Galenus eam diuisit in duas, inclusit in prima parte tum crudam viridemque senectam, tum etiam mediam. Sed, contra hanc positionem tenent aliqui, quòd cruda senectus in hoc Aphorismo non includatur in ætate senectutis, sed est idem, quod ætas constantiæ, in qua adest declinatio, sed non manifesta: &, quòd hoc sit verum, probant ex Galeno, qui idem dicit de crudis senibus, quinto de tuenda valetudine; quod dixerat de his, qui sunt in ætate consistentiæ in tertio Aphorismorum; quòd scilicet sint ad omnes actiones idonei; & quòd possint ciuilia negotia obire. Preterea, est locus pulcherrimus secundo Prognosticorum, vbi Galenus ponit, inter ætatem iuuentutis, & senilem semicanos, crudosque senes: & inter illas, in hoc Commento, collocatur ætas constantiæ: ergo idē sunt semicani, crudique senes, & qui sunt in ætate constantiæ. Et, quamuis priores, in nouis suis lucubrationibus, suam positionem defendere conati sint: tamen, vt consideranti patere potest, in rationum solutione, fuga potius, quam vera solutione vti videntur. Et ideò nos, animaduertētes, quæ Galenus asserit in libro de marasmo, vbi ex proposito tractat, quid sit senectutis principiū, & inquit, quòd est, quando incipiunt abundare excrementa, & quòd de istis senibus verificetur dictum Homeri: *Vt lauit, sumpsitque cibum, det membra sopori*: quæ conuenire non crudis senibus, sed medijs, dixit quinto de tuenda valetudine; & in libro de marasmo inquit, quòd ætas, quæ præcedit senectutem, dicitur ætas declinantium, quæ eadem est cum ætate constantiæ. Ideò, saluo semper meliori iudicio, tenemus, quòd cruda, viridisq; senecta sit idem, quod ętas constantiæ, quę in hoc Aphorismo ponitur secundo loco sufferre ieiunium; & hi non immerito dicuntur senes, quia iam à vigore declinant: dicuntur verò crudi, quia ferè, vt iuuenes, adhuc omnes operationes exercent: & dicuntur semicani, quia homines eo tempore canescere incipiunt. Et hæc de ætatibus dicta sint.

Cōmen. 69.

Et ad Aphorismi expositionē accedamus: cuius intellectus erit facilis, si duo prius explicauerimus. primum est, quòd per ieiunium possumus intelligere vel omnimodam inediam, vel ciborum paucitatem: sic etiam ferre ieiunium consistit in duobus: scilicet, quòd ieiunium melius tolerent, & quod ex eo non offenduntur: cum dari possint aliqui, qui diu ferunt ieiunium, sed ex eo multum offenduntur, vt corpora picrochola, in quibus, ob intemperiem calidam, & siccam, non multa sit appetentia: & sic facillimè ferunt ieiunium, sed ab eo multum læduntur, quia talia corpora alimentis oportet humectare; vt habemus secundo de ratione victus in acutis, & decimo Methodi. Inquit ergo Hippocrates; *Senes facillimè*

cillimè ieiunium ferunt: inquit Galenus in Cōmento, Si per ieiunium intelligimus omnimodā inediam, debemus per ſenes intelligere, non decrepitos, ſed primos ſenes: quia de illis tantum verificatur, quòd facillimè poſſint inediam ferre: ſi enim hoc volumus ampliare etiam ad decrepitos, ſententia erit falſa: quia iſti ſunt veluti lucerna, quæ eſt propè extinctionem, quæ indiget continua, & paulatim facta olei ſuperinfuſione: etenim, ſi affatim oleum infundatur, lumen extinguitur. Sic ſunt decrepiti, qui indigent paulatim facta, & continua cibi adiectione, vt calidum, quod ſupereſt, poſſit ſubſtentari. At, ſi per ieiunium intelligimus ciborum paucitatem, verificabitur aphoriſmus de vtriſque ſenibus: quoniam, etſi decrepiti indigeant continua refectione, tamen debet eſſe paucorum ciborum, aliter calidum innatum extingueretur. Et ipſi ſenes facillimè ferunt, ieiunium, tum quia non multum appetunt, tum etiam, quia, ſi cibos non aſſumunt, nulla ſequitur noxa. *Non multum appetunt*: quia famem præcedunt illi motus, quos ex Galeno ſuperius expoſuimus: primum enim corpus ratione caloris, qui humidum ſemper conſumit, inſenſibiliter euacuatur, cuius ratione membra attrahunt à venis: venæ à iocinore, & ventriculo, ibi poſtea fit ſuctio, ad quam ſequitur triſtis ſenſatio, & inde appetentia: in ſenibus non multa fit appetentia: quia in eis non fit triſtis ſenſatio, & ſuctio effatu digna: cum enim, ob imbecillitatem caloris, membra non multum euacuentur, non multa etiam fit attractio. Et ſic non eſt mirum, ſi multa non excitabitur appetentia, & ſi abſtinent à cibo, non multum ſequitur nocumentum. Nam, cum inſtitutum ſit à natura alimentum, vt reparando inſtauret, quod continuè conſumitur, & parum ſit illud, quod conſumitur in ſenibus, per conſequens in eis non eſt tanta alimenti neceſſitas: alimentum enim (vt habemus in ſequenti Commento) debet proportionari ei, quod diſſflatur: & hoc, paucum eſt in ſenibus, tum ratione imbecilli caloris, qui non poteſt multum de humido conſumere, tum ratione ſubſtantiæ ipſorum, quæ eſt admodum ſicca, & non ſic diſſlabilis: & hac etiam ratione, ex non aſſumpto cibo, paucum, aut nullum ſequitur nocumentum. At in pueris, horum omnium contraria exiſtunt: eorum enim ſubſtantia humida eſt, & facilè in habitum diſſlabilis: & ideò in illis multa inſenſibiliter fit euacuatio, eo magis, quòd, vltra quòd ſubſtantiam habent molem, & facile diſſlabilem, plurimo abundant, calore, qui multum talis ſubſtantiæ, pauco tempore, eſt aptus diſſipare, & conſumere: & ſi alimentū inſtitutum eſt, vt quod quotidie diſſlatur, inſtauret, multa erit in eis alimenti neceſſitas: &, ſi ab eo abſtinent, magnū ſequitur incō modū: quoniā, vt habebimus in ſequenti Aphoriſmo, quādo, calido

Apho. 3

exiſten-

existente plurimo, humidum nutrimentale non subministratur, fit con sumptio humidi natiui, & citissimè corpus absumitur. Ætates medię ma gis, vel minus ciborum abstinentiam, & ieiunium ferũt, ratione, qua ma gis, vel minus ad senectutem, vel ad pueritiam accedunt: & ideò, qui sunt in ætate constantiæ, post senes facilè respectu aliarum ætatum ieiunium ferunt: sed non vt senes: post eos, qui sunt in ætate constantiæ, nu merauit Hippocrates, adolescentes, quos dixit minus ferre ieiunium: & omnium minimè pueri, ob causam prius dictam. Sed, quia erat dubitatio, quare reliquerit ætatem iuuentutis, ideò Galenus inquit, quòd eam dereliquit, quia poterat ex dictis subintelligi: quemadmodum enim iuuentus est media in ordine, ita est media circa facile, aut difficile ferre ie iunium: non enim facile fert, vt senectus, & ætas constantiæ; nec diffici lè, vt adolescentia, & pueritia. Et si aliquis instaret. Si tanta est caliditas in iuuene, quanta in puero: ergo debent iuuenes difficilè ferre ieiunium, vt pueri. Ad hoc dicendum, quod, quamuis in vtrisque æqualis sit calidi tas, tamen non sit æqualis in vtrisque consumptio: caliditas enim puerorum est fundata in substantia humida, & facilè euaporabili: substantia verò iuuenum est siccior, & non adeò facilè euaporat: &, cum alimen tum debeat proportionari ei, quod difflatur, non erit in iuuentute, quã ta in pueris, alimenti necessitas, qui ob dictas causas multum indigent. Et subiungit Hippocrates: *Maximè, qui inter eos sunt viuidiores, siue alacriores; siue, animosiores.* Hæc enim omnia potest Græca dictio προθυμότεροι, significare: in quibus verbis, mira quadam, & ineffabili breuita te, declarat, in victus ratione instituenda, non solum esse considerandas ætates, sed etiam temperamenta: ea enim ratione, qua in ætate calida, & humida, maior est, quàm in frigida, & sicca, alimenti necessitas: eadem etiam in calida, & humida temperatura, maior erit necessitas, quam in frigida, & sicca, vt habemus primo de ratione victus in acutis. Et ideò, si in pueris non licet adeò, vt in alijs, victum attenuare: quia tum omnimodam inediam, tum ciborum paucitatẽ difficile ferunt: multo minus licitum erit adeò attenuare, si victitandus puer fuerit calidi temperamẽti, cuius signum est, si fuerit viuidior, & cæteris animosior: quia hoc sequitur, ad calidi cordis temperamentum; vt habemus secundo artis me dicinalis. Et est animaduertendum in hoc loco, quòd, quamuis ætas, vt diximus, sit mutatio temperamenti, tamen alia est, quæ sumitur ab ætate; alia, quæ sumitur a temperamento, indicatio; vt in hoc Aphorismo innuit Hippocrates: temperamentum enim vniuscuiusque, quod propriè dicitur Idiosyncrasia, est constitutio illa, quę a principio generationis cuique indita fuit, resultans ex elementorum mistione, cuius ratione hoc dicitur magis calidum, hoc frigidum, hoc temperatum: sed, cum in

Cõmen.44.

Tex. 35. & 40.

lucem

lucem editur fætus, qualiſcunque fuerit, temporis progreſſu ſuſcipit mu tationes in temperamento, quæ per ætates accidunt: nō ob id tamen proprium temperamentum remouetur: ſed hoc pacto remanet: quoniam, quando à principio habuit plus de calido, in pueritia erit calidior cæteris pueris, in adoleſcentia cæteris adoleſcentibus, ſimiliter in iuuentute; & tandem in ſenectute, quamuis corpus redactum ſit frigidum, & ſiccum, tamen erit adhuc calidior cæteris ſenibus. Et ideò alia eſt indicatio ab ętate, alia à temperamento: quamuis poſtea poſſit dari temperamentum aſcititium, à quo ſumitur alia indicatio, cum ſit alia natura; & eſt ipſa conſuetudo. Sed de hoc alias. Et, antequam ad alterius Aphoriſmi expoſitionem accedamus, vt nihil deſideretur, doctrinæ bonitas requirit, vt conſideremus, quid, & quo modo conferant ad victus rationem, & curationem, ætas, temperamentum, conſuetudo, & alia huiuſmodi. Et hæc perſcrutatio erit vtiliſſima: tum, vt perficiamus, quæ de indicationibus tractare cœpimus: tum etiam, vt apparentem in Galeni doctrina contradictionem remoueamus: etenim ſupra etiam diximus, quòd videtur multoties ſibi pugnare, cum aliquando aſſerat, hæc omnia indicare, vt octauo Methodi, & colligitur etiam ex hoc loco; aliquando verò aſſerit, hæc nullo pacto indicare, vt quinto de tuenda valetudine, vbi inquit, quod ab iſtis nullum indicatur vtile remedium ad curationem: & primo de ratione victus dicebat, quòd iſta primo, & per ſe nō iuuant ad victus rationem inſtituendam. Hinc Argenterius latrādi occaſionem ſuſcipit contra Galenum, inquiens, quòd ſibi pugnet, quòd ſuis principijs conſentanea non doceat; & quòd eadem ſemper principia non ſeruet; & alia huiuſmodi. Sed nos, ſtando in his, quæ in præcedentibus declarauimus, dicimus, quòd indicatio quandoque ſumitur propriè, & tunc fit ſolum per contrarium: quoniam eſt comprehenſio eorum, quæ iuuant, ſimul cum comprehenſione illius, quod nocet: & talis comprehenſio oritur ex ipſamet rei natura: & ideò fit ſinè ratiocinio, & obſeruatione: & eſt etiam aſinis nota: & ſic eam accipiebat, ac definiebat Galenus libro de optima ſecta. Et ſic, accipiendo indicationem, cum fiat per cōtrarium; & unum vni eſt contrarium: ſequitur, quòd vnum non poteſt indicari, niſi ab vno; & illud ſemper vnum, & idem indicabit: & hac ratione morbus, & morbi cauſa ſemper indicant, vt ſunt pręter naturam, ſui ſublationem, & curatio ſemper indicatur a morbo: præſeruatio ſemper indicatur a cauſa: & curatio, quæ eſt miſta præſeruationi, indicatur ab vtroque. Virtus verò ſemper indicat ſui cuſtodiam; & ſic indicat alimoniam: & virtus conſideratur in curatione, non vt principaliter indicans, ſed vt contraindicans, & potens impedire Sic etiam morbum conſideramus in cibatione: ipſum enim ſemper tanquam alimoniam prohiben-

Ad quid cō fert indicatio ab ætate conſuetudine, & ſimilibus.

Cap. vlti.

Cap. 9.

Cōmē. 45.

Cap. 11.

Apho. 4. et 10. hibentem contemplamur, vt in præcedentibus exposuimus. Et hoc pacto accipiendo indicationem, nec ab ætate, nec à temperamento sumitur indicatio: sic etiam consuetudo, tempus, anni, regio, cœli constitutio, & partis affectæ natura, formatio, situs, & huiusmodi hoc pacto nihil indicant, nec in curatione, nec in conseruatione. Sed, vt prius diximus, in libro Methodi sumpsit indicationem non sic arctè, & propriè, sed pro omni eo, quod iuuat ad curationem, siue principaliter indicet, siue contraindicet: siue faciat ad remediorum inuentionem: *Cap. 7.* & huius ampliationis licentiam sumpsit nono Methodi. &, quoniam omnia dicta iuuant ad remediorum inuentionem, ideò ab omnibus sumpsit indicationem. Sed octauo Methodi innuit, quòd indicatio, quæ sumitur à principaliter indicantibus, est per se: ab istis verò sumitur indicatio secundario, & per accidens: & indicationem sic largè sumptam *Apho. 10.* definiuit secundo Methodi, vt superius differuimus: & ideò non est mirum, si quandoque reperitur, eum dixisse, hæc indicare, & quandoque negasse. Sed, vt exerceamur in his, quæ arti vtilia sunt: videndum est, quo modo ætas, temperamentum, & alia, siue indicent, siue non, iuuent ad curationem, & ad victus rationem instituẽdam: & primò, quomodo iuuent ad curationem. Dictum est in præcedentibus, quòd curatio indicatur à morbo; &, si morbus est cum causæ pręsentia, indicatur etiam à causa; sed tunc dicitur curatio largo modo, quæ simul curationem, & *Cap. 3.* præseruationem includit, vt habemus vndecimo Methodi, & virtus in curatione propriè non indicat, sed consideratur, vt contraindicat, & potest impedire. Curatio verò, quæ à morbo indicatur, efficitur per contrarium, & non debet esse quodcunque: sed oportet, vt sit æquale in gradu: morbus enim calidus, vt duo, debet remoueri per frigida, vt duo: Et sic non solum oportet scire, quod contrarium est adhibendum: sed cõ *Cap. 11.* trarietatis etiam mensuram: quia, vt habemus nono Methodi, si in affectu calido applicabis remedia frigidiora, quam oportet, non solum curabis affectum calidum, sed etiam affectum frigidum introduces: si verò applicabis minus frigida, quam fuerit necessarium, non sufficient ad affectus curationem. Et ideò, vt exquisitè remedij, & contrarij habeamus mensuram, cognoscere oportet affectus curandi quantitatem: sed tantus est morbus, quantus est recessus à naturali habitu: & sic oportet cognoscere naturalem habitum illius, antequam ægrotaret, & cuius erat temperamenti. Et, quoniam inter ea, quæ temperamentum dignoscere faciunt, multum conferunt ætates, cum fiant per temperamenti mutatio*Cap. 17.* nem: ideò, vt optimè inquit nono Methodi, vltra temperamentũ, iuuat etiam ætatis consideratio, non quod hæc primo remedia indicent, sed quia iuuant ad morbi quantitatem dignoscendam, & per consequens

ad remediorum applicandorum mensuram, & inuentionem. Et hac ratione, dicebat Galenus quinto de tuenda valetudine, quòd iuuant tantum ad morbi cognitionem, veluti causa procathartica; quæ, vt dicebat quarto Methodi, non debet considerari vt indicat ad curationem: quia iã abijt, & ab eo, quod non adest, nulla sumitur indicatio: sed debet considerari quatenus facit ad morbi dignotionem: & eodem modo consideranda est ætas, & temperamentum, vt dictum est: & sic habemus, quo modo hæc iuuent in curatione ex parte morbi. Iuuant etiã ex parte virtutis, tum in curatione, tum etiam in indicando alimoniam: quia, quamuis alimonia indicetur à virtute, tamen consideramus etiam ætatem, & temperamentum: hæc enim cum alijs huiusmodi faciunt ad exquisitam virium cognitionẽ. Hac etenim ratione in pueris non adeò tenuiter nutrimus: quoniam eorum substantia facilè difflatur, & dubitamus, ne ex continua difflatione in summam incidant imbecillitatem: quod non est timendũ in habente carnẽ densam, & non adeò euaporabilẽ: & ideò in eo victum attenuando, non sumus adeò dubij de virium iactura. & Galenus dicebat primo de ratione victus in acutis, quòd Hippocrates quandoque sola contentus fuit virium consideratione, quandoque verò addidit ætatem, & alia, vt faciunt ad exquisitam virium cognitionem. Et dicebat nono Methodi, pueros non adeo euacuamus, vt alios: quoniam, cùm eius substantia continuo dissoluatur, timemus de maxima virium iactura. quia non solum oportet considerare vires quales sunt; sed etiam quales futuræ sunt post euacuationem; quemadmodum vndecimo Methodi scriptum reliquit. Et hac eadem ratione, in æstate, in qua ob nimium calorem corpora dissoluuntur, parciùs euacuamus; timentes, ne ex tot euacuationibus vires infirmentur. Et sic patet, qualiter iuuat ætas, temperamentum, & alia, ad virium tenorem dignoscendum; & ab ipsis postea metimur tum ciborum quantitatem, exhibendo tantum alimenti, vt virtus vsque ad morbi solutionem possit sufferre: tum etiam euacuationis mensuram: euacuando iuxta virium tolerantiam. Vt iam pateat, quòd, quamuis illa non per se primò, & principaliter indicent: tamen secundariò, & per accidens indicant; quatenus iuuant ad exquisitam cognitionem eorum, quæ principaliter indicant: & sic iuuant ad remediorum inuentionem. Et hæc de hoc Aphorismo dicta sint.

Cap. 9.

Cap. 3.

Comm. 45.

Cap. 17.

Cap. 13.

APHORISMVS XIIII.

Qui crescunt, plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento: alioquin corpus absumitur. Senibus verò parū calidi innati inest: paucis propterea fomitibus egent, quia à multis extinguuntur. hanc etiam ob causam febres senibus non similiter acutæ fiunt: frigidum enim eorum corpus.

GAlenus in hoc, & præcedenti Commento asserit, quòd Hippocrates in hoc Aphorismo assignat rationem, & causam eorum, quæ dixerat in præcedenti: quare scilicet senes facillimè ieiuniū ferunt, non sic adolescentes, & omnium minimè pueri. Et omnia refert ad calidi natiui copiam: quoniam, qui plurimum habent huius caloris, plurimo indigent alimento: sed, qui crescunt, caloris natiui habent plurimum: hinc sequitur, quòd plurimo egent alimento: &, nisi exhibeatur, maximum sequitur detrimentum: quia per calidi natiui actionem, humidum semper consumitur: &, nisi interni humidi cōsumptio per humidum alimentale reparetur, primogenium humidum dissipatur: & corporis substantia contabescit. Inquit enim Philotheus, quòd calidum innatum semper est occupatum in agendo; &, non suppeditato alimento, corporis substantiam depascitur. Et ideò, vt in his, qui crescunt, consumptionem reparemus, multum debemus adhibere alimentum: nō sic in senibus, quibus parum calidi innati inest: & ideò pauca fi consumptio, & ex consequenti pauca debet fieri per alimēta reparatio: si hæc pro eius, quod continuè dissipatur, instauratione deseruiunt. Et, si senibus multum exhibetur alimentum, non solum non augebitur calidi innati substantia, sed potiùs extinguetur: eorum enim calor, vt Galenus inquit, assimilatur lumini, quod est propè extinctionem, ad cuius conseruationem oportet paulatim oleum apponere; &, si affatim, & cōfertim superinfundas, lumen extinguitur: sic in senibus humidum nutrimentale, exteriùs exhibitum, debet eorum calori proportionari, aliter à multo suffocabitur. Et hoc ad maiorem euidentiam Hippocrates probat à signo, inquiens: Et propterea rarò senibus febres acutæ fiunt: frigidum enim eorum corpus: & hoc est signum, quòd senes parum habeant calidi innati: quia, vt inquit Galenus in Commento, febris est cō-

uersio natiuæ caliditatis: & ideò, vbi natiua caliditas est pauca, pauca & fieri potest conuersio; &, si quandoque fit magna, arguit fortissimam causam; & omnino ex ea senes pereunt: nunc enim morbus est maximus, cum maximus sit à naturali habitu recessus: non sic in iuuenibus, quia magnum calidum facilè in immensum attollitur. Et ideò, cum senes frigidum habeant corpus, & per consequens ab acuta febre valde remotum, rarò in illam incidunt: & maxime, quia in eis nõ solum substantia innati caloris est pauca, sed etiam caloris qualitas est diminuta; ut utraque ratione acutis febribus non sint sic obnoxij. Quia, quamuis iuuenes non habeant tantam, quantam pueri, innati caloris substantiam: tamẽ ad febres acutas sunt magis parati, quàm illi: caliditas enim iuuenum etsi sit æqualis cum caliditate puerorũ, tamen est magis acris, & mordax, & sic ad febres magis opportuna. Et hæc, quò ad crassam literæ intelligentiam. Sed, exquisitiùs ponderando singula, verba omnia consideremus. *Qui crescunt*. Per eos, qui crescunt, voluit intelligere, non solum pueros, sed etiam puberes, & adolescentes, qui omnes crescunt. Est tamen verum, quòd, cum substantia natiui caloris semper à primis generationis nostræ primordijs vsque ad finem exiccetur, & consumatur, aphorismus verificatur de omnibus crescentibus, sed magis de illis, qui sunt ortui, & suæ generationi propinquiores: quoniam in eo, qui hodie natus est, verificatur, quòd plurimo abundat calore, & magis, quàm quolibet tempore subsequenti, ut habemus libro contra Lycum. Et dixit, *Qui crescunt*: cum uellet causam pauci, aut multi alimenti ad calidi natiui copiam referre: ut innueret, quòd hoc calidum est causa augmenti in primis ætatibus: immo, ut inquit Galenus octauo de placitis, & Commento sequenti, hoc calidum est omnium naturalium actionum causa, & auctor: neque enim aliud à principio efformauit, postea adauxit, & usque ad mortem enutriuit, nisi hoc calidum. Dixit etiam, *Qui crescunt*, ut tacitè innueret, ob hoc etiam in istis esse maiorem alimenti necessitatem: quia deseruire debet non solum ad reparandum, quod dissoluitur, & sic pro nutritione, sed etiam pro augmentatione: propter hoc enim, quòd in primis ætatibus augeri debent corpora, ideò tunc maximæ fiunt coctiones, ut habemus libro de usu pulsuum, & etiam de mente quorundam in libro secundo de temperamentis. *Plurimum habent innati caloris*. Vt hæc intelligantur, est notandum, quòd calidum, vt inquit Galenus in Commento, potest duo significare: quandoque enim significat ipsam qualitatem, quæ propriè dicitur caliditas: quandoque verò significat ipsam substantiam calidam: & hoc Theophrasti auctoritate declarat. Ideò est uidendum, quid hìc intellexerit per calidum & (quicquid dixerint multi) Galenus tenet, quòd

Cap.7.

Cap.7.

Cap.7.

Cap.2.

per calidum non intelligit qualitatem, ſed ſubſtantiam calidam: quia ſubſtantia caloris innati eſt maior in pueris, quàm in alijs: & hac ratione dixit *Plurimum*, & non *Magis*: vt denotaret, ſe non loqui de qualitate, ſed de caloris ſubſtantia: non quod etiam qualitas innati caloris non reperiatur magis in eiſdem, quàm in alijs: ſed hic voluit præcipuè intelligere caloris ſubſtantiam. Lycus verò, vt in libello contra ipſum aſſerit Galenus, dicebat, calidum poſſe dici trifariam: vno modo, quo ad ſubſtantiæ quantitatem: alio modo, quo ad qualitatem: & tertiò, ac vltimò, quo ad facultatem. Et, ſi Hippocrates intellexit ſubſtantiam caloris, nihil dixit: quia non eſt verum, quòd ſubſtantia innati caloris ſit maior in pueris, quàm in iuuenibus, & ſenibus: immo eſt totum oppoſitum: cum in illis ſit maior corporis moles: & innatum calidum per totam corporis molem eſt extenſum. Si etiam intellexit qualitatem, aberrauit: tum quia abuſus eſt nominibus: non enim debuiſſet dicere, *Plurimum habent calidi innati*: ſed Magis: tùm etiam, quia ſic falſa eſſet eius ſententia: quoniam caloris qualitas eſt maior in iuuenibus, quàm in pueris. Et ſic oportet fateri, quòd per plurimum calidi intellexit maius quo ad uires, & facultatem: in pueris enim calidum vehementius operatur, quàm in cæteris: &, ſi hoc voluit, vera eſt eius ſententia: ſed abuſus eſt nominibus: quia non debuiſſet dicere, *Plurimum habent calidi*: ſed, Calidum innatum habent validiſſimum: etenim calidum poteſt eſſe validiſſimum, & non eſſe plurimum. perficere enim actiones in corpore attinet ad moderatum calorem, & non ad plurimum, & uehementem. Hæc Lycus. Contra quem Galenus in eo libello multa dicit; & præcipuè, quia non intellexit, quid uoluerit Hippocrates per Calidum innatum: quoniam, ſi hoc intellexiſſet, non dijudicaſſet eius ſubſtantiam à corporis mole magna, vel parua: quia oportet conſiderare calidum innatum in ſe, & reſpectu eorum, quæ ſunt aduentitia, & non innata. Calidum nanque innatum, quod archigonon, ideſt primogenium ab Hippocrate dicitur, nihil aliud eſt, niſi illud, ex quo primo conſtat noſtra ſubſtantia: & hæc à principio generationis conſtat ex ſemine, & ſanguine menſtruo. & hæc duo ſunt noſtræ generationis principia: & non licet inuenire tertium, vt inquit eodem loco. Et, quamuis poſſent aliqui dubitare, quia Galenus in ſequenti Commento inquit, quòd noſtra ſubſtantia conſtat ex tribus: ex ſpiritu ſcilicet, aerea humiditate, & ſanguine menſtruo: tamen non docet quid diuerſum: quoniam duo ſunt primordia: ſed poſtea ſemen ſubdiuiditur in ſpiritum, & aeream humiditatem, vt patet etiam ex eodem libello: & diuiſit ſemen in duo: quia inter omnia ſpiritus ſe habet vt efficiens: ſemi-

Cap. 6.

Calidũ innatũ quid ſit.

nalis

nalis vero humiditas, & sanguis menstruus se habent vt materia: vt infra clarius demonstrabimus. Sed, cum semen, & sanguis menstruus, ex quibus constat nostra substantia, sint calida, & humida: hæ enim qualitates in vtroque præualent: cum hoc tamen, si ad inuicem comparantur, semen respectu sanguinis menstrui est calidum, & siccum, & sanguis menstruus respectu seminis est frigidus, & humidus; vt habemus primo de tuenda valetudine: & postea temporis progressu tum calidum dissipatur, tum humidum consumitur. Et sic, etsi in primis ætatibus corporis moles augeatur, & partes fiant robustiores, tamen non propter hoc habent aut æquale, aut maius innatum calidum, quam prius: quia, cum eius substantia consistat in calido, & humido, tanto minus de innato, & magis de ascititio calore corpus habet, quanto magis exiccatur: humida enim est caloris innati substantia: ascititij verò sicca. Et ideò, cum à principio etiam ossa videantur sanguinea, & veluti cerea, & partes omnes molles, non debemus dubitare, tunc plurimum adesse innati caloris. In iuuentute verò partes effectæ sunt sicciores: quia, etsi abundet tunc calor ascititius, tamen non est eo tempore tanta innati caloris copia: quod cognosci potest ex diuersis qualitatibus: qualitas enim caloris natiui est mitis, suauis, iucunda, & vaporosa: ascititij verò est acris, mordax, fuliginosa, & sicca: vnde calor puerorum habet qualitatem multò mitiorem, blandiorem, & iucundiorem, ea caloris qualitate, quæ est in iuuenibus, quæ est quodammodo acris, & mordax, & calori febricitantium ferè similis. Et ex his possumus dicere ad Lycum, quòd substantia innati caloris non est diiudicanda ex corporis mole: sed per comparationem ad ea, quæ non sunt innata, sed ascititia. Et stando in his principijs, patet, quòd non solum substantia innati caloris est plurima in his, qui sunt propè suę generationis principium: sed etiam qualitas est maior: quia, etsi in iuuenibus caliditas sit acrior, & mordacior, tamen hæc qualitas non est propria innati caloris: debet enim esse mitis, vaporosa, iucunda, & suauis; & hæc absque dubio reperitur maior in pueris, & maximè in nuper natis. Et ex hoc sequitur, quòd in pueris etiā quoad facultatem calidum innatū est valentius: ob id.n.ꝙ eius substãtia in pueris est plurima, & qualitas mitis, maior, sequitur, ꝙ valentius ēt operetur: & hac ēt rōne, tū auctionē, tū alias naturales actiones melius pficiet. Probauit.n. Galenus cōtra Lycū, ꝙ ad auctionē substantiæ, sequitur in calido innato augmentum qualitatis, & facultatis: si.n. in substantia nō esset maior, nō esset maior in qualitate: &, si in substãtia, & qualitate nō esset maior, impossibile esset, qđ vehemētius posset operari. Et ideo in his, qui crescūt, calidū innatū est plurimū, quoad substantiā; maius, quoad qualitatē; & efficacius,

Cap. 2.

quoad actiones: & constat ex illis primordijs, ex semine scilicet, & sanguine menstruo: & semen diuiditur in spiritum, & seminalem, ac aereā humiditatem, vt dictum est. Sed omnia hæc dicuntur calidum innatum ab efficaciori qualitate, quæ ex illa elementorum mistura resultat: & est moderata caliditas, quæ est omnium operationum causa, vt habemus in allegato libello: &, quia hæc caliditas magis viget in spiritu, quam in seminali humiditate, & sanguine menstruo; ideò inter illa spiritus obtinet magis vicem formæ: & alia duo magis vicem materiæ: &, quia spiritus, & caliditas fundatur in illis, tanquam in quodam pabulo, sequitur, quòd illa nihil aliud sunt, nisi quod radicale humidum appellant. Et ideò, exponens hunc Aphorismum Galenus in quinto simplicium, inquit, quod debet intelligi de istis tribus substantijs: vt idem sit dicere, Qui crescunt, plurimum habent calidi innati; & dicere, Plurimum habent spiritus innati, vel, seminalis humiditatis innatæ; vel, sanguinis menstrui innati: sed principaliter intelligi debet de spiritu, qui, vt inquit, in pueris copiosissimus existens, omnes operationes adauget. Et sic habemus, quid sit intelligendum per calidum, quod dicitur innatum, quia à principio nostræ generationis nobis coniungitur, & vsque ad finem perdurat: sed semper diminuitur, quousque humidum exiccetur, & calidum extinguatur, vt dictum est, & inferius clarius patebit. Sed, antequam vlterius procedamus, non immerito aliquis dubitaret, si substantia caloris natiui est calida, & humida, siue aerea, & aquea: & Galenus dixit contra Lycum, quod non debet considerari respectu molis corporis, sed respectu substantiæ, quæ non est innata: est dubium, quæ est ista substantia non innata, respectu cuius debet innatum calidum considerari. Ad hoc cum Galeno dicimus, quod, cum calidum innatum nihil aliud sit, nisi archigonon, idest primogeniū illud nostræ generationis principium; quod ex semine constat, & sanguine menstruo: partes, quæ ex ipso formantur constant ex seminali quidem humiditate, & sanguine menstruo pro materia, & ex spiritu, qui rationem efficientis magis obtinet. Sed, quoniam ad hoc, vt partes generentur oportet, vt humidum exiccetur: maximè in generatione ossium, ligamentorum, & similium; ideo statim in illismet partibus, quæ ex calido innato constant, qualitas aduenit ascititia: substantia enim natiui caloris est humida, non sicca: & tanto magis calidum natiuum diminuitur, quanto partes efficiuntur sicciores, & magis terrestres. Et, quia pueri plurimum habent innati caloris, ideo eorum ossa adhuc sunt humida, & sanguinolenta, & quasi cerea: senes vero, quia parum habent innati caloris, partes habent siccissimas: &, quando humidum omnino est consumptum; cum calidum non habeat, in

Cap. 7.

Cap. 8.

Quorum respectu calidi natiui substantia est indicanda.

quo pabuletur, sequitur eius extinctio, & sic mors naturalis. Quamobrem substantia illarummet partium, quæ ex calido innato constant, cum semper ad siccius mutetur, debet cum calido innato comparari, vt colligere licet ex eodem libello contra Lycum. Et est animaduertendum, quod diximus, quoniam hoc fuit semper difficillimum, & multorum animos vexauit: & aliqui, decepti ex quibusdam Galeni verbis in hoc Commento, existimarunt, quod in nostro corpore est duplex substantia a principijs generationis, quarum vna est calidi natiui, & alia est calidi ascititij: & quod istæ sunt distinctæ inter se: quia in primis ætatibus substantia calidi natiui magis præualet: & in vltimis ætatibus magis præualet substantia calidi ascititij. Quod absque dubio est falsum. Quoniam, vt ex loco allegato patet, & rei natura docet, vna, & eadem est substantia, quæ, quanto magis exiccatur, tanto magis de ascititio acquirit: & ideo in puerulis multum abundat calidum natiuũ: quia non est facta multa exiccatio: &, si consideratur puerulus respectu suæ primæ conceptionis, habet minus de calido natiuo, quã prius: quia in partium formatione, est facta multa humidi exiccatio. Et ideo concludamus, quod calidum innatum est considerandum respectu illarummet partium, quæ ex ipso formatæ sunt: quoniam, quanto maior est facta in eis exiccatio, tanto magis habent de ascititio; &, quanto minor in eis est exiccatio, tanto magis habent de innato calido. Et hac ratione verificatur dictum Hippocratis secundo de natura humana; quod homo in primis diebus sit calidissimus, in vltima vero senectute frigidissimus: quæ sententia est intelligenda de caliditate natiua, quæ est iuncta cum humiditate: hæc enim in valde puerulis summopere abundat: in senectute vero, cum corpora sint tali calore depauperata, sunt omnium frigidissima, & siccissima. *Plurimo propterea indigent alimento, alioquin corpus absumitur*. Quæ hic dicit Hippocrates, verissima esse reperiuntur, si, quanta sit in his, qui crescunt, dissipatio consideretur; & cum hoc, ad quid nutrimentum deseruiat. Quod autem dissipatio fiat maior in his, qui crescunt, & ortui sunt propinquiores, quam in alijs ætatibus, declarat Galenus, tum in hoc Commento, tum in libello contra Lycum: inquiens, quod duæ sunt in vniuersa natura qualitates, quæ corpus, vt in halitum dissipetur, promptissimum reddunt, caliditas scilicet, & humiditas: quemadmodum duæ aliæ sunt dissipationi rebelles: frigiditas, & siccitas, quod exemplo eorum, quæ exterius apparent, clarissimè comprobatur: si enim æquè substantiam humidam, & siccam aut in sole, aut propè ignem multum calefeceris, ab humida quidem multum, à sicca parum, aut nihil in halitum digeretur. Quod Galenus probat exemplo

Tex. 12.

Cap. 5.

 olei,

olei, & aquæ ex vna parte, & terræ, aut lapidis ex altera: multum enim ex illis cum sint humida, si calefiant, dissipatur: ex lapide verò, & terra parum, aut nihil. Et ideo non immerito puerorum substantia, quæ calida est, & humida, facile in halitum dissipabitur: senum verò, cum sit frigida, & sicca, non erit sic dissipationi parata: & hac etiam ratione in pueris non est, vt in alijs, euacuandum; vt inquit nono Methodi. Sed iam videamus, quo modo ex hoc sequitur, quòd plurimo indigent alimento: quod facilè intelligitur, si innotescet, quare fuerit à natura institutum alimentum. Cum enim corpus humanum à multis quotidie alteretur, & patiatur: duo inter ea tantum sunt nobis connata, quæ nostri interitus sunt causa, & minimè possunt euitari. Primum est mutatio, quæ fit per ætates, agente semper calido in humidum, & ipsum exiccante, vt tandem humidum omnino deficiat, & mors naturalis de necessitate succedat. Secundum est fluor totius substantiæ, quæ præcipuè in animalibus reperitur, cum primum sit etiam in plantis, vt habemus primo de tuenda valetudine. Est tamen animaduertendum, quòd, quamuis fluor totius substantiæ sequatur ratione eiusdem calidi agentis in humidum, tamen differt secunda causa à prima: quia hic totius substantiæ fluor, est adeò effatu dignus, vt, nisi reparetur, animal citissime interit: & non sequitur mutatio, quæ fit per ætatum decursum. Et, natura, vt, quantum possibile erat, huiusmodi fluorem repararet, instituit cibum, & potum, & vltra hæc pulsum, & respirationem, quæ, quod continuè dissipatur, instaurarent. Nam, cum corpus ex quatuor elementis constet, & eius sanitas in illorum symmetria consistat, necesse fuit, ad talem symmetriam seruandam, vt vniuscuiusque reparationi prouideret: & ideò, quod defluit de substantia sicca, reparauit præcipuè per cibum: quod defluit de humida, per potum: & quod dissipatur de substantia aerea, & ignea, præcipuè reparauit per pulsum, & respirationem. Quæ omnia, instaurando, quod continue difflatur, & prohibendo, ne humidum natiuum adeò citò exiccetur, sunt in causa, vt mutatio, quæ fit per ætatum decursum, succedat, &, quodammodo prorogetur, ita, vt non adeò cito superueniat senectus. Et sic patet ex dictis, quod alimentum fuit præcipuè institutum, vt, quod continuè diffluit, instauraret; &, cum multa fiat in pueris dissipatio, multa erit in eis alimenti necessitas; & ideò plurimo indigent alimento, alioquin corpus, propter eius dissipationem multam, absumitur: eius enim calidum est multum; & substantia, in qua fundatur, est humida, & facilè euaporabilis. *Senibus verò parum calidi innati inest*. Hæc ex dictis patent. Nam, cum nutrimentum sit institutum, vt instauret, quod continuè dissipatur; & parum

Cap. 17.

Quæ sit alimenti necessitas.

Cap. 2.

est

est illud, quod dissipatur in senibus, & sic pauca erit in eis alimenti necessitas. Fit vero in senibus pauca dissipatio: quia parum (vt inquit) calidi innati habent: in quibus verbis tangit duas causas, scilicet, quia eorum calor est paucus; & quia est in materia sicca, substantia enim caloris innati est humida, & in senibus parum est calidi innati, quia eorum substantia est admodum exiccata, & calidum, deficiente humido, iam cœpit refrigerari. Cũ ergo in istis dissipatio sit pauca, tum ratione pauci caloris, tum ratione siccitatis materiæ, & alimentum debet proportionari ei, quod dissipatur, ergo paucum in eis alimentum erit necessarium. hi enim, vt inquit in textu, paucis egẽt fomitibus, quia à multis extinguuntur. In quibus innuit, quod cibi, respectu calidi natiui, sunt veluti ligna respectu ignis, quæ propriè dicuntur ignis fomites, quia ipsum conseruant, quatenus ignis, agendo in ligna, in ipsis conseruatur; &, sicut, super imposita multa lignorum strue, si ignis est paucus, non solum non conseruatur, & augetur, sed etiam extinguitur, & suffocatur: ita, si calidum innatum est paucum, & multum exhibetur alimentum, extinguitur, & suffocatur. Et est notandum, quod Hippocrates declarans in pueris necessitatem multi alimenti, & pauci in senibus, tetigit duos modos extinctionis calidi innati; & sic duos modos mortis: quoniam quandoque mors sequitur, calido marcescente, & per viam exolutionis: & hoc sequitur in pueris, quamuis sint pueri; nisi multum alimentum exhibeatur. & ideo dicebat, Alioquin corpus absumitur. Quandoque vero sequitur mors, suffocato calore, & hoc accidit in senibus, quamuis sint senes; & iam naturaliter per viam resolutionis sint de proximo morituri, si eis multum alimentum exhibeatur: suffocabitur enim eorum calidum; vt à multa lignorum strue, paucus ignis. Sed circa hæc aliquis dubitabit, quia videtur, quod Hippocrates non loquatur de eisdem senibus, de quibus in præcedenti Aphorismo, quia, quæ dicta sunt, verificantur solum de vltimis senibus, in illis enim calidum inatum est satis diminutum, ita, vt à multo cibo suffocentur, &, nisi aliquid semper exhibeas, non possunt sufficere, accidit enim eorum calori quod accidit lumini extinctioni parato, in quo oportet paulatim oleum superinfundere, aliter lumẽ extinguitur. Ad hoc dici potest, ꝙ loquitur de eisdem senibus. etenim, siue cum Galeno intelligamus primos senes in præcedenti Aphorismo, siue etiam decrepitos, intelligendo per ieiunium, vel omnimodam inediã, vel ciborum paucitatem; quod dicitur in illo, verificabitur etiam in hoc. Si enim per ieiunium intelligimus ciborum paucitatem, verificabitur de omnibus senibus, qm̃ omnes, respectu aliarũ ætatum, parũ habent calidi innati: quamuis posteà, primi senes, ab vltimis ĩter se differãt, pro eo, ꝙ habẽt plus, vel minus de calido:

sed

ſed reſpectu aliarum ætatum, omnes pauco indigent alimento, & à multo ſuffocantur. Si verò per ieiunium intelligimus omnimodã inediam, verificatur præcedens Aphoriſmus de ſolis primis ſenibus; & de iſtis etiam verificabuntur, quæ dicuntur hic: quia iſti ideò ferunt ciborum abſtinentiam, quia parum habent calidi innati: & pauco, ob hoc, indigent alimento; & à multo ſuffocantur: at iſti dicuntur habere parum calidi innati, non reſpectu vltimi ſenij, ſed reſpectu præcedentium ætatum: & non habent adeò paucum calidum innatum, vt ſint propè extinctionem: ſed habebunt parum calidi reſpectu præcedentium: quemadmodum etiam, eorum reſpectu, ſunt apti à multis ſuffocari. Sed nõ adeò ſuffocationis periculum iminet, vt in vltimis ſenibus. Et propterea ſenibus rarò febres acutæ fiunt: frigidum enim eorum corpus. Diximus ſupra, quòd Hippocrates hic probat à ſigno, quòd parum calidi innati ſenes habeant: inquit enim Galenus in Commento, quòd, cum febris ſit conuerſio natiuæ caliditatis ad igneam, quando natiua caliditas eſt magna, facilè in immenſum attollitur, vt in iuuenibus; quando verò eſt pauca, non poteſt in immenſum attolli, niſi rariſſimè, & ex fortiſſimã cauſa: & ideò ſenibus rarò fiunt febres acutæ. Sed eſt ſciendum, quòd, quando dicimus, quòd febris eſt conuerſio natiuæ caliditatis, non eſt intelligendum, quòd febris eſſentia conſiſtat in ſubſtantia caloris natiui, ſed quòd in febre, qualitas caloris natiui mutatur in caliditatem igneam. adeo quod, cum calidum ſumatur pro ſubſtantia, & pro qualitate, in febre principaliter mutatur qualitas: & dixi Principaliter, quia poteſt eſſe, vt mutatio effatu digna, fiat etiam in ſubſtantia, ſi febris multum proceſſerit: quia per febrem, ſubſtantia caloris innati in qualitate ſolum alteratur, & non corrumpitur; niſi adeò procedẽte febre, vt totius corporis tabefactio, & mors conſequatur. Et ſatis ſit, quòd eſſentia febris conſiſtat in mutatione calidi natiui, quoad qualitatem: & ideò in definitione dictum eſt, quod eſt conuerſio natiuæ caliditatis, & non natiui calidi. Et, quia quælibet mutatio, quæ fit à contrario in contrarium, oportet, vt fiat circa mediũ, & quoddam veluti tertium: quę agunt enim, & patiuntur adinuicem, oportet, vt conueniant in materia; vt habemus apud philoſophum primo degeneratione: ideò dicimus, quòd primum ſubiectum cuiuslibet febris, eſt calidi natiui ſubſtãtia; cum hæc ſit ſubiectum caliditatis natiuæ, quæ in febre conuertitur ad igneam. Nam, cum omnes febres conueniant in hoc, quòd ſunt febris; & febris, vt quid commune ad omnes febres, ſit quoddam vnum; illius, cum Galeno, dicimus, formam, eſſe, conuerſionem natiuæ caliditatis ad igneam: & ſubiectum, dicimus, eſſe, calidum natiuum pro ſubſtantia: &, quia in febre, primò afficitur cor, & ſecundario totum corpus,

Quod in febre mutetur qualitas caloris, non ſubſtãtia.

Quod ſubiectum febris ſit ſubſtantia caloris natiui

pus, dicimus subiectum febris, primo esse calidum innatum cordis, & secundario calidum innatum partium ipsius corporis: & quia, vt probauimus secundo artis medicinalis, quælibet pars habet proprium sibi innatum, & complantatum calorem, qui à principio vsque ad finẽ idẽ perseuerat; & solum quantitate diminuitur: tenemus, quod subiectũ febris sit calidum complantatum in ipsis partibus; non calidum existens in sanguine, & spiritibus; vt existimauit Montanus: in sanguine enim, & spiritu, non potest consistere verè calidum innatum, quod semper diminuitur; & sanguis, & spiritus possunt augeri, & minui; & sæpè apparet in multis pueris, & iuuenibus, ex morbo ferè consumptis, & tabefactis; in quibus omnes ferè spiritus sunt exoluti, & sanguis exhaustus; & posteà ad suum reuertuntur vigorem, & redduntur multo sanguine, & spiritibus abundantes, ac si nunquam ægrotassent: quod minimè potest de calido innato verificari, semper enim diminuendo procedit: &, si calidum innatum posset augeri, vita posset perpetuari; vt dicebat Galenus in libro de marcore. Dixi autem, quod verè calidum innatum in sanguine, & spiritibus non consistit: quoniam, quod quodammodo etiam in illis consistere possit, patebit in expositione sequentis Aphorismi. Et satis sit pro nunc habere, quòd calidum innatum, quod est subiectum febris, est calidum innatum complantatum in substantia cordis, & membrorum: & hoc non immerito: nam febris, ex Galeno libro de differentijs morborum, est morbus in intemperie: & morbi in intemperie accidunt in partibus similaribus, quas numerat; venam, arteriam, neruum, cartilaginẽ, ligamentum, membranam, & huiusmodi, non faciendo mentionem de spiritibus, & humoribus: & hoc non sine ratione: quoniam, cum morbus, & sanitas sint contraria, debent poni in eodem genere: & circa eadem debent considerari: & sic, illæmet partes possunt ægrotare, quæ prius erant sanæ: sed sanitatis capacia sunt, quæ suas exercere possunt operationes; vt attrahere, retinere, concoquere, & alias omnes actiones, tum naturales, tum animales perficere: &, quando huiusmodi læduntur partes, dicuntur ægrotare; quia earum actiones offensæ sunt: & spiritus, & humores, vt infrà magis patebit, nullam habent actionem, nec naturalem, nec animalem: sequitur absque dubio, quòd in eis nulla potest actio lædi; & per consequens, non possunt ægrotare: sed, quemadmodum, si suam symmetriã seruauerint, sunt causa, vt partes benè se habeant, & optimè exequantur actiones; ita, si à iusto modo deliquerint, partes, in quibus continentur alterando actiones possunt lædere: & sic alterationes, quæ sunt fundatæ in spiritibus, sunt causa morborum, & non morbi: quod fuit pulcherrimè animaduersum à Plusquam commentatore, in tertio artis me-

Tex. 12.

Cap.

Cap. 4.

Quod humorum, & spirituũ alterationes sint causa morborum, non morbi.

Quod in omni febre cor, & partes sint in calefacto esse. Cõmen. 38.

medicinalis. Sed aliquis insurgeret, quia videtur, quòd ea, quæ diximus, sint contra Galenum, qui noluit, quòd semper febris fundetur in substantia partium: immo, per hoc distinxit febres inter se: quia vna fundatur in vno, & alia in alio: vult enim, quòd in ephemera, caliditas sit in calefacto esse in spiritibus; & in humoribus, & membris in calefieri. In putrida, caliditas in humoribus est in calefacto esse: in spiritibus verò, & membris in calefieri. Sic in hectica caliditas in membris est in calefacto esse, & in alijs in calefieri. Et sic videtur, quòd ad mentem ipsius, non quælibet febris fundatur in substantia partium, & per consequens, nõ semper calidum innatum in membris complantatum, est subiectum febris. Præterea, si illud esset verum, sequeretur, quòd omnis febris esset hectica: quia, quando membra sunt in calefacto esse, tunc ex Galeni sententia, febris est hectica. Ad hæc facilè respondemus: &, quoad primum, dicimus; quòd, quando Galenus, ex diuersitate subiectorũ, diuisit febres, non voluit, quòd, quodlibet calefactum esse illorum sit febris: ita, ꝙ voluerit, ꝙ calefactum esse spirituũ, sit febris ephemera: & calefactum esse, cum putredine in humoribus, sit febris putrida: & in membris, sit hectica: sed voluit diuidere febres, penès diuersitatem subiectorum, in quibus primò fundatur in spiritibus; sed non est febris; nisi cordis substantia alteretur. sic etiam in putrida, caliditas primò fundatur in humoribus, sed non est febris: nisi caliditas substantiæ cordis, & aliarum partium communicetur. In febre verò hectica, caliditas est primo fundata in substantia ipsarummet partium: & hac ratione est difficile solubilis: non enim aliunde venit alteratio, sed in ipsismet partibus est eradicata. Et, dicta omnia esse vera, clarius patebit; si consideraбis, Galenum semper voluisse, humores putridos esse causam efficientem febris; & non esse ipsammet febrem; vt habemus pluries vndecimo Methodi, & tertio artis medicinalis: quibus locis suadet, remouendam esse prius, febris efficientem causam: humorem scilicet putridum: deinde veniendum ad febris curationem per contrarium, alterando. Quod non esset verum, si ipsamet humorum putridorum caliditas, esset febris. illud etiam attestatur, quòd actiones, quæ læduntur in febre, omnes sequuntur ad partium, non ad spiritum, & humorum alterationem: quoniam, si læditur actio animalis; quia adest vigilia, alienatio, & huiusmodi, illud accidit, quia alteratur cerebri substantia: si læditur appetentia, intemperatur ventriculus ad calidum, & siccum: & siccum: & sic etiam in alijs. Vt concludere liceat, calefactiones illas in spiritibus, & humoribus, esse morbi causas, & non morbos. Et si aliquis diceret; quòd tunc febris ephemera non esset morbus, nec etiam febris putrida: quia in istis membra ponuntur tantum in calefieri, & non in

calefacto

calefacto esse, vt habemus primo de differentiis febrium: & morbus, dicitur morbus ab eo, quod factum est, nõ ab eo, quod fit, vt patet ex libro de differentijs symptomatũ, & ex secundo Methodi. Ad hoc dicimus, quòd in ephemera, & putrida, dicitur, ꝙ caliditas sit in mẽbris in calefieri, habito respectu ad id, ĩ quo primò caliditas fundatur ad spiritus scilicet in ephemera, & ad humores in putrida: sed posteà illud calefieri, quod est in membris, adhuc habet partẽ factã, cuius ratione est morbus, & lędit actiones. Ad id verò, quod secũdò dicebatur, ꝙ omnis febris esset hectica, facilis est responsio, si benè animaduertimus, quæ dixit Galenus octauo Methodi, vbi vult hanc esse primam omnium febriũ diuisionem, ꝙ ipsarum quædã sunt in σχέσει, quędã in ἕξει, idest, quędam sunt in dispositione, quædam in habitu; volens per hæc, quòd febris ephemera, & putrida est in ipsis membris in dispositione: quia caliditas pręter naturam, non est in membris radicata, sed aliunde procedit, à spiritibus scilicet, & humoribus, & remoto eo, qđ febrẽ in membris causatur, facilè calefactio in membris existens refrigeratur; cũ sit in dispositione, quæ de facili tollitur. At in febre hectica, caliditas est in ipsismet partibus radicata, & non aliundè originẽ ducens: & ideò est in habitu, & de difficili mobilis: ut hinc pateat, ad febrẽ hecticã non sufficere, ꝙ membra sint in calefacto; sed oportet, vt illud calefactum sit radicatũ, & in habitu. Et hęc, quò ad vltimã partẽ Aphorismi. Sed, quoniã dictũ est, ꝙ, qui crescunt, habent plurimũ calidi innati, & quòd calidũ innatũ cõsistit in triplici substantia, spiritu s. seminali humiditate, & sãguine menstruo: & dictum est etiam, quòd Aphorismus est principaliter intelligendus de spiritu innato: quia alia, respectu spiritus, se habẽt potius vt materia, & spiritus se habet vt efficiẽs, & calidũ consistit principaliter in hoc, & sustentatur in seminali humiditate, & sanguine menstruo, tanq̃ in proprio pabulo, ideò doctrinæ bonitas requirit, vt, anteq̃ vlterius procedamus, hoc loco examinemus, quid sit spiritus innatus, & quibus in partib. cõtinetur, & quare dicitur Innatus. Sed ante oĩa est sciendũ, ꝙ, iuxta Galeni doctrinã, spiritus sunt duplices: quidã sunt innati, & quidã influentes: & influentes sunt, spiritus aĩalis, vitalis, &, si datur, naturalis. Spiritus animalis generatur in cerebro, & eo utitur tanquam cõuenienti instrumento, ad oẽs suas actiones exercẽdas. Et inter alia deseruit ad irradiandã facultatẽ: & sic natura fecit neruos opticos perforatos, vt spiritus deuenientes vsq; ad oculos in magna copia, vidẽdi facultatẽ extra aerẽ irradiarent, vt ꝑ aerem intermediũ, tanq̃ ꝑ proprium, & congenitum instrumẽtum, fieret visio. sic etiam, ut virtus motiua neruis cum impetu irradiaretur, & motus fieret robustus, natura fecit, vt in principio spinæ, esset quædam cauitas, ut in eam spiritus

Cap. 1.

Cap. 1.

Cap. 3.

Cap. 1.

Quotuplex sit Spiritus

De spiritibus influentibus.

multi

multi irruentes facultatem vehementer irradiando, motum causarentur robustum. Spiritus vitalis, qui generatur in sinistro cordis ventriculo, & per arterias omnibus corporis partibus communicatur, non vt deferat facultatem vitalem, vt existimauit Auicenna, quoniam omnes partes viuunt proprio calore, vt habemus in primo de locis affectis, & primo de vsu partium: sed, vt spiritus, qui sunt generati in corde, quod est fons caloris, per arterias deuenientes ad singulas corporis partes, in eis caloris symmetriam conseruent. Est posteà dubitatio de spiritu naturali: quoniam Galenus, duodecimo Methodi, dubitatiuè de eo locutus est, dicēs: Si quis est spiritus naturalis, hic generatur in iocinore, & cōtinetur in venis. Manardus, & alij multi tenuerunt, quòd hic spiritus naturalis influens, nullo modo detur. Et nos, secundo artis medicinalis, multa circa hoc in medium adduximus, quæ, ne omnia in vno loco examinemus, bona fronte prætermisimus: repetentes tantum in hoc loco, quod ibi cōclusimus. ibi enim tenuimus, quòd spiritus naturalis detur: sed alio modo, quàm existimauerint multi: quoniam nō generatur ex spiritu vitali, sed potius est spiritus vitalis materia: sicut enim spiritus animalis generatur ex vitali, ita vitalis ex naturali, qui nihil aliud est, nisi pars tenuior sanguinis, ex qua spiritus vitalis generatur, & deseruit etiam, vt eo nutriatur pars calidi innati tenuior, quæ est spiritus innatus singulis partibus cōplantatus; vt parū infrà dicemus. Et de hoc locutus fuit Galenus dubitatiuè, non quia dubitauerit, dari partem sanguinis tenuiorem, ex qua spiritus vitalis generatur, sed dubitauit, vtrum hæc mereatur nomen spiritus: quia, cum spiritus sit substantia tenuissima, quæ etiam habitu, & vapore est tenuior, ita, vt sensum effugiat, vt habemus tertio de potētijs naturalibus: videtur, quòd ille sanguis tenuior nomen Spiritus non mereatur. Et, quòd hæc fuerit sua sententia, patet ex his, quæ dixit de alijs spiritibus eodē loco, vbi de animali spiritu dixit: quòd eius euidens est demonstratio. Sed Argenterius non potuit intelligere, quæ esset hæc euidēs demonstratio, quæ fuit adducta à Galeno, primo de placitis, ex sensu: & ideò est euidens: hoc experimento: quoniam, si aliquem vulneraueris vsque ad cerebri ventriculos, ventriculi reperiuntur vacui: &, cū impossibile sit illos esse vacuos, & nihil in eis reperiatur, nō possunt esse repleti, nisi substantia tenuissima, quæ sensum effugit. hæc autē est Spiritus. Quòd verò hic spiritus ibi adsit, & quòd sit primum animæ instrumentum, probat septimo de placitis, hoc experimento: Si aliquem vulneraueris vsque ad cerebri ventriculos, quia hæc substantia euaporat, statim deperditur sensus, & motus: quòd si partes reduxeris, & expectaueris, vt iterum spiritus reaggregetur, iterum animal sentit, & mouetur: &, si iterum, aperto

Cap. vlti. *Cap. 16.*

An detur spiritus naturalis. Cap. 5.

Tex. 12.

Cap. 14.

Cap. 5.

Cap. 5.

vulnere

vulnere, exhalat; iterum sensus, & motus deperditur: signum euidentissimum, quòd ibi sit hæc substantia tenuissima, & animalis spiritus, qui non est anima, vt aliqui falsò existimarunt: quia tunc sensus non rediret: sed est primum animæ instrumentum. De spiritu verò vitali dixit, quòd generatur in corde: sed non habet adeò euidentem demonstrationem, & hoc est, quia, vt dicebat libro primo de placitis, semper cordis ventriculi inueniuntur pleni sanguine: &, si ibi adesset hæc substantia tenuissima, simul cum sanguine: tunc, facta leui sectione, ab arteria primò exiret hæc substantia, & posteà sanguis: quod non apparet, cum statim exeat sanguis. Et sic spiritus iste non habet æquè euidentẽ demonstrationem: nec videtur, quòd verè sit spiritus, cum sensum nõ effugiat, sed sit sanguis potius tenuissimus, qui ab eo dicitur spiritus: quia, etsi sensum non effugiat, tamen multa participat de spiritus natura, cum maximam habeat tenuitatem, & efficaciam: & cum hoc, est optimum, & citissimum caloris vehiculum: citissimè enim intro, & foras in corpore mouetur, vt in multis, & præcipuè in animi affectibus obseruamus. Et, si de hoc, vtrum verè sit spiritus, non sine ratione dubitatur; quanto magis de substantia illa tenuiori sanguinis, quam spiritum naturalem appellant, quę adhuc est sanguis, & quiescit in venis; adeò, vt ferè nullam spiritus cõditionem participare videatur: nisi dicamus, quòd dicitur Spiritus, quia ex eo spiritus vitalis generatur, & nutritur calidi innati pars tenuior, quę nihil aliud est, nisi spiritus innatus, qui omnibus partibus complantatus existit. Sed ad hunc complantatum spiritũ deueniamus, de quo erat principalis intentio tractare in hoc loco. Et, cũ dictum sit de spiritibus vniuersaliter, quod spiritus est substãtia quædam tenuissima; spiritus innatus est pars seminis tenuior, quæ ob tenuitatẽ facillimè euaporat; vnde, si semen aliquo tempore in aere conuersetur, multo redditur minus; quia pars illa spirituosa euanescit, & in hac parte præcipuè relucet efficiendi potestas, vt non immeritò, ob sui tenuitatem, & agendi efficaciam, Spiritus nomen mereatur, de quo dicebat Aristoteles secundo de generatione animalium: Inest in semine omnium, quòd facit, vt fęcunda sint semina, videlicet, quod calor vocatur, idque non ignis, non talis facultas aliqua, sed spiritus, qui in semine, spumosoque corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est, proportione respondens elemento stellarum. Et Hippocrates, & Galenus tantum huic spiritui tribuunt, ut omnia, quæ de calido innato dicuntur, ipsi præcipue velint esse referenda: hic enim concurrit magis, vt agens, & cætera, magis vt materia: & sic iste spiritus est omnium operum naturaliũ auctor, ut habemus octauo de placitis. iste etiã spiritus à principio efformauit, posteà adauxit, & vsque ad mortẽ enutriuit: vt de calido innato

Cap. 5. & 6.

De spiritu innato.

Cap. 3.

Cap. 7.

Cap. 9.

nato Galenus asserit in sequenti Commento, quia omnia principaliter sunt de hoc spiritu intelligenda; vt habemus quinto simpliciū. Et ideò hunc spiritum (dicebant Stoici) esse, ipsammet naturam, & animam, vt fatetur Introductorius medicorum; & Galenus in loco allegato: quàuis in dubium relinquatur, vtrum iste spiritus sit ipsamet anima, vel potius primariū animæ instrumētum. Sed de hoc alias. Et hucusq; habemus, quod innatus spiritus, sit tenuior pars seminis, & quòd ei principaliter tribuuntur omnes calidi innati actiones: dicitur verò Innatus, quia, cum quælibet pars nostri corporis, in principio suæ generationis constet ex triplici illa substantia, in qua spiritus cōcurrit magis, vt efficiens: & cætera, magis, vt materia: postq̃ pars est genita, illa tria, quę à principio venerūt ad corporis constitutionem, permanent, quia com plent partium essentiā: & sic remanet idē spiritus, qui à principio partem efformauit, & idem posteà partem adauget: & vsque ad mortē enutrit, & pabulatur semper in eadem materia. Et hoc est illud, quod inquit, ꝙ quælibet pars habet suū proprium calidum innatum, ex quo fuit formata, postea adaucta, & vsque ad mortē enutrita: hoc enim semper permanet idem, & perdurat vsque ad vitæ finem: quamuis semper diminuatur. Et hoc calidū innatū, nihil est aliud, nisi propria vniuscuiusque natura, & temperamentū, & hæc omnia sunt idem cū substantia partis, vt habemus tertio de temperamentis. & ideò in primo de vsu partium dicebat Galenus, ꝙ nihil aliud est esse partis, nisi eius temperamentum: quoniam nihil aliud est esse carnis, nisi temperamentum carnis: & nihil aliud est esse ossis, nisi temperamentum ossis: quoniam, cum in prima formatione concurrat seminalis humiditas, & sanguis menstruus, ut materia, spiritus verò vt efficiens, ex horum mistione resultat temperamentum; quod, ratione calidi, quod præcipuè fundatur in spiritu, postea operatur. Sed in hoc est notandū, ꝙ, quando dicimus, quòd temperamentum est idē cū partis substantia, & cū calido innato, per Temperamentum, non intelligimus qualitatem in misto prædominantem, quæ est accidens: & huius ratione, hoc dicitur calidum, illud humidum, vel siccum: sed debemus intelligere per Temperamentum, illud totum, quod resultat ex mistione elementorū sub hac, vel illa pro portione, non solum, quò ad qualitates, sed etiam quò ad eorum substātiam, quæ est tanti momenti, vt Galenus dixerit sexto de placitis: Si aliqua pars haberet idem temperamentum, quòd cerebrū, haberet easdem operationes cum cerebro. Et tale temperamentum est substantia, non qualitas, & huius temperamenti qualitates, dicuntur esse proprietatos: & huius temperamenti ratione, quamuis portulaca, ratione suæ frigiditatis, deberet dentium stuporem augere, tamen stuporem curat.

Cap. 9. *Cap. 3.* *Cap. 9.* *Cap. 8.*

Et

Et cnicum, quamuis sit calidum, tamen attrahit pituitam. Et, quòd operari à proprietate, sit à temperamento, illo modo sumpto, licet uidere quartò simplicium: & hæc omnia exquisitius considerauimus secundo artis medicinalis. Et redeuntes ad id, unde digressi sumus, spiritus, qui dicitur innatus, ac complantatus, remanet: sed, cum partes sint diuersarum specierum, & hic spiritus est partium natura, & forma: ideò dicebat Galenus quinto simplicium, quòd spiritus sic continetur in omnibus corporis partibus, cum omnes ex eo sint formatę: non tamen undequaque est sui similis: quoniam differt per differentiam partis, in qua est: in osse enim est propria natura ossis: in carne est propria natura carnis: sic & in alijs. Adeò quòd, quantum partes inter se differunt, tantũ etiam differunt spiritus, qui in illis continentur. Et spiritus iste in partibus contentus nunquam est ociosus: sed ratione istius, quælibet pars habet proprium esse, & uitam: meritò enim illius, quælibet pars attrahit, concoquit, retinet, & expellit. Et hæ facultates non aliunde defluũt, vt existimauit Auicenna: sed sunt singulis partibus complantatæ: dicebat enim Galenus, primo de locis affectis, Vt magneti lapidi uis inest attrahendi ferrum; ita naturalia instrumenta omnia, uim habent, qua actionem suam perficiunt: siquidem, naturalibus cognatam actionis uim esse, animalibus uerò instrumentis, a principio, ueluti lumen à sole defluere, ostensum est: & in libro de formatione fœtus contra Aristotelem dicebat, non esse uerum, partem primo genitam alias generare: vt de corde Aristoteles affirmabat: sed illud, quod formauit primam partem, nunquam esse ociosum, & formare alias, immo, ut subdebat, pars formata, in sua actione nulla alia indiget: splen enim propria natura sua, fungitur actione: sic renes, sic uterus, uentriculus, & partes aliæ: quoniam calidum, quod à principio efformauit, in parte formata remanet, ac ipsam adauget, & conseruat. Vt iam ex dictis omnibus colligere liceat, quòd calidum innatum, & innatus spiritus, sit disseminatus per omnes corporis partes, & est in illis fixus, & permanẽs: & hac ratione fuit à Stoicis Ethicus appellatus, ut habemus ĩ quinto simpliciũ. Sed, cum sit dictum, quòd quælibet pars uiuit proprio calore, & solum animalis facultas aliunde defluit, ut lumẽ à sole: non immeritò aliquis dubitaret: quia hoc uidetur euidenter contradicere his, quæ Galenus asserit secundo ad Glauconem: ubi inquit, quòd à cerebro, corde, & iocinore influunt facultates in totum corpus. Præterea, si quælibet pars uiueret proprio calore, & non necesse esset, quòd ad illas à corde, & iocinore facultates influerent: quomodo iecur erit membrum principale, & cor principalissimum? Ad hæc dicemus; & primò ad ultimum, quòd iecur est membrum principale, non quia partibus omnibus

Cap. 11. Tex. 12. Cap. alleg. Cap. vlt. Cap. 5. Cap. alleg. Cap. 2.

influit facultatem naturalem: naturales enim facultates sunt partibus complantatæ: nec cor est principale, quia partibus communicat facultatem vitalem: quoniam partes omnes viuunt proprio calore: sed iecur est membrum principale, quia toti corpori subministrat sanguinẽ; vt humidum, quod continuè consumitur, in partibus instauretur: & cor subministrat spiritus, ad hoc, vt caloris symmetria in partibus conseruetur: & dicuntur vitales, non quia deferunt vitam; quam iam partes ex proprio, & innato calore habent: sed, quia, seruando in partibus calorem, seruant etiam vitam. Et vltra hæc, iecur communicat omnibus venis vim sanguificandi; & cor influit vim, & facultatem pulsandi arterijs: quòd verò alijs partibus facultates non influant, clarissimè Galenus explicat primo de locis affectis, vt supra dictum est. Ad quid verò cor, & iecur, toti corpori deseruiant, eodem loco subiungens, per hæc verba explicat. Si vtique permanens esset ipsorum essentia, non indiguissent venis, & arterijs: verum, quia nutrimento egent, seruareq; oportet intimi caloris temperiem, venis indiguerunt, & arterijs. Per quæ verba, explicauit, quòd quælibet pars viuit proprio calore; sed, cum calidum pabuletur in humidum, humidum continuè consumitur, & calidum intemperatur, dissipatur, & euaporat: & ob id quælibet pars indiguit arterijs, vt per spiritus delatos, symmetria caloris in eis conseruetur: indiguit etiam venis; vt per influentem sanguinem reparetur, ne primogenium, & radicale humidum adeò citò exiccetur: quod pulcherrimè etiam explicat primo de vsu partium. Vt iam concludere liceat, cor esse membrum principale, quia, vltra quòd cõmunicat arterijs pulsandi facultatem, habet etiam, quòd, cum sit fons, & origo caloris, generat spiritus, qui per arterias defluunt ad singulas corporis partes; in quibus caloris symmetriam, & vitam conseruant; & ideo vitales appellantur. Iecur etiam est membrum principale: quia, vltra quòd venis sanguificandi facultatem communicat, subministrat per venas toti corpori alimentum; vt humidum in partibus conseruetur: & ideo cuilibet parti fuerunt necessariæ venæ, & arteriæ. Ad aliam verò difficultatem, quæ erat primo loco posita, dicimus, quòd verba Galeni, in secundo ad Glauconem, sunt intelligenda, vt ipsemet explanat septimo Methodi, & secundo de ratione victus in acutis, & primo de vsu partium: in quibus locis vult, q iecur influit facultatem sanguificandi omnibus venis, & cor communicat facultatem pulsandi omnibus arterijs. Et, cum venæ, & arteriæ sint in toto corpore: quia, sine illis nulla pars viuere potest, vt habemus octauo de vsu partium: non est mirum, si eo loco dixit, quòd cor, iecur, & cerebrum communicant suã facultatem toti corpori, hoc est venis, & arterijs, quæ ab ipsis oriuntur,

Cap. vlt.

Cap. 16.

Cap. vlt.
Comm. 48.
Cap. alleg.

Cap. 1.

& sunt disseminatæ per totum corpus. Sed non propter hoc sequitur, quòd influant facultates aliis partibus: sed solũ spiritus, & sanguinem. Et, quòd hoc pacto sit intelligendus ille locus, patet, si consideramus, quę dicit de cerebro, quòd scilicet influat, ut cor, & iecur, suam facultatem toti corpori: & tamen ipsam non influit nisi partibus, quæ sentiũt, & mouentur: multæ enim partes, cum non sentiant, neruis carent: sed, quia ad omnes partes, quæ sensui obijciuntur, hæc facultas communicatur, dixit, quòd communicat suam facultatem toti corpori. Et ad omnium confirmationem addamus: quòd, si per arterias, & uenas deflueret ad partes aliqua facultas, si uerum est, quòd nulla pars uenis, & arterijs est destituta, sequeretur, quòd nulla pars haberet uirtutem innatã tãtum: cuius oppositum Galenus asserit secundo artis medicinalis: vbi numerat multas partes, quæ neque sunt principes, nec principibus deseruiunt, nec habent uirtutem innatam, & influentem: sed habent innatam solùm; vt ossa, cartilagines, caro simplex, adenes, ligamenta, & cætera, quæ omnia de necessitate habent uenas, & arterias: aliter non uiuerent: & tamen nullam habent facultatem influentem: & hoc non ob aliud, nisi quia ad partes, per venas, & arterias nulla defertur facultas: sed spiritus tãtum, & sanguis, ut supra dictum est. Et propterea ex istis quàm pulcherrimè declarabat Galenus, primo de locis affectis, quod læsio in instrumẽtis naturalibus, ut naturalia sunt, semper est per essentiam, & non potest esse per cõsensum: facultates enim in illis sunt complantatæ: & ideò, si facultas est læsa, de necessitate pars, per primogeniũ affectum, afficitur: non est sic de instrumentis animalibus, quæ facultatem habent aliunde defluentem. & ideò in istis læditur quandoque sensus, uel motus, nullo primogenio affectu existente in partibus, quibus sensus, aut motus læditur: sed, facto in aliqua parte impedimento, per quam facultas deferebatur. Et ex omnibus cõcludere possumus, quòd, ratione calidi innati, & spiritus complantati, quælibet pars complantatam habet facultatem attrahendi, retinendi, concoquendi, & expellendi: quia quælibet pars uiuit uita plantæ ex proprio calore: & uitam à nullo membro participat, nisi inquantum cor, & iecur iuuant, ad eius uitæ conseruationem. Et hæc de his pro nunc satis: quoniam multa alia examinauimus secundo artis medicinalis.

Tex. 12.

Cap. vlt.

APHORISMVS XV.

Ventres hieme, & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi: quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda, etenim tunc calor innatus plurimus est, unde & pluribus egent alimentis: indicio sunt ætates, & athletæ.

QVòd vltra indicationes, quæ sumebantur a morbi vigore, & viribus ægrotantis, in victus ratione instituenda aliquid etiam, quoad eius quantitatem, conferant ætates, & cuiusq; corporis natura, quã optime in duobus præcedentibus Aphorismis explicauit: in hoc verò, cum ad idem conferat considerare anni tempora, quòd ab ipsis etiam, in victus quantitate sit sumenda indicatio, docet. Quoniam, iuxta Hippocratis sententiam, non in quolibet anni tempore, eodem modo nutrienda sunt corpora, sed quandoque magis, quandoque minus: ut libro tertio de ratione uictus scriptum reliquit, & libro de salubri diçta: & hoc idem explicat in hoc Aphorismo. sed, à mira sua breuitate non discedens, simul, & semel causam apponit, ob quam in aliquo tempore magis, aut minus nutrire oporteat. quod erit clarum, intellecta Aphorismi sentẽtia; qui diuiditur in duas partes, in quarum prima ponitur Aphorismus cum eius causa: in secunda, idem confirmat exemplo ætatum, & athletarum. Et nos superficietenus utranque primò explicabimus: deinde, singula uerba ponderando, omnia exquisitius examinabimus. Sententia Aphorismi in prima parte est, quod in hieme, & uere uentres, idest uentriculus, & cætere cauitates, internæ sunt natura, hoc est, calido innato calidissimi: & ideo, stante, quod dictum est in præcedentibus, quòd scilicet in illis maior est alimenti necessitas, in quibus magis abundat calidum, sequitur, quòd, *Si hieme, & uere, uentres sunt natura, calidissimi*, per ea tempora copiosiora sunt adhibenda alimenta: tunc enim, ut subiungit, *calor innatus plurimus est*. Per quæ uerba declarauit, quod per natura calidissimos uentres intellexit, non alios, nisi calido innato calidissimos: tunc enim non ascititium, ut in æstate, sed natiuum abundat calidum. quasi uoluerit sic arguere, tunc copiosiora alimenta sunt exhibenda, quando innatum calidum magis abundat: sed abundat

Post. prin. Tex. 1. & sequen.

dat

dat magis in hieme, & uere, admirius in partibus coctioni, & distributioni destinatis. ergo tunc copiosiora sunt exhibenda alimenta. Addit etiam in prima parte, *Et somni longissimi*. innuens, quòd hac etiã de causa eo tempore adhibenda sunt alimenta copiosiora: quia somnus multum facit ad coctionem: uel, & melius; vt ex hoc arguat, magis eo tempore in partibus internis abundare calidum innatum: in somno enim calidũ mouetur ad intra: & ideo sexto Epidemion asserebat, dormientẽ esse quoad partes internas, calidiorem; quòad externas, frigidiorem: uigilantem, econtra: ut infra clariùs explicabitur. In secunda parte confirmat idem exemplo ætatum, & athletarum; Philothei, & Oribasij sententia; ac si diceret Hippocrates, Vis videre, ꝙ, vbi magis abũdat calidum, ibi maior est alimenti necessitas. respice ætates; quia in ętate puerorũ, & aliorum, qui crescunt, nõ ob aliud multũ exhibemus alimentum, nisi quia calidũ in illis abundat, & multa fit dissipatio, vt prius dictum est. In athletis etiã conuenit multum alimentũ, quia in eis, ex motu, & exercitio, calor natiuus augetur, & quodámodo ex uscitatur, ut inquit Galenus in Commento: &, ꝙ hoc facere possit, & faciat exercitiũ, habemus primo de tuenda valetudine, & secundo. Quæ duo exempla, vt inquit Galenus in Commento, valde confirmát, quòd, ubi magis abundat calidũ, ibi est maior alimenti necessitas. Et hæc, quòad crassam literæ mineruam. Sed, uerba omnia perlibrando, quæ in hoc Aphorismo continentur, exquisitius consideremus. Ventres apud Græcos κοιλίαι; & per uentres, vt exponit Philotheus, intelligit, non solum cibi receptaculum, ipsum scilicet uentriculum: sed omnem etiam internam corporis cauitatem: & exemplificando inquit, ut cerebri, iocinoris, cordis, & reliquorum: & tu poteris addere, intestinorum, uenæ cauæ, & similium. Idem etiam asserit Galenus, sexto Epidemion: quo loco inquit: quod hieme, calore ad intimas partes confugiente, uentriculus, cæteraq; viscera calidiora; partes uerò subcutaneæ frigidiores redduntur: & eodem pacto in hieme uidemus, partes terræ profundiores, esse calidiores: & fontes calidiores: sic etiam fodientes, partem superficialem terræ inueniunt frigidã: in profundo uerò manifestum percipiũt calorem. *Hieme, & uere.* Per hiemem, & uer, intelligit duo anni tẽpora, inter quæ hiems est frigida, & humida, & uer est tẽperatũ: ut habemus primo Epidemion, & primo de tẽperamentis. Sed, ut benè antiquorum placita percipiantur, est sciendum, ꝙ, ut Galenus asserit, duæ reperiuntur anni diuisiones apud Hippocratem: quarum una est in septem partes: quã dedit in libro de hebdomadis, quem librũ nos non habemus: Altera uerò est in quatuor partes, quam posuit tertio de ratione victus, & alibi pluries: & etiam in hoc libro Aphorismorum, si consideramus, quæ dicit hìc, & in Apho

Tex. 14.

Cap. vlt.
Cap. 1.

Comm. 4.
Com. 14.

Comm. 1.
Comm. 1.

rismo decimooctauo: & hæc diuisio est in autumnum, hiemem, ver, & æstatem: de qua diuisione dicemus aliqua, vt itelligatur altera, quæ est in septem; quæ ex ista, vt videbimus, sumpsit originem. Diuisio in quatuor tempora; vt inquit Galenus primo Epidemion; fuit sumpta ex duobus solstitijs, & duobus æquinoctijs, quæ fiunt in anno: quoniam, aliud est solstitium æstiuum, quod fit mense Iunij, sub cancro: aliud solstitiũ brumale, qđ fit mense Decembris, sub Capricorno: sic aliud est æquinoctium vernale, quod fit mẽse Martij, sub Ariete: aliud est æquinoctium autumnale, qđ fit in mense Septembris sub Libra, & iuxta solstitia, & æquinoctia, quatuor fuere anni partes, siue tempora, apud antiquos cõputata. Sed, ne cum vulgo medicorum (qui etiam, quæ maximè necessaria sunt, ignorant) aberremus: est sciendum, ꝙ hæc quatuor anni tempora, non sunt, vt ferè oẽs existimant; duratione æqualia: ita, vt quodlibet duret per tres menses, sed sunt satis inæqualia: quia, vt loco allegato inquit Galenus, hæc tempora habent diuersa temperamenta; & tẽporum mutatio efficitur, quando fit manifesta mutatio in temperamento ipsius aeris: & hoc accidit potissimum in ortu quorũdam astrorũ. Et sic vult primo Epidemion, & tertio Aphorismorum, ex Hipocrate tertio de ratione victus, vel de dieta: ꝙ ver incipit in æquinoctio, quod fit in ariete, & durat vsque ad ortum pleiadum, ab ortu pleiadum, vsq; ad ortum arcturi est æstas: ab ortu arcturi vsque ad occasum pleiadum durat autumnus: ab occasu pleiadum, vsq; ad æquinoctiũ vernale est hiems. Sed hæc omnia reducamus ad particularia tempora: in quibus hæc accidunt, exemplificando in nostris mensibus: ver incipit in æquinoctio, quod fit in ariete, hoc autẽ accidit, circa vndecimã diem Martij, & tunc incipit Ver, & perdurat vsq; ad ortum pleiadum, siue virgiliarum; qui fit circa vigesimã octauam diem Aprilis: vt hinc pateat, quàm breue sit tempus Veris: cum non accedat ad duos menses: in vigesimaoctaua, vel nona Aprilis, incipiunt oriri pleiades, & incipit Aestas, & durat vsq; ad ortum arcturi, qui fit die vigesimanona Augusti: & sic patet, Aestatẽ esse satis longam, cum sit per quatuor menses: Oriente arcturo, incipit Autumnus, & durat usque ad occasum pleiadum, qui fit, circa quintũ diem Nouembris: & sic Autumnus habet duos menses, & aliquid plus: à quinta die Nouembris incipit hiems, & durat vsque ad æquinoctiũ vernale; quod, vt dictum est, fit in vndecima die Martij: & sic hiems est omnium longissima, cũ cõtineat plusquã quatuor menses. Hinc habuit originẽ diuisio ipsius anni in septem partes: quoniam videntes antiqui quòd Ver, & Autumnus erant breuioris tẽporis, ipsa relinquerunt indiuisa, & subdiuiserunt Aestatẽ in duas partes: & Hiemem, tanquã omniũ longissimam, in tres. Primã partẽ Aestatis, diuiserunt à secunda, per ortum

Loco alleg.

Loco alleg. Cãmen. 4.

tum illius illustrissimæ stellæ, quæ dicitur Canicula: & primã partem, quæ est usque ad illius ortũ, vocauerunt Oram; secundã autem, quæ est ab ipsius ortu, vocauerunt Oporã: & hinc fructus, qui maturãtur in prima parte, dicũtur Orarij: &, qui maturantur in secunda æstatis parte, dicũtur Oporarij: de quib. alias forsan dabitur disserendi occasio. Hiemẽ verò diuiserũt in tres partes, quarũ primã, qa in ea omnia ferè serũtur, vocauerunt Sementum, siue tempus serendi: secundã, quia tunc frigus maximè viget, Solstitium brumale: & tertiã partẽ, quia tunc inserũt arbores, vocauerũt Tempus inserendi. Et hæc de temporibus anni, & eorũ diuisione: quæ medico nõ solum vtilia sunt, sed etiã necessaria; adminus, vt Hippocratis, & Galeni mentem percipere ualeat, & sciat, quòd, quando Hippocrates inquit, quòd, incipiente uere, sanguis mittendus, vel purgandum, illud minimè fieri debet in medietate mensis Februarij, sed quando, secundum ipsum, & antiquiores, incipit uer: sic etiam, iuxta hanc temporum diuisionem, sunt exequenda, quæ in alijs anni tẽporibus præcipit esse facienda. *Sunt natura calidißimi.* Per natura calidissimos, intellexit calido innato calidissimos: cũ ipsemet subiungat: Tũc.n. calor innatus plurimus est: quia, vt inquit Galenus in Cõmento, calidum innatũ, & natura sunt idem: & ventres hieme fiũt calidissimi, per vocatã ab Aristotele antiparistasim; refugiente calido ad partes internas ob ambientis frigiditatẽ: hoc.n. pacto, hieme partes profundiores terræ, & fontes fiunt calidiores, superficiali parte existente frigida, vt habemus sexto Epidemion.: & idẽ asserit Alexander Aphrodisiensis in quarto Meteororũ: & hoc per rationẽ ibi ab Aristotele assignatã: quoniã, frigidũ condensando, & prohibẽdo, ne calor excentretur, causatur ipsius cõcentrationẽ, & sic efficitur fortior, &, vt dicebat Olympiodorus in expositione illius loci, frigidũ, p antiparistasim, calorẽ intus claudit, qui intra inclusus geminat & ipse reliqui caloris uires: virtus.n. unita est maior se ipsa dispersa. Sed in hoc est notandũ, ꝙ, cum frigidũ sit penitus calido contrarium, ipsum oppugnare natũ est, & per se nõ potest calidũ augere: etsi quãdoq; videtur, ꝙ illud augeat, hoc est per accidẽs; quãdo scilicet nõ potest calidũ superare: sed potius ipsum reuocat: quẽadmodũ dicebat Hippocrates quinto Aphorismorũ; ꝙ aqua frigida superinfusa, curat neruorũ distensionẽ, quæ est affectus frigidus: si tamen laborans fuerit iuuenis, bene carnosus, & in media æstate: & declarauit quomodo hoc fiat, subiungẽs, reuocato calore: cũ. n. prius calidum esset dispersum; ratione frigidi, concentratũ ad interna; & inde, unitũ, mouetur ad partes externas, & cũ nõ possit liberè foras moueri ob pororũ stipationẽ; iterũ mouetur ad intra, & iterũ ad extra: & sic, ex motu etiã viuidius redditur, vt ĩ expositione huius Aphorismi inquit Philotheus.

Comm. 4.
Comm. 14.
Comm. 22.

Vel dicas, & pulcherrimè, cũ Galeno, tertiò de temperamentis, ꝙ a frigido externo per accidẽs augetur calidum in interioribus, hoc modo in quiẽs: siquidẽ stipata, clausaq; corporis summa facie repercussus, refractus fit caloris, eius, qui à profundo ascẽdit, quinque simul, propter difflatus inopiã, est aceruatus: simul, propter frigidi circũstantis uiolentiã in altum recedit: simul, ex succis istic habitis nutritur. Quippe, ubi collectus, nutritusq; calor ad summa corporis violẽtius ruit, fit quidẽ caloris repercussus; indiciũ verò, ac documentũ, ꝙ frigida haud quaq̃ per se calorẽ auxit. Nam per se quidẽ cutim perfrigerauit, eius verò perfrigerationẽ, dẽsitas, & reditus caloris ad profundũ sunt cõsecuti. rursus horũ densitatẽ quidẽ difflatus prohibitio, reditũ uerò ad interiora, cõcoctio, cõsumatioq; qui istic sunt, succorũ, est assecuta. horũ uerò, difflatus prohibitio, caloris colligendi: succorũ concoctio, eiusdẽ generandi fuit occasio. porrò horũ vtrunq; natiui caloris sequitur auctio. Hæc Galenus. Ex quib. habemus, ꝙ in cõcentratione, quæ fit caloris ad interna à frigido externo, nõ solũ calor augetur, quia vnitur: non solũ, quia coacerua tus difflari prohibetur, nõ solũ, q̃a ex motu ad intra, & ad extra pluries facto redditur uiuidius, vt dicebat Philotheus: sed ẽt, quia ex illa cõcentratione sequitur, vt intus fiat melior cõcoctio, & sic ẽt melior sanguificatio, & spirituũ generatio: & hoc pacto calidũ, per nouã istorũ generationẽ, augetur, quod multũ r̃ndet his, quæ dicũtur in hoc Aphorismo, & his, quæ dicit Galenus in Cõmento, ut postea dicemus. Sed, quoniã, quæ dicta sunt, sequũtur ad frigidũ per accidẽs, ideò dicebat Hippocrates, ꝙ illa accidũt in iuuene bene carnoso, & æstate media: quia in imbecillis nõ solum nõ reuocatur, & augetur calidũ, sed potius extinguitur: frigidũ.n. (vt inquit Galenus in illius Aphorismi expositione) semper agit unũ istorum duorũ: aut uincit calorẽ, aut colligit, & per cõsequens auget: quod scientes fabri ferrarij, quãdo uolunt, ut ignis sit maior, parũ aquæ instillant. Et cũ in hieme calidũ augeatur per cõcentrationẽ factã à frigido: eodẽ pacto est hic Aphorismus intelligendus: & ideò inquit Galenus in Cõmento, ꝙ debet intelligi cũ limitatione, quia nõ verificatur, nisi in corporib. robustis, & multo sanguine prẹditis, in quib. à frigido sequitur caloris collectio, & concentratio, & nõ extinctio. Videmus.n. multa animalia per totã hiemẽ, quasi semimortua degere in latibulis, in quib. est ferè extincta, ob ambiẽtis frigiditatẽ, natiua caliditas; & in multis extinguitur omnino: hic etiã videmus, multa corpora debilia; & senes malè se habere in hieme: quia in illis nõ caloris cõcẽtratio, collectio, & inde auctio, sed potius sequitur extinctio. Addit Gal. secundã limitationẽ, ꝙ Aphorismus debet intelligi de hieme seruante suam naturam: si enim fuerit extremè frigida, cum omne nimis sit naturæ inimi-

inimicum, & omnis immodica intemperies operationem exoluat, ex secundo Aphorismorum, nimia frigiditas poterit calidum innatum superare, & extinguere, etiam in robustis: & calidum immodicè oppugnatum, nec concoquere, nec alias actiones perficere poterit. *Et somni longissimi.* In hieme etiam somni longissimi: & hac ratione etiam, calidũ in partibus internis abundat: & Galenus, assignans rationem, cur in hieme somni sunt longissimi, inquit, quòd hoc est propter noctium longitudinem: nox enim est quieti, & somno dicata; vt habemus secundo Aphorismorum: & sic, cum in hieme, noctes sint longissimæ, longissimi etiam erunt somni: hæc enim se ad inuicem consequuntur. Vel dici potest, quòd noctium longitudo confert ad somni generationem: quoniã eo tempore, absente sole, maximè frigidus est aer, cuius ratione calidũ mouetur ad intra: & ratione inspirati aeris cerebrum refrigeratur, & humectatur: & sic causatur somnus; qui fit, reuocato calore ad intima, ad alimenti coctionem; vt, quod de eius substantia in vigilia perditum est, instaurari possit: &, quamuis in hoc, circa longitudinem somni in hieme Galenus, satis sicco, vt aiunt, pede petransierit: & quæ attinent ad somnum, tanquam alibi declarata, prætermiserit: & nos etiam intendamus, in primo aphorismo secundi libri, multa de somni generatione dicere: tamen ad huius loci intellectum, aliqua satis necessaria, quàm breuiùs fieri poterit, pertransibimus: & dicimus, ex Galeno primo de symptomatũ causis; quòd potissima causa somni est humiditas, & non frigiditas, vt existimarunt multi: quia, irrigato cerebro ab vtilium vaporum copia, sequitur eorum infrigidatio, & incrassatio: & inde viæ impediuntur; per quas animales deferuntur facultates; quæ quasi ligantur; & sic efficitur somnus, qui perdurat, quousque vapores illi à calore attenuentur, & dissoluantur: & inde sequitur vigilia, in qua calidum mouetur ad extra, vt in somno mouebatur ad intra: & somni fiunt longiores, aut breuiores; loquendo de naturali; ex eo, quòd plures, aut pauciores vapores cerebrum humectant: & ex eo, quòd sunt magis, aut minus benigni, causatur, quòd somni sint magis, aut minus continui: quando enim vapores non sunt mites, etiam si sint multi, causantur quidem somnum, sed interruptum, propter acredinem, & mordacitatem, quam habent admistam. His habitis, clarum est, quòd, suppeditato alimento multo, vt in hieme, est necessarium; multa etiam, ex adhibitis alimentis, fit euaporatio, & vapores erunt mites, & benigni: quoniam calidum eleuans est suaue, & benignum. Nam eo tempore calidum natiuũ abundat; & sic somni erunt naturales, & longi: & hanc rationem assignat Philotheus in huius loci expositione. Nec nos perturbet, quod inquit Alexander Aphrodisiensis in primo suarum quæstionum naturalium: vbi,

Comm. 20.

Comm. 13.

Cap. 8.

præsup-

præsupponens, quòd somni fiunt magis in æstate, quàm in hieme, dubitat, quare hoc accidat, & tenet, quòd illud fit, quia, dissipato calore in æstate, cor, quod est principium sensus, & motus, refrigeratur; & sic magis causatur somnus, quàm in hieme, in qua calor refugiens ad interna, facit, vt cor non adeò facilè possit refrigerari. Nos verò circa hoc dicimus, quòd, vltra, quòd aliter de sensus, & motus principio, & de somni generatione sentit Galenus, quàm Aristoteles, habemus in hoc, quod quæritur, vltra experientiam, ipsummet Aristotelem fautorem: inquit enim vndecimo Problematum, quòd absque dubio somni fiunt in hieme magis, quàm in æstate. Sed, ne sic indefensum relinquamus Aphrodisiensem, dicamus, quòd in æstate in rei veritate non generantur somni longi, & naturales: sed homines, propter nimiam caloris dissipationem, videntur ad somnum procliues: qui si fit, non efficitur longus, sed interruptus, propter acredinẽ, quam, ob nimiam ambientis caliditatẽ, suscepit vapor: tunc enim, non natiuum, sed ascititium calidum abundat: & sic verum erit, quòd in æstate homines sunt somnolentiores: & quòd in hieme somni fiant longissimi, & naturales. Vel dicas, vt ipsemet Alexander subiungit, quòd forsan in rei veritate non sunt longiores: sed tales videntur propter noctium breuitatem. Addit tertiam causam, quæ declarat, quod priùs est dictum, scilicet, quòd illa procliuitas ad somnum in tempore æstatis, est potius vigilãdi impotentia, quàm somnus: & illud, propter nimiam spirituum, & caloris dissipationem. *Quare per ea tempora, copiosiora alimenta sunt adhibenda*. Circa hæc non est multum immorandum; cum perfectè fuerint examinata in præcedenti Aphorismo: vbi diximus, quòd alimẽtum debet proportionari ei, quod difflatur, quod est multum, quando multum est calidum innatum: sed hieme calidum innatum est multum, vt ipsemet subiungens ait: tunc enim calor natiuus plurimus: quocirca sequitur, quòd eo tempore plura, & copiosiora alimenta sunt adhibenda. Circa quæ, illud tantũ animaduersione dignum; quòd, quæ hucusque dicta sunt, verificantur in hieme, ratione, concentrationis caloris ad partes internas. Sed est dubium, quomodo eadem possunt verificari in vere: & Galenus in Commento innuit huius dubij solutionẽ: inquiens; quòd ver habet tres partes, quarum prima accedit ad naturam hiemis: &, quæ dicta sunt, verificantur, eadem ratione, de illa parte veris, & de hieme: secunda pars est media, & temperata, & ratione temperamenti, indiget etiam multis cibis: etenim actiones omnes tunc perfectissimè fiunt: tertia pars accedit ad naturam æstatis, & de hac, quæ dicta sunt, non possunt ad vnguem verificari. Sed circa hoc dubitant, quia Auicenna, secunda primi, loquens de victu, in diuersis anni temporibus, exhibendo, inquit, quod in

Probl. 17.

veer

vere alimentum non debet esse adeò copiosum, vt in hieme: & Montanus in hoc, inquit, eius sententiam non esse veram: quia de vtroq; tempore hìc indifferenter probatum est, quòd indigent multis cibis: &, si de vere non potest verificari propter concentrationem, verificabitur propter ipsius mediocritatem, & temperiem. Sed non animaduertit Montanus, quòd, reprehendendo Auicennam, Galenum, & Hippocratem reprehendit: quia Hippocrates tertio de ratione victus, & in libro de salubri diæta, apertè tenet, quòd copiosiùs debemus nutrire in hieme, quàm in vere: & Galenus in Commento idem confirmat: & hoc etiam habebimus infrà: & non est à ratione alienum: quoniam, quamuis in vere calor sit moderatus, tamen non est adeò vnitus in partibus intimis, & per consequens in ventribus non adeò abundat calidum; vt ex Galeno ex hoc, & ex allegato Commento colligi potest. Et ideò dicerem, quòd, quamuis indifferenter dicat de hieme, & vere Hippocrates; quòd in eis ventres sunt calidissimi; illud debet intelligi, respectu aliorum anni temporum: sed, si posteà hiems, & ver ad inuicem conferantur, inueniemus maiorem in hieme fieri caloris cōcentrationem; & per consequens, tunc calidiores esse ventres, & copiosiora alimenta esse necessaria, quàm in vere, in quo necessaria sunt etiam plura alimenta, quàm in æstate, & autumno: tum quia adhuc perdurat concentratio, ad minus in prima eius parte; & parumper incipit calidum moueri ad extra: tum etiam, quia calor fuit auctus, & est moderatus; & sic multo indiget alimento. Non sic in æstate; in qua propter maximam, quæ fit ab ambiente, dissolutionem, parum calidi innati corporibus adest: & in autumno, ob præcedentem caliditatem, satis exiccata, & quasi arefacta corpora reperiuntur. Et hæc omnia breuissimè infrà est comprehensus, dicens; æstate, & autumno cibos difficillimè ferunt; hieme facillimè; secundum locum ver habet. Sed circa dicta, maxima insurgit difficultas: quoniam, quæ hìc dicuntur de calido innato, nullo pacto consentiunt his, quæ in præcedenti dicta sunt: vbi ex Galeno in libro contra Lycum, ex quinto simplicium, & primo de tuenda valetudine, & alijs locis, determinatum est, quòd nihil aliud est calidum innatum, nisi triplex illa substantia, ex qua à principio constant nostra corpora; spiritus scilicet, aerea, siue seminalis humiditas, & sanguis menstruus. Dictum est etiam, quòd spiritus inter illa præcipuè concurrit vt agens, & alia duo præcipuè vt materia, quia sunt illud, quod vocant radicale humidum, in quo spiritus, & caliditas, quæ in eo præcipuè consistit, pabulatur, & à principio vsque ad finem exiccando procedit, quousque humidum fuerit omnino consumptum, &, deficiente pabulo, calidum extinguatur: nunquàm enim est ociosum. & ideò dictum est, ex libro

Tex. 2.

Comm. 18.

Aph. 18.

Multa alia de calido innato.

contra Lycum; quod calidum innatum semper redditur minus, &, si possetaugeri, sequeretur, vt dicebat in libro de marasmo, quòd homo posset perpetuari. Hæc omnia fuerunt determinata. quibus non consentiunt, quæ in hoc Aphorismo dicuntur: etenim, si verum est, quòd calidum natiuum semper consumitur; quo modo poterit esse verum, quòd augeatur in hieme: sumus enim coacti, velimus, nolimus, fateri, quòd in hac hieme, calidum nostrum natiuum, est minus, quàm in præcedenti æstate: semper enim diminuitur: &, quamuis multi possent dicere, quòd in hieme non augetur substantia caloris natiui, sed propter frigiditatem ambientis concentratur, & sic vnitur, & efficitur valetior: calidũ enim intro inclusum geminat vires, vt dicebat Olympiodorus: & sic, quamuis non fiat maior, redditur efficacior ad operationes. Sed ad hæc, dici potest, quòd non tollunt difficultatem: quoniam Hippocrates inquit, quòd in hieme calor natiuus est plurimus, & per plurimũ, vt ex libro contra Lycum, in præcedenti dictum est, intellexit substantiam caloris, non qualitatem, aut efficaciam. Præterea, ex Galeno tertio de temperamentis paulo superius, diximus, quòd ex concentratione, non solum quia vnitur, & difflari prohibetur: ac etiam ex motu ad extra, & ad intra, viuacius redditur; calidum in hieme meliùs operatur: sed etiam, quia motus ad interna, ibi succos existentes, meliùs concoquit: & sic eius substantia augetur. Præterea est dubium, si calidum innatum est cuilibet parti complantatum; vt in osse, sit esse, & temperamentum ossis, in carne, esse, & temperamentum carnis: quo modo potest in hieme, & somno concentrari ad intra: & in æstate, & vigilia moueri ad extra: partes enim nec concentrari, nec foras moueri possunt. Ad hæc dicimus, quòd in rei veritate, primordia nostræ generationis semper vsque ad finem diminuuntur, & nullo pacto eorum substantia potest augeri: sed natura, vt repararet horum consumptionem, fecit quasdam partes, in quibus hoc natiuum calidum magis vigeret, vt earum opera possent primordia illa in partibus, quatenus possibile esset, conseruari: & inter ista fuit præcipuè iecur, & cor. In iocinore elaboratur sanguis: &, quia quælibet concoctio fit per assimilationem, sanguis redditur similis iocinoris substantiæ, quæ, cum operetur ratione calidi innati, in iocinore redundantis, reperitur posteà in sanguine quidam calor mediocris, calori iocinoris quàm simillimus. Illud idem, & magis accidit in corde, in quo cum sit fons caloris, elaborātur spiritus, qui sunt, ob cordis caliditatem, calidissimi, in quo eorũ fit elaboratio. Hæc duo, scilicet sanguis, & spiritus, sunt illa, quæ quodam modo dici possunt habere calidum innatum; non quia sunt nobis insita, vt de nostris primordijs dictum est: sed tum quia sunt à natiuo calido genera-

Cap. 4.

ta,

ta, illiq; sunt redacta simillima: tum etiam, quia non sunt ad aliud desti nata, nisi ad calidi natiui, existentis in singulis partibus, conseruationē: quoniam, si eisdem nutrimur, ex quibus facti sumus, cum ex spiritu, & sanguine constet nostra substantia, spiritu, & sanguine quàm optimè conseruatur. His stantibus, dicimus, hoc pacto in hieme augeri calidū innatum: quia tunc mouetur intro spiritus, & sanguis, in quibus est calidum illud mediocre, quod à natiuo calido duxit originem, & ad eius conseruationem est destinatum; quo cum sanguine, & spiritu concentrato, calidum, quod est peculiariter in internis partibus complantatum, & natiuum fouetur, & corroboratur: & sic actiones fiunt perfectiores. Et hæc redduntur clariora, si considerabimus, quòd, vt inquit Galenus sexto de placitis, & tertio de potentijs naturalibus, ventriculus concoquit ratione proprij caloris: eius enim caliditas habet proprietatem chilificandi: & tamen, eodem tertio de potentijs naturalibus, & quarto de vsu partium, inquit, quòd natura fecit, vt ventriculus esset quasi inter plures focos, vt meliùs fiat concoctio: ex parte enim superiore est situatum diaphragma, & cor: ex parte dextra est iecur, quod ventriculum amplectitur; ex parte sinistra est lien; ex parte anteriori, vltra musculos, membranam, & cutem, natura, vt meliùs fiat concoctio, collocauit omentum. Et, si verum esset, quòd ventriculus concoquit solum ratione proprij caloris, & nullo alio indiget: ad quid eorum, quæ ventriculo circunstant, caliditas iuuaret? Et ideò est absque dubio dicendum, quòd ventriculus proprio calore concoquit, sed eius calidum fouetur, corroboratur, & maius redditur, ex partium propinquarum calore. Et idem dicere licet, de sanguinis, & spirituum concentratione ad interna, quæ fit in hieme, quoniam calidum illarum partium fouetur, & augetur à calido, cum spiritibus, & sanguine influente, per arterias, & venas. Et magis hoc redditur clarum, si consideramus, quòd ex balneis, & mediocriter calefacientibus, etiam si extrinsecus adueniāt, iuuatur coctio, vt ex Aristotele, & Galeno, infrà dicemus: &, si hoc est verum, quanto magis iuuari debet à spiritu, & sanguine, qui habent calorem moderatissimum, & adeò calori complantato similem, vt Galenus quandoque innatum appellauerit, sicut habemus libro de tremore, & rigore, & in hoc Commento. Illud ergo, quod concentratur in hieme, est calidum existens in sanguine, & spiritibus, & non calidum in partibus complantatum: & ad partes internas deueniens, fouet, & quodammodo auget illarum partium calorem; & sic meliùs fiunt coctiones, & aliæ naturales actiones. Et, quia, quantò magis abundat spiritus, & sanguis, tantò concentratio meliùs fit: hinc fit, quòd etiam hac ratione eo tempore calidum augetur: quoniam, tunc coctiones, sanguificationes, & spiritificatio,

Cap. 8. *Cap. 13.* *Cap. 7.* *Cap. 8.* *Aphor. 22.* *Cap. 6.*

tuificatio, melius fiunt; & in istis, abundans calidum concentratum ad interiora, viscerum calorem meliùs fouere potest. Et hoc est illud, quod breuissimè dicebat in Commento Galenus, loquendo de caloris concentratione; inquiens: Non per Iouem, carnibus ad hæc sua sede derelicta, confugientibus; sed spiritu, & sanguine: quasi diceret: quòd non concentratur calidum partibus complantatum; illud enim est esse ipsarum partium: & impossibile est ab illis separari: sed concentrantur ea, quæ calidum innatum fouent, augent, & conseruant: spiritus scilicet, & sanguis. *Indicio sunt ætates, & athletæ*. Hæc erat Aphorismi secunda pars, in qua probat à signo, quod dixerat: scilicet, quod ibi sit maior alimenti necessitas, vbi caliditas natiua est maior. Et in istis non est immorandum: quia iam sunt declarata, quantum attinent ad ætates: sed circa id, quod dicit de athletis, est aliquid addendum: & inueniemus idem in his, quod diximus de ætatibus: si considerabimus, quòd isti quotidie se exercebant in palæstra: & ratione exercitij, sequuntur tria illa iuuamenta, à Galeno declarata, primo de tuenda valetudine, & libro secundo: quoniam, ratione continui attritus, partes efficiuntur duriores, calor genuinus augetur, & spiritus efficiuntur citatiores, & sic ad actiones habiliores. Ad hæc autem multa sequuntur commoda: quia ad membrorum duritiem sequitur, quòd minus, quàm alia, fatigentur, & quòd fortius operentur: ad calidi genuini auctionem, sequitur, quòd melius fiant actiones naturales, tum attractio, tum concoctio, & distributio: & etiam corporis partes funduntur, vt oportet: & hinc sequitur, vt partes solidæ mollescant, humida attenuentur, & exigui corporis meatus efficiuntur laxiores. Ad spiritus citatiores sequitur, quod bene meatus omnes ab excrementis expurgentur, quæ in meatibus hærebant: concitatiori spirituum motu impulsis. Et, cum hæc omnia melius fiant in athletis, oportet secundum caloris proportionem, subministrare alimentum, si est verum, quod prius dictū est: etenim, nisi exhibeatur, vt oportet, calidum depascitur propriam substantiam, & corpus absumit. Et hæc circa Aphorismum dicta sint. Sed circa ea, multæ contingunt difficultates. & primò videtur, quòd Hippocrates sibi contradicat, hìc, & in primo de natura humana; quo loco asserit, in hieme abundare pituitam: quod non potest esse verum, si tunc ventres calido innato sunt calidissimi, vt hìc asserit. Quoniam, quando calor innatus abundat, cum sit omnium actionum auctor, actiones perfectè fiunt; & sic eo tempore abundabit sanguis, non pituita: quia pituita generatur ex imbecillo calore: sanguis verò ex moderato; vt habemus secundo de potentijs naturalibus. Secundò dubitatur, quia videtur impossibile, quòd in hieme copiosiora alimenta sint necessaria: si alimen-

Cap.14. *Cap.2.*

Dubitationes multi momenti. *Tex.35.*

Cap.8. & vltimo.

tum

rum debet proportionari ei, quod difflatur, quod in hieme est paucũ: quia tunc ratione circundantis frigiditatis, corpus est stipatum, & densum. Tertiò videtur in dictis Galeni manifesta contradictio: quia in hoc Commento, & præcedentibus habet pro firmo, quòd corpora calidiora magis indigent nutrimento, & minus calida minus indigent: & ideo facilius sustinent inediam, cuius oppositum asserit secundo de temperamentis; vbi, postquàm dixerit, quod latitudo uenarum sequitur ad temperamenti caliditatem, & angustia ad frigiditatem, subdit, ꝙ corpora, habentia venas latas, facilius ferre possunt inediam, quàm habentia venas angustas: quod omnino dissonat ab his, quæ dixit in hoc loco. Hæ quæstiones, cùm faciant ad rei naturam perfectè intelligendam, non sunt prætermittendæ: & eas examinabimus eo ordine, quo sunt propositæ. Circa primam dubitationem, multi, nescientes præpositam contradictionem soluere, dixerunt, quòd non est verum, in hieme abundare pituitam: quia tunc, ob calidi innati concentrationem, perfectissimæ fiunt coctiones, & sic abundat sanguis. Quod absque dubio est contra Hippocratis, & Galeni doctrinam, qui ubique fatentur, & primo de natura humana apertissime dicunt, quod in hieme abundat pituita, & hoc ob multas pluuias, & noctium longitudinem: quoniam multæ pluuiæ faciunt, vt hiems sit humida: & noctium longitudo est causa, vt sit frigida. Nam, cum sol eo tempore, non per verticem nostri capitis moueatur, sed per loca satis humilia: hinc fit, vt noctes sint longissimæ: & tempus, ex recessu solis, & noctium longitudine, reddatur frigidum: & ideo, cum frigida, & humida sit hiems, & vnumquodque operetur per qualitatem, quam habet, refrigerabit & humectabit corpora: & hinc sequitur, quòd pituita, quæ est frigida, & humida, eo tempore generetur: & hoc etiam testatur experientia, quæ est rerum magistra: nunquam enim videmus adeo abundare pituitam, vt in hieme: &, quando aliqua manifestè ad sensum patent, debent recipi pro veris: &, si causam ignoramus, non est dicendum, quòd, aliter, quàm manifestè apparet, res se habet: sed causam ignoramus, vt habemus ex Galeno secundo Aphorismorum, & secundo de spirandi difficultate. Montanus verò in hoc, Galeni responsionem, quam, vt patebit, ipse non intellexit, reprehendit: & posteà, vt sedaret contradictionem, inquit, quòd corpora vel naturaliter se habent, vel præter naturam: si naturaliter, superueniente frigido, calidum concentratur, & omnes actiones perfectissimè fiunt: & sic in hieme abundat sanguis, non pituita: & de istis verificatur hic Aphorismus. Si verò se habent præter naturam, superueniente frigido, calidum non roboratur, sed ferè extinguitur, & actiones fiunt imbecillæ: & non sanguis, sed pituita magna ex parte generabitur: & in

Cap. 4.

Comm. 20.
Cap. 2.

istis

istis verificatur, quod dixit in libro de natura humana. Quæ omnia, vltra quòd sunt contra Galeni sententiam in illius loci expositione, minimè etiam sunt ad mentem Hippocratis: qui, eo loco volens probare, quòd natura hominis constat ex quatuor humoribus, hoc probat, ex eo, quòd isti humores semper sunt in nostro corpore, & posteà, in quolibet anni tempore vnus magis abundat: in vere sanguis, in æstate bilis, in autumno melancholia, & in hieme pituita: quæ oportet, vt verificentur in corporibus bene se habentibus: aliter Hippocrates non concluderet, quod intendit, quòd nostra scilicet natura constet ex istis. Ideo nos, cæterorum opiniones derelinquentes, cum Galeno, huius quæsiti solutionem assignare conabimur, qui primo de natura humana, quæsitum ex intento agitat, & doctissimè soluit; sed eius solutionem non intellexerunt. Sed, his, quæ in medium afferam intellectis, eius sententia optimè percipietur. Et ante omnia, est memoriæ reuocandum, quòd, si in hieme ventres sunt calidissimi, hoc est per accidens, & ratione antiparistasis: quia hiems ex sua natura, cum sit frigida, & humida, non potest nisi refrigerare, & humectare: nihil enim agit vltra suam speciem, seu formam: & sic hiems per se refrigerat, & humectat: & per accidens, facta caloris concentratione, calefacit. Hinc possumus dicere, quod hiems ex propria natura, & per se generat pituitam: per accidens verò generat sanguinem: sed hoc non sufficit ad dubij solutionem: nam semper in hieme efficitur concentratio: & sic, semper vnus humor deberet abundare per se; & alius per accidens: quod non responderet Hippocratis sententiæ in eo loco. Et ideo est dicendum, quòd, iuxta Galeni sententiam, in hieme abundat pituita, non solum ex natura ipsius hiemis, sed etiam, quòd in ea fiat caloris concentratio, quæ per accidens euenit: adeo quod, quamuis ventres eo tempore sint calidissimi, & in partibus internis perfectissimæ fiant actiones, adhuc tamen pituita, non sanguis abundat. Nemo enim negare potest, quòd ideo refugit calidum ad interna, quia partes externæ sunt refrigeratæ: & in corporibus debilibus, frigiditas penetrat etiam ad partes intimas, & sic etiam ad venas magnas, & ad iecur: &, si corpora fuerint multo imbecilliora, frigidum penetrabit etiam vsque ad ventriculum: & non solum calidum non augebitur, sed ferè extinguetur: & ideo, vt diximus, in istis non verificatur iste Aphorismus. His stantibus, dicimus cum Galeno, quod semper in hieme abundat pituita: & in corporibus maximè debilibus nemo inficiabitur, sed solum in robustis: quoniam, cum in imbecillioribus frigiditas penetret ad intima, ex imbecillo calore, pituita abundat, non sanguis. Quòd si non adeo debile sit corpus, sed quodammodo fortius, vel sit quidem robustum; sed ob vestium penuriam, vel quia coactus

Loco alleg.

fuit

fuit per loca frigida iter facere, vel ob aliam huiusmodi causam, frigiditas ambientis, quamuis non perueniat vsque ad ventriculum, penetrat tamen ad iecur, abundabit pituita: quoniam, etsi prima concoctio fuerit perfectè elaborata in ventriculo, & intestinis, tamen secunda, ob frigiditatem illucusque peruenientem, non potuit perfectè fieri: & sic abundabit pituita, quæ nihil aliud est, nisi sanguis diminutè concoctus. Quòd si frigiditas, ob corporis fortitudinem, non potuit penetrare vsque ad iecur, sed solum vsque ad venas magnas, vel alias, vel ad minus ad eas, quæ sunt in ambitu corporis: quod etiam in robustissimis accidit: abūdabit etiam pituita: quia, etsi sanguis generetur in iocinore, perficitur tamen in venis, quibus sanguificandi facultas à iocinore communicatur: &, si venæ sunt admodum refrigeratæ, nō solum non perfectius sanguinem elaborabunt, sed de prius habita perfectione aliquid diminuent; ipsum perfrigerando: & sic ēt in robustissimis abundabit pituita. Et, quāuis, ratione multi caloris in partibus intimis, multus ēt generetur sanguis: tñ ille, cum in alijs partibus perfici nō possit, erit quodā modo frigidus, & pituitosus: & ideo, etsi in robustis in hieme sanguis sit multus, tñ ille est crassus, & ferè immobilis, quibus eliquatur postea, & mobilis efficitur in vere: & ideo tunc accidunt morbi ex fluxione, vt inquit Hippocrates in libro de aqua, aere, & locis: & sic habemus, qualiter in hieme in omnibus corporibus abundat pituita. Addit etiam Galenus loco allegato aliam causam, dicens, quòd in hieme abundat etiam pituita, ratione multorum ciborum frigidorum, & crassorum, quibus corpora eo tempore nutriri solēt, vt caro suilla, & huiusmodi, & etiā ratione vinorum, quibus tunc pro potu vtimur, quæ sunt recētia, & multam pituitā apta reaggregare. Et hæc de prima quæstione. Quo verò ad secūdam, dicimus, ꝙ multam habet difficultatem, quia, cū in hieme stipata, & densa sit cutis, pauca fit à corpore difflatio, & pauca deberet esse alimenti necessitas. cuius oppositum asserit Hippocrates in hoc Aphorismo. Sed, quamuis hæc videantur habere multam apparētiam, tamen, vt inquit in Commento Galenus, experientia testatur veram esse Hippocratis sententiā, quia homines in hieme melius appetūt, & concoquūt, &, nisi plura accipiant alimenta, male se habent: quia à frigore hiberno superantur, & extinguuntur, & ob id eo tempore est multa alimenti necessitas. Quòd autem eo tempore multa fiat etiam euacuatio: hoc, vt inquit Galenus, testatur, quia, etiam si multum eo tempore comedant, nō solent in plecthoricas dispositiones incidere, nec in morbos ex plenitudine, & hoc non ob aliud, nisi quia tunc, si multa ingurgitantur, multa etiam fit à calore dissipatio. Adeo quòd experientia testatur, ueram esse eius sententiam: sed causa est indaganda, quæ in Hippocratis doctrina

inuentu est facilis; in alijs verò impossibilis: & hoc, quia omnia tribuit calori: qui à principio efformauit, posteà adauxit, & vsque ad mortem enutriuit: est enim omnium naturalium actionum auctor, & causa; vt etiam habemus octauo de placitis: &, quando hoc calidum est maius, & fortius, actiones omnes melius fiunt, & ideo, cum in hieme ex concentratione augeatur, melius tunc fit appetentia, concoctio, sanguificatio, & quælibet alia naturalis operatio, & sic melius etiam fit superfluitatum expulsio. Et, si diceret aliquis, quòd corpus eo tempore minus in halitum dissipatur, inquit Galenus, quòd hæc actio fit melius in hieme: quoniam tunc, ob caloris fortitudinem, adeo tenuia sunt, quæ per eam, quæ occulta difflatio nominatur, defluunt, vt omnino sensum effugiant: &, si aliqua remanent crassiora, ita, vt nõ possint insensibiliter euacuari; ea euacuat per alias regiones: & ideo videmus, ꝙ in hieme plura expirant homines, quàm alio tempore, & vrinæ sunt crassiores, & cũ maiori, & crassiori sedimento: & excernuntur in maiori quantitate: vt ex istis dicere liceat, ꝙ in hieme fit etiam multa difflatio, & excrementorum expulsio: sed, quia, quanto fortius, & vehementius est calidum, tanto insensibilius euacuat: ideo, etsi multa tunc fiat euacuatio, sensum effugit, & fit manifesta, quando calidum non est adeo validum, & à sua perfectione declinat. Et, hac ratione motus, dicebat Diocles, omnem sudorem esse præter naturam: quia, quando calidum est validum, quod in alijs euacuatur per sudorem, euacuat insensibiliter: & ideò videmus homines sudare ob nimiũ laborem: vt liceat concludere, in hieme multa alimenta esse necessaria: quia multus est calor, &, vt subiungit Galenus, nisi multa exhibeamus, maximum sequitur detrimẽtum. Quod esse verum inueniemus, si considerabimus, quæ dixit tertio de temperamentis, scilicet, quòd ratione frigidi circunstantis, ob tres causas, calidũ natiuum augetur: primò, quia non dissipatur eius substantia, vt in æstate: quamuis enim bene expellantur inutilia, & excrementa, tamen non dissipatur substantia, vt in æstate, in qua vtilia simul cum inutilibus in halitum digeruntur: secũdò, quia calidum refugiens ad intima, vnitur, & efficitur fortius: tertio, quia, quos inuenit succos in partibus intimis, concoquit, & sibi assimilat, & illis fruitur, & per consequens eius substãtia augetur: cum ex illis, sanguis, & spiritus multi generentur. His stantibus, vt inquit Galenus, nisi per cibos adhibitos tales succi in partibus internis reperiantur, calidum non poterit fortificari, & augeri: & sic à frigiditate tandem superabitur: & actiones fient imbecillæ: & corporis sequitur destructio: & ideo multi cibi in hieme sunt necessarij: &, nisi exhibeantur, multa sequuntur incommoda. Et hæc de secunda dubitatione. Sed, antequàm accedamus ad tertiam, aliqua dicamus de Dio-

Cap. 7. *Cap. 5.*

clis

clis sententia, qui existimauit, omnem sudorem esse præter naturam, & maximè, quia in hoc Galenus videtur varius: quoniam in hoc Commento laudat eius sententiam, & libro de differentijs symptomatum ipsum reprehendit, inquiens, Fortasse verò dubitauerit quispiam, & de sudore, ceu nec ipse naturæ lege incidat: quippe, quòd Diocles etiam docere tentauit. Videtur autem dura esse opinio, & præter rerũ euidentiam: vel, vt alia translatio habet, cuius dogma durum omnino, & inefficax esse videtur: tametsi eam maximè probabiliter confirmet. Sed de his dabitur alias scribendi occasio. quibus verbis reprehẽdit Dioclem, & promittit, se alias hoc fusiùs declaraturum: quod nunquàm fecit, ad minus in libris, qui circunferuntur: sed, nulla facta de Dioclis sententia mentione, tertio de symptomatum causis determinauit de sudore, vt erat dictum de alijs euacuationibus; quòd debet dici critica, & naturalis euacuatio, quando per eum natura expurgat id, quod noxium est: & per talem euacuationem natura pluries iudicat morbos: quando verò fit vi morbi, & symptomatis ratione, tunc dicitur præter naturam, vt accidit in his, qui vsque ad animæ effusionem sudant: & efficitur sudor, quem diaphoreticum appellant. Et sic eo loco videtur determinasse, sudorem aliquando esse naturalem, aliquando præter naturam. Et, si hoc est verum, quare laudauit Dioclis sentẽtiam in hoc Commento: & tamẽ ille tenebat, omnem sudorem esse præter naturam. Et meo iudicio est dicendum, quòd hìc non laudauit Dioclem, quòd dixerit, omnem sudorem esse præter naturam: sed in quantum ideo dicebat sudorem omnem esse præter naturam, quam, quando calor innatus est ualidus, non per sudorem, sed insensibiliter in halitum, quæ sunt in totius corporis habitu, euacuat, & hoc faciebat ad suum propositum: etenim, cum explicare vellet, quòd in hieme fit euacuatio insensibiliter, ob innati caloris copiam. hic enim quando redundat, nõ sensibiliter, sed perfectiori modo euacuat; & in hoc adduxit testimonium Dioclis, qui, cognoscẽs, quòd, quando calidum natiuum est plurimum, insensibiliter euacuat, dixit, omnem sudorem esse præter naturam: & sic eum laudat in hoc, quod intendebat probare: quòd, quando calor est plurimus, euacuatio eorum, quæ sunt in habitu, insensibiliter efficitur. Vtrum verò bene dixerit, asserendo semper esse præter naturam, hoc dogma dixit in loco allegato esse durum, & inefficax: durũ quidem, quia oporteret fateri, omnia ferè corpora in æstate male se habere, cum omnes sudent: & illum tantum dicere naturaliter se habere, qui habet calidum innatũ validissimum. quod non est verum: quoniã imbecillitas actionum potest stare in sanitatis latitudine, vt asserit Galenus quinto de tuẽda valetudine, & secundo de temperamentis: & sic durum est eius dogma. Est etiã inefficax,

Cap. vlt. *Cap. 2.* *Cap. 5.* *Cap. 4.*

cax, uel, ut dicit alia interpretatio, præter rerum euidentiam, quia non respondet experientiæ: uel, quia rationes, quibus id probauit, erant quidem uerisimiles, sed non demõstrabant: uel est inefficax: quia, hoc dogma supponentes, non haberemus modum distinguendi sudorem, qui iuuat, ab eo, qui nocet. Et ideo melius est de sudore, ut de alijs euacuationibus, dicere, ꝙ scilicet semper dici debet naturalis, quando per ipsum, à natura, quæ sunt nocua, excernuntur: & euacuatio est ad animalis commodum: quando uerò efficitur ui morbi, & detrimentum sequitur, tunc sudor debet dici præter naturam. Sed iam ad tertium quæsitũ accedamus: quod multorum animos adeo uexauit, ut quidam, tanq̃ uicti, manus dederint, &, tanquàm omnino sibi pugnantem Galenũ, condemnauerint. Nos autem, quoad nostræ se extendunt uires, ipsum saluare conabimur, & contradictionem sedabimus: & primò supponimus, uenas esse sanguinis receptaculũ: &, quantò sunt maiores, tantò copiosiorẽ possunt sanguinem continere: & quãtò minores, tantò sunt minus capaces. secundò supponimus, quòd propinquum nutrimentũ nostri corporis est sanguis, qui, ut instauret humidum, quod in qualibet nostri corporis parte continuè consumitur, à natura generatur: & ideo Galenus inquit, ꝙ corpora, quæ habent uenas latas, ferunt facilius inediã, quã habentia uenas angustas: quia habentia uenas latas, absque dubio, si non extrinsecus sumunt alimentũ, habẽt in uenis, quod pro eo, quod consumitur, pro aliquo tempore supplere potest: quod nõ est in habentibus uenas angustas: & sic debet intelligi locus ille. Sed dicet aliquis, latitudo uenarũ sequitur ad caliditatẽ, & angustia ad frigiditatẽ: & prius declaratum est, ꝙ, ubi est maior caliditas, est etiam ibi maior alimenti necessitas. Quocirca, habentia venas latas non poterunt facilius, quàm habentia uenas angustas ferre inediam. Præterea secundo de ratione victus in acutis, & octauo, & decimo Methodi, habemus ab Hippocrate, & Galeno, quòd corporibus calidis, & siccis, quæ ab ipsis dicuntur picrochola, omnium inimicissima est inedia: & talia habent venas latas. Ad hæc dicimus, quòd, quando Galenus comparauit venas latas ad angustas, fecit comparationem inter illas, cæteris prætermissis: &, quamuis latitudo venarum sequatur ad caliditatem, tamen, ad hoc, vt venæ fiant latæ, non requiritur extrema caliditas, sed sufficit mediocris, vt habemus secundo Aphorismorum: & sic, quando efficitur comparatio inter corpora, quæ possunt magis, aut minus ferre inediam, si cætera non repugnant, latitudo venarum facit, vt inedia facilius tolerari possit: vt habemus primo de ratione victus in acutis: vbi volens Galenus declarare, quæ corpora magis, & quæ minus inediam ferre possunt, inquit, quòd magis fert inediã corpus densum, & siccum,

Comm. 44.

Comm. 4.

& siccum, quod latas habeat uenas, si in eo uitale robur fuerit ualidum. Quia in tali corpore, etsi latitudo venarum, & vitalis facultatis robur, multum ostendant calorem, tamen latitudo venarum facilè potest pro eo, quod consumitur, pro aliquo tempore supplere, & maximè in corpore denso, à quo paucum est id, quod defluit. Et de picrocholis dicerem, ꝙ eorum corpora sunt immoderatè calida, & non natiuo, sed ascititio abundāt calore; & in illis, hac ratione, abundat bilis: & ideo picrochola dicuntur: & sanguis, qui in eorum continetur venis, est paucus, & vitiosus, etsi venæ sint latæ, vt videre licet, & pulcherrimè apud Hippocratē, & Galenum sexto Epidemion: & non est mirum, ꝙ his corporibus inedia sit inimicissima, cum habeat immoderatum calorem, cuius ratione immodicè resoluuntur, & tabefiunt, & nō habent in venis, quod, pro eo, quod deficit, supplere possit. Et in hoc est notāda Galeni industria, qui, cum primo de ratione victus dederit exemplum de corpore, quod pōt facilius ferrè inediam, & inter alia apposuerit latas venas habens, dando postea exemplum de eo, quod nō potest ferre inediam, dixit, Si verò fuerit corpus, habens habitum corporis mollem, & rarum; & apponens quædam alia, nullam fecit mētionem de venis: quoniam difficilè ferūt inediam, non solum habentia venas angustas, sed etiam quædam habētia venas latas, & sunt corpora picrochola, quæ indigent alimentis, ne ex nimio calore tabescant, & habentia venas angustas, indigent alimento, & inediam ferre non possunt: quoniam, etsi eorum calidum non sit multum, tamen indigent continua refectione: cum eorum status assimiletur decrepitis, qui, cùm habeant exiguum calorem, & parum de humido, sunt ferè extinctioni parati.

Comm. 4. tex.

APHORISMVS XVI.

Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè verò pueris, & alijs, qui tali victu uti consueuerunt.

APhorismus iste alio modo à Philotheo, alio à Galeno introducitur: inquit enim Philotheus, ꝙ, cum Hippocrates locutus esset in præcedentibus Aphorismis de victu sanorum, hìc loquitur de victu ægrorum: & hoc sumpsit à Galeno in præcedenti Commento: & idem posset colligi ex his, quæ dicit infrà. Quæ omnia sunt sano modo intelligēda: quia, cum Hippocrates in Aphorismo

Comm. 17. & 18.

quarto cœpisset tractare de victus ratione in morbis instituenda; & considerasset præcipuas illas indicationes, quæ sumebantur à morbi vigore, & viribus ægrotantis, simul cum particularibus accessionibus, vt nihil in hac tractatione deficeret: cum essent quædam alia, quæ ad eandem victus rationem aliquid conferebant: quòd ea sint consideranda, in tribus præcedentibus Aphorismis scriptum reliquit: & sic nunq̃ ab eo, quod proposuerat, videtur recedere: semper enim habuit pro scopo victum in morbis instituere: est tamen verum, ꝙ volens declarare, quemodo ætas, temperamentum, anni tempus, & similia ad victus rationem instituendam conferant, sumpsit pro exemplo sana corpora: quia, sicut sana corpora, ratione diuersarum ætatum, diuerso modo debent nutriri: ita etiam, cum ægrotant, non eodem modo sunt nutrienda: quoniam, si pueri magis indigent alimento, quàm senes: & minus possunt ferre inediam: ita etiam, cum ægrotant, non est adeo in pueris, vt in senibus, attenuandus victus: & non debemus adeo attenuare in hieme, vt in alijs temporibus. Adeo quod, quamuis aliquid pro exemplo dixerit de victu sanorum, in hoc loquitur de eadem victus ratione: exẽplo ipsorum ægrorum: asserens, victum humidum febricitantibus omnibus cõferre. Galenus vero asserit in Aphorismi introductione, quod, postquàm Hippocrates locutus fuerit de victus quãtitate, in hoc Aphorismo loquitur de eiusdem victus qualitate. Ad quorum verborum intellectum, sunt memoriæ reuocanda, quæ in præcedẽtium expositione diximus, scilicet, quod Hippocrates in hoc primo libro Aphorismorum intendit declarare de euacuatione, & victus ratione, tria, scilicet qualitatem, quantitatem, & vtendi modum: &, cum declarauerit euacuationis qualitatem in secundo, & quãtitatem in tertio Aphorismo, reliquit vtendi modum tanquàm posterius explicandum: & cœpit de victus ratione tractare in Aphorismo quarto de qua adhuc loquitur. Et inquit Galenus, quod, postq̃ in præcedentibus fuerit locutus de victus quantitate, hic loquitur de eiusdem qualitate. Quæ quamuis prima facie videantur clara, tamen in se continent maximam difficultatem, vt supra etiam tetigimus. Nam videtur, ꝙ non sit verum, ꝙ in omnibus Aphorismis præcedentibus locutus fuerit de victus quantitate: cum ipsemet Galenus dixerit libro de optima secta: quod Hippocrates in eo Aphorismo, Cum morbus in suo vigore constiterit, tunc tenuissimo victu vtendum est; præscribit victus qualitatem: quod iterum etiam eo loco repetit: & sic non in omnibus præcedentibus de victus quantitate. Et maximè, quia, si in eo Aphorismo loquitur de victus qualitate, ergo etiam in septimo, sexto, & decimo, in quibus à morbi vigore sumpsit indicationem, vt in octauo. Præterea, ratione conuincitur, quod nullo

Aph. 8.

Cap. 39.

nullo pacto hic loquitur de victus qualitate, sed de necessitate de ea fuit prius locutus, & ratio est ipsiusmet Galeni in libro de optima secta: quo loco cum prius probasset contra methodicos, quod tempora morborum non possunt alimentum indicare, quoniam indicatur à viribus, quarum gratia nutrimus: sed quia illi asserebant, quòd non alimentum, sed quantitas, & qualitas alimenti à temporibus morborum indicatur, ideo in uno tempore magis, quàm in alio, nutrire debemus. Ipse hanc positionem impugnat hoc pacto: Quod non indicat genus, non potest indicare, nec quantitatem, nec qualitatem illius generis: sed sic est, quod morborum tempora non indicant genus alimenti: ergo nec poterunt indicare quantitatem, & qualitatem alimenti. Etenim, vt subiungit, idem, absque additione alicuius differentiæ, indicat genus, & cum additione differentiæ, indicat qualitatem sub illo genere, vel quantitatem: quod probat ex Hippocrate, qui non solum indicationem alimenti in genere sumpsit à viribus, quarum gratia nutrimus, sed sed ab eisdem etiam sumpsit qualitatem, & quantitatem: quantitatem quidem in illo Aphorismo priùs exposito, Qui crescunt, plurimum habent calidi innati, in quo non ob aliud, plurimum alimentum pueris esse necessarium asseruit, nisi quia in eis calor innatus est plurimus, cuius ratione plurima fit consumatio: & ideo multa per victum est necessaria instauratio. Qualitatem etiam sumpsit à viribus, quando in libro de alimento dixit: Cibus iuuenibus non mutatus, senibus vero val de permutatus debet exhiberi: volens per hæc, quod, cum in iuuenibus calor sit fortis, cibus debet coctu difficilis tribui; in senibus uero, quia calor est debilis, debet exhiberi coctu facilis, & qui pauca indigeat permutatione: & sic loco allegato concludit, quod non solum genus alimenti, sed etiam quantitas, & qualitas sumitur à viribus. Et, ad propositum aphorismum reuertentes, dicimus, quod Hippocrates nō potest in eo considerare alimenti qualitatem: cum sumat indicationem à morbo, à quo non sumitur indicatio cibandi: morbum enim in cibationem non tanquam indicantem, sed tanquam prohibentem contemplamur: vt, ex primo de ratione victus in acutis, fuit superius explicatū. Et ideo est animaduertendum, quod (quidquid dicant expositores, qui in hoc, meo iudicio, omnes cęcutierunt, & fuerunt allucinati) non est omnino verum, quod Hippocrates in omnibus præcedentibus aphorismis locutus fuerit de victus quantitate: sed, quemadmodum ex Galeno probauimus, à quarto vsque ad duodecimum, declarauit quæ ad formam, & figuram victus erant principaliter consideranda: sed expositores non intellexerunt, quid voluerit per formam, & figuram victus: quod Galenus apertè explicauit secundo de ratione victus in acu-

Cap. 45.

Comm. 44.

Comm. 36.

tis:vbi vult,ꝙ victus forma,& figura,includit victus tum quantitatem, tum qualitatem:& sic Hippocrates, declarando victus formam, declarauit etiam vsque ad duodecimum eius qualitatem, & quantitatem. Qualitatem quidem explicans, quando tenuissimo, & quando minus tenui præcepit,vt vti debeamus: quia considerare victum tenuem,& tenuissimum, est considerare alimenti qualitatem:sicut etiam,considerare,vtrum difficulter cōcoquatur,aut facilè.Et,quoniam, vti tenuissimo, aut minus tenui victu,respicit etiam quodammodo quantitatem:quanto enim victus est tenuior,tanto minus ex eo, corpori suppeditatur alimentum, quamuis illud principaliter attineat ad qualitatem: quia in vnaquaq; victus specie licet quantitatem augere,& diminuere:sed cum ratione, qua multum,aut parum nutriunt quodammodo,vt diximus,respiciant quātitatem:ideo in illismet aphorismis simul, & semel alimēti quantitatem,& qualitatem explicauit, dicens,ꝙ ex propinquitate, aut distantia futuri vigoris,debemus magis,aut minus victū attenuare. Addens postea,ꝙ, si non potest cum tali victu victus vsque ad morbi solutionem perdurare,debemus vberius nutrire:& sic quantitatem,& qualitatem,sumēdo semper indicationem à viribus, vt prius dictum est,simul,& semel considerauit. Sed,quia, vltra ea,quæ erant cōsiderata vsq; ad duodecimum,remanebant aliqua,quæ iuuabant ad victus quantitatem,& aliqua ad victus qualitatē limitandam:ideo Hippocrates,vt tractatio de victus ratione esset omni ex parte absoluta, quæ iuuabant ad quantitatē,considerauit in tribus præcedentibus aphorismis: quæ iuuāt ad qualitatē,considerat in hoc. Et,quando Galenus dixit, cum locutus fuerit de quantitate victus in præcedentibus: per præcedentes aphorismos non intellexit,nisi tres illos,qui immediatè præcedunt. Sed aliquis diceret, Adhuc dubitatio est in suo robore: qm̄, si à morbo non sumitur indicatio cibandi: qūo in hoc Aphorismo,in qualitate victus eligenda, morbum considerauit,& ab eo sumpsit indicationem? Ad hoc dicimus, ꝙ in alimento debet cōsiderari duplex qualitas: vna est qualitas alimēti,vt alimentum est,vt quòd sit tenuis,vel crassæ substantiæ, facilis, vel difficilis concoctionis; & hæc qualitas non potest indicari à morbo, nisi per accidens: qm̄,cum sit qualitas alimenti,vt alimentum est,indicabitur ab eodem,à quo indicatur alimētum in genere: & sic à viribus:& de hac loquens Hippocrates,dicebat,ꝙ iuuenibus debet exhiberi alimētum non mutatum: senibus verò valde permutatū. Debet ēt in alimēto considerari alia qualitas,q̄ in eo est,nō vt est alimentū, sed vt alimentū medicinale:& sic consideramus,vtrū sit calidū,frigidum, humidum,vel siccū:& hæc qualitas nō indicatur à viribus,sed à morbo,& his,q̄ limitant morbi indicationē: & hoc non immeritò: nam morbus indicat sui

Aphor. 9.

subla-

ſublationem,& ſic indicat genus remedij: cùm autem ſublatio fiat per contrarium,& per contrarium determinatum: indicat etiam qualitatem remedij. Et ſic, cum febris ſit morbus calidus, & ſiccus, indicabit remedium frigidum, & humidum: cum ergo inter ea, quæ morbum oppugnare uidentur, ſint aliqua alimenta contrarijs qualitatibus prædita: ideo non eſt mirum, ſi in febribus alimentum debet eſſe frigidũ, & humidum, ut habemus in hoc Aphoriſmo. Et ſic, omnia breuiter per ſtringendo, dicamus, quòd, cum Hippocrates locutus fuerit de uictus forma, quæ includit quantitatem, & qualitatem, explicauit quædam, quæ iuuabant ad quantitatem, in tribus præcedentibus Aphoriſmis: & in hoc loco de his, quæ faciunt ad alimenti qualitatem: quoniam in morbis alimentum eſt eligendum, quòd non ſolum ſit quale, & quantum, oportet, ratione virium: ſed quod etiam, ratione alicuius manifeſtæ qualitatis, morbo opponatur, & illum ratione contrarij oppugnare poſſit. Et ideò Galenus, primo de ratione uictus in acutis adeò extollit pthiſanam, quia, vltra alimenti qualitatem, quam habet, conuenit in morbis acutis, qui ſunt cum febre continua: cum habeat medicinales qualitates febri oppoſitas; quia eſt frigida, & humida; & non ſolum ratione alimenti vires inſtaurat, ſed etiam ratione contrarietatis morbũ oppugnat. Sed ad Aphoriſmi expoſitionem accedamus: ipſum prius diuidentes in duas partes: iuxta id, quòd duo facit, in arte ſummopere neceſſaria: quoniam in prima parte declarat, qualis debet eſſe victus ratione ipſius morbi, & aliorum, quæ ſunt præter naturam. In ſecunda parte explicat, qualis debet eſſe victus ratione ætatis, conſuetudinis, & aliorum, quæ ſunt ſecundum naturam. Et nos, noſtrum morem obſeruantes, prius utranque ſententiam breuiter explicabimus: poſtea, ſingula verba ponderantes, intimius auctoris mentẽ conſiderabimus: & denique dilucidabimus aliqua ſummoperè neceſſaria. Quò igitur ad Aphoriſmi expoſitionem, eſt ſciendum, quòd, ut habemus in Commento, & tertio Methodi, & alibi pluries, in arte medica duo ſunt axiomata, & vniuerſaliſſimæ propoſitiones: ſcilicet, quòd ea, quæ ſunt præter naturam, debent amoueri, & ſic per contraria; & quòd ea, quæ ſunt ſecundum naturam, debent conſeruari, & ſic per ſimilia. Fit autem amotio eorum, quæ ſunt præter naturam, per contrarium; quoniam eſt impoſſibile, immoderatum ad moderatum reducere, niſi per aliud immoderatum: & hoc uolebat Ariſtoteles primo Problematum, quando dicebat, quòd curationes fiunt per exceſſus. Ea uerò, quę ſunt ſecundum naturam, conſeruãtur per ſimilia: quia, ſi aliquod ſeruare uolumus, oportet adhibere, quæ corpus non immutent: hæc uero ſunt ſimilia: quoniam, quæ ad inuicem agunt, & patiuntur, illis hoc accidit, alicuius cõtrarie-

Cap. 3

Probl. 1

trarietatis ratione: & hinc originem duxit, illud in arte medica uniuersalissimum, quod contraria contrarijs curantur: & similia similibus conseruantur: & Hippocrates breuissimè sententiam hanc explicat in hoc Aphorismo: declarat enim in prima parte, quod curatio fit per cõtraria, asserens, quod uictus humidus conuenit omnibus febricitantibus; quia, cũ febris sit passio calida, & sicca; uictum humidum tanquã contrarium adhibendum esse asseruit. Sed, quia ea, quæ sunt secũdum naturam, debent per similia seruari: ideo subiungit in secunda parte, quod multo magis victus humidus conuenit in febre, si ægrotans fuerit puer: quia tunc contrarietatis ratione curabit febrem: & ratione similitudinis, quæ sunt secundum naturam, conseruabit, quoniam puerorum substantia est humida: & ad sui conseruationem humido indiget victu. Quod nobis ipsamet natura manifestat, quæ nuper natis, lac nutrimentum humidum, pro alimento præparauit, vt asserit Galenus primo de tuenda valetudine. Et multo magis conuenit febricitantibus uictus humidus, si sanitatis tempore tali uictu vti fuerint consueti: consuetudo enim (vt inquit tertio de temperamentis) est natura ascititia: & debet similibus conseruari: vt habemus octauo Methodi. Et, quòd consuetudo maximam vim habeat ad victus rationem instituendam, habemus secundo de ratione victus in acutis à textu decimooctauo infra, & ad longum. Et Galenus octauo Methodi ait, ꝙ habet maiorem vim, quàm temperamentum, & ætas: quia tunc tantum natura, & ætas sunt conseruanda similibus, quando non repugnauerit consuetudo: ꝙ si repugnat, debemus esse attenti potius ad id, quod indicatur a consuetudine, quàm ad id, quod indicatur ab illis. Et sic colligimus ex hoc Aphorismo vniuersaliter, ꝙ in qualibet remedij electione, debemus procurare, vt habeat qualitatem, his, quæ sunt præter naturam, & præcipuè morbo, contrariam; & his, quæ sunt secundum naturam, quantum fieri potest similem; vt vtrunque scopum attingamus, curemus scilicet per contraria, & conseruemus per similia. Secundo colligimus particulariter de uictu, quod qualitas ipsius medicinalis debet cõsiderari respectu eorum, quæ sunt secundum naturam, & eorum, quæ sunt præter naturam: & respectu morbi, & aliorum, quæ sunt præter naturam, debet eligi contraria: respectu vero eorum, quæ sunt secundũ naturam, debet eligi similis: & ideo voluit, vt in febre cibus sit humidus, quia cõtrarius, maximè si febricitans est puer, quia similis. Et hęc, quòad breuem Aphorismi expositionem. Sed omnia exquisitius perlibremus. *Victus humidus*. Est magna difficultas, quid intellexerit per victum humidum. Et, non recedẽtes à Galeni doctrina, dicimus, quod per victum humidum, possumus intelligere duo, iuxta id, quod duobus

Cap. 7.

Cap. 5

Cap. vlt.

Cap. alleg.

bus modis Galenus hunc Aphorismum exposuit: & primò per uictum humidum intelligimus victum liquidum, qui actu humidus est: quoniam sic libro de optima secta, hũc Aphorismum exposuit: ubi inquit, quod quandoque præcepta sumuntur ex his, quæ alibi fuerunt præostẽsa, vt cognito iam coctionis modo, scilicet quòd oportet, ut cibus quodammodo teratur, & attenuetur, ac in liquidum mutetur ad coctionẽ perficiendam: præsupposito etiam quòd in febre calor naturalis redditur imbecillis, & calor præter naturam augetur: ex his ortum habuit illud præceptum, quòd uictus humidus febricitantibus omnibus confert: per victum humidum intelligens liquidum, vt cõsideranti locum erit manifestum. Hoc etiam modo videtur, hunc Aphorismum intellexisse Celsus, inter Latinos princeps, qui dictus fuit Latinus Hippocrates: inquit enim libro tertio, febricitantibus conuenire victum humidum, hoc est sorbitionem. Quòd vero febricitantibus, ob caloris innati imbecillitatem, victus debeat esse liquidus, licet uidere secundo de potentijs naturalibus: vbi apertè declarat, in febricitantibus lædi coctionem, & non posse fieri cibi attritionem. Et, quoniam vires in morbis, qui non adeò citò terminãtur, indigent instauratione: & nisi cibus in ventriculo benè concoquatur, & sanguificetur in iocinore, non sequitur in viribus robur: sed potius, aucta malorum succorum copia, morbus exacerbatur: ideo quod in febribus, maximè istarum partiũ robori sit respiciendum, monuit Galenus vndecimo Methodi: quoniã, vt inquit, nõ ex eo, quod ingurgitatum est, sed quod in dictis membris rectè conficitur, alimentum toti corpori suppeditatur. Habemus ergo, quòd, cum in febribus calor naturalis sit debilis, debet exhiberi tale alimẽtum, vt facilè possit alterari, & a calore etiam imbecillo euinci: hoc autem est liquidum: & ideo medici inuenerunt tortitia, ex carne pullorum contusa: sic etiam consumpta, & alia huiusmodi. Et sic per uictum humidum, intelligendo victum liquidum, habemus in arte medica pręceptum non solum vtile, sed etiam necessarium: & intelligendo per victum humidum, liquidum: quæ sequuntur, quàm optime respondent: quoniam victu liquido pueri debent nutriri: vt habemus a Galeno plu ries, & præcipuè tertio de symptomatum causis. Secundò dicimus, ꝙ per uictum humidum possumus, & debemus intelligere cum Galeno in Commẽto, victũ, qui habet vim, & potestatem humectandi: quoniam, cum febris sit passio calida, & sicca, indiget his, quæ habent vim refrigerandi, & humectandi: contrariorum enim contraria sunt remedia: sed, cum hęc dicantur humida, quia habent potentiam humectandi, & victus liquidus dicitur humidus, quia est actũ humidus: ideo ex vtraq; possumus vnam, & perfectam expositionem facere, dicentes, quòd per victum

Cap. 4.

Cap. 6.

Cap. 8.

Cap. 15.

Cap. 3.

victum humidum intelligit actu, & potestate humidum: & sic includit etiam liquidum. Sed hic emergit difficultas, quæ multorum animos vexauit: quia, si febris essentia est in genere caloris præter naturam; & ab eo eius essentiales differentiæ sumuntur, vt patet ex primo de differentijs febrium, & sexto Epidemion; primo ei coueniant frigida, & non humida; quæ ei conueniunt solum, in quantum siccitas immodicum, & igneũ calorem necessariò comitatur. est igitur dubitatio, quare Hippocrates, nulla facta de frigido mentione, febribus humidum victum conuenire asseruit. Et nullus fere est expositor, qui hanc non agitauerit: & variæ in ea sunt sententiæ: sed nos, inutilia resecantes, mentionẽ faciemus solum de his, quæ dicta sunt à probatissimis viris; & postea nostram in hoc explicabimus sententiam. Ante omnes Philotheus inquit, quòd, cum Hippocrates esset breuitatis maximè studiosus, faciẽs mentionem de humido, quod opponitur sicco, aliam contrarietatem, quæ est inter frigidum, & calidum, non explicuit, sed ipsam subintelligendam esse voluit. Addiderunt postea aliqui, hanc opinionem secuti; quòd reliquit illud tanquam notissimum: nemo enim sanæ mentis poterat dubitare, quòd frigidus victus febri conueniat, cum hoc, etiam ex ipso nomine, statim pateat: dicitur enim Febris, a Feruẽdo, & apud Græcos dicitur πυρετὸ ἀπὸ τοῦ πυρὸς, quod significat ignem: vt idem sit, πυρετὸς, quod quoddam igneum: immò Hippocrates, quando in libris Epidemion aliquem ægrũ describens, voluit insinuare passum fuisse febrem ardentissimam, ipsam appellat ignem, inquiens, Ignis inuasit: & Galenus notat, ꝙ per ignem intellexit ardentissimam febrem, quæ cum sit de natura ignis, si curatio fit per contraria, nullus poterat dubitare, ꝙ ei frigida conueniant. Quæ, quamuis sint à doctissimis recepta, tamen mihi non omnino placent: quoniam, si uerum est, quod Galenus asserit, ꝙ scilicet Hippocrates in hoc Aphorismo vult nobis explicare, ꝙ curatio efficitur per contraria, & conseruatio per similia: si reliquit frigidum tanquam manifestum, & subintelligendum: poterit in aphorismo addi: sed, si additur quamuis aphorismus sit verus, quoad primam partem: quia victus frigidus, & humidus conuenit omnibus febricitãtibus: quia contrarius: tamen, quoad secũdam partem, erit falsus, quoniam non erit verum, ꝙ hic conueniat maximè pueris, quia similis; etenim pueri sunt quidem humidi, sed non frigidi. Eodem etiam pacto impugnatur Montani positio, qui dixit, quod, cum humidum possit esse aereum, & aqueum, aereum cito inflammatur, & non competit in febribus: & ideo, præsupponens tanquam notum, ꝙ per humidum, intelligit humidum aqueum, de necessitate subintelligitur frigidũ. Quæ omnia, quamuis primæ parti possint adaptari, tamen vltimæ parti non conso-

consonant, vt prius dictum est. Oribasius vero inquit, quòd quamuis febris sit calida, & sicca, tamen maius nocumentum sequitur ex siccitate, quàm ex caliditate. fit enim a siccitate humidi consumptio, ad quam sequitur etiam caloris extinctio: & ideo fecit mentionem potius de humido quàm de frigido. Et aliqui addunt, quòd Hippocrates, volens præseruare corpus à maxima siccitate, in quam posset ex febre incidere, præcipit victum humidum. Quæ positio etiam non placet: quia Galenus vult, quòd in prima parte Aphorismi loquitur de curatione, & nō de præseruatione: curatio namque efficitur per contraria, quemadmodum conseruatio per similia: &, si in prima parte non loquitur de curatione, non esset uerum, quod in hoc Aphorismo præcepit, quòd cōtraria contrarijs curantur, vt in Commento Galenus inquit. Præterea, cū, ex Galeni, & Hippocratis sententia, febris essentia consistat in genere caloris præter naturam, siccitas sequitur ad calorem immodicum: & ideo, si adhibemus refrigerantia, simul, & semel curamus quod factum est, & prohibemus futurum: & hac ratione, si volumus in febre præseruare à nimia siccitate, melius fit per refrigerantia, quàm per humectantia: cum siccitas illa sequatur ad calorem. Et ego (saluo semper meliori iudicio) dicerem, quòd Hippocrates in hoc Aphorismo non intendit loqui de victu febricitātium, sed de victu exhibendo in omnibus morbis: quoniam in præcedentibus vniuersaliter de omnibus tractauit: & idem est dicendum in hoc. Et hoc est illud, quod dicit Galenus in Commento; quòd vult in hoc Aphorismo exhibere vniuersalissimum illud axioma, quòd curatio efficitur per contraria, & conseruatio per similia, & ideò, uictus uniuersaliter in omnibus morbis debet habere qualitatem morbo contrariam, & similem his, quæ conseruari debent: & hoc vniuersale præceptum, exemplo particulari ipsius febris explicauit. Hic enim semper fuit mos Hippocratis, ut ex vno particulari, sententiā inferret vniuersalem; vt habemus primo de ratione victus in acutis; & assumpsit victum febris pro exemplo: quoniam febri cōuenit frigidus, & humidus: & uerum est, quòd ei conuenit victus frigidus, uerum est etiam, quòd ei competit humidus: sed in exemplo non assumpsit frigidum: quia non habebat, in quo ad conseruationem de illo exemplificaret: quia nulla est ætas frigida, nisi senectus: &, cum sit morbus quidā, vel sanitas quædam lubrica, & secundum affectionem, non debet similibus conseruari, sed contrarijs corrigi, vt habemus quinto de tuenda valetudine. Et, si aliquis diceret, si non habebat inter ætates, in qua posset exemplificare, debebat hoc facere in temperamentis; & sic debebat dicere, uictus frigidus conuenit febricitātibus, & maximè his, qui sunt temperamento frigidi: temperamentum enim seruatur similibus, sicut

Comm. 18.

Cap. 3. & 4.

& ætas,

& ætas. Ad hoc dicerem, quòd, cum exempla debeant esse notissima, Hippocrates accepit exemplum puerorum, tanquam manifestissimũ: cum ipsamet natura statim eis tribuat lac: sed quòd temperamentum frigidum conseruari debeat per frigida, uel potius reduci debeat per contraria, non est sine controuersia: vel ad minus non est sic manifestũ: & Hippocrates, volens per notissima mentem suam explicare, dixit, quòd victus humidus conuenit omnibus febricitantibus, non quòd non debeat esse etiam frigidus: sed satis est, quòd victus humidus etiam conuenit, non solum vt frigidus ratione contrarietatis, sed conuenit etiam pueris ratione similitudinis: & hoc est apud omnes manifestum. Et sic ex his, tanquam ex quibusdam manifestis, habemus, quòd victus debet esse morbo contrarius, & similis his, quæ sunt secundum naturam: quia illa amoueri, hæc conseruari debent. *Febricitantibus omnibus conuenit*. Circa hæc uerba notandum, quòd Græci codices sunt varij: alij enim habent, τὰ ὑγρὰ δ' αἶται πᾶσι πυρεταίνουσι συμφέρει: idest, Victus humidus febricitantibus omnibus confert. Alij verò habẽt, αἱ ὑγραὶ δίαιται φέρει: idest, Omnis victus humidus febricitantibus confert: &, quocunque modo legas, parum refert: quoniam uerum est, quòd uictus humidus confert omnibus febricitantibus: & uerum est etiam, quòd omnis victus humidus, ratione qua humidus, conuenit febricitãtibus: si enim aliquis nò conuenit, illud nõ est ratione humiditatis; sed ob aliam causam, vt etiam de frigido in sequentibus dicemus. Sed aliquis cum Galeno in Commento dubitaret: quia non uidetur, quòd in omni febre cõueniat victus humidus: etenim febris pituitosa debet curari per calida, & sicca, ut patet ex primo ad Glauconem. Præterea, quando febris copulatur cum alio morbo, multoties sumus coacti adhibere calefaciẽtia, & exiccantia, vt quando copulatur cum aqua inter cutem. Ad hæc cum Galeno dicimus, quòd febris, quatenus febris, semper indiget frigidis, & humidis: sed aliquando iunguntur aliqua cum febre, quæ nõ permittunt, vt exequamur, quæ à febre indicantur, vt habemus vndecimo Methodi, vbi exemplificat de humoribus glutinosis, & crassis, & de obstructione, quæ, quando copulantur cum febre, prohibent, vt refrigerantia, & humectantia adhibeamus: quia hæc geminarent obstructionem, & humores crassiores, & magis lentos redderent: sed febris, quatenus febris, perpetuo indiget refrigerantibus, & humectantibus. Et ideo dicebat vndecimo Methodi, quòd aqua frigida, cum etiam sit humida, est perpetuum remedium febris, quatenus febris: & in hoc Commento inquit, quòd, quando febris copulatur cum aqua inter cutem, si non exhibemus refrigerantia, & humectantia, non propter hoc falsus redditur aphorismus: quia simplici morbo, simplex competit cura-

Cap. 10. & 12.

Cap. 9.

tio:

tio: sed in affectu composito, res aliter se habet; quoniam multoties sumus coacti attendere ad id, quod magis vrget, & à quo maius vitæ periculum impendet; & sic non possumus vnicuique indicationi satisfacere: cum pro tunc, sufficiat attendere ad id, quod magis vrget; altero nō neglecto, vt habemus in Commento, & decimo Methodi. Sed, ne aliquid in arte necessarium prætermittatur, & vt Galeni Commentum perfectè intelligi possit, aliqua in medium afferre intendimus de compositorum affectuum curatione, & maximè quia sunt curatu difficiles. Et Galenum in hoc, sicut in omnibus alijs, insecuti, ex tertio Methodi, & septimo Methodi, dicimus, quòd, in complicatorum affectuum curatione, debem⁹ esse intēti ad tres scopos: primus est scopus sine quo nō: secundus est scopus causæ; & tertius est scopus vrgentiæ. Ad scopum sine quo non, debemus esse attenti, quando affectus complicati sunt tali pacto coniuncti; vt, nisi vnus remoueatur, alium remoueri sit impossibile: & cum Galeno exemplificemus in vlcere cauo cū sorditie: sordities indiget abstersione: & cauum debet impleri, & sic indiget carnis generatione: &, quia impossibile est impleri cauum, non abstersa prius sorditie: ideo, attendentes ad scopum sine quo non, adhibemus prius sorditiem abstergentia: deinde carnem generando, cauum vlcus implemus. & eadem etiam ratione in morbis ab humore depēdentibus; vt febri ardente, à bile; medicus debet esse prius attentus ad causæ remotionem: quoniam non solum causatur morbum, sed etiam subit vicem causæ sine qua non: est enim impossibile remouere morbum, nisi eius causa prius remota fuerit, vt habemus decimo Methodi. Ad scopum causæ debemus esse attenti, quando affectus complicati ita sunt coniuncti, vt vnus sit alterius, vel aliorum causa: tunc etenim debemus prius esse intenti ad affectum, qui est aliorum causa, deinde ad alios; vt si aliquis ex frigiditate, & humiditate ventriculi, non possit perfectè concoquere, & hac ratione redundent crassi, & viscidi humores, qui, deuenientes ad venas angustas, circa iocinoris partem concauam, fecerint obstructionem, ad quam sequitur febris. In hoc medicus prius debet attendere ad ventriculi intemperiem remouendam, quæ est aliorum affectuum causa: deinde debet remouere obstructionem, & vltimò febrem. Ad scopum verò vrgentiæ, debemus attendere, quando inter affectus complicatos est aliquis, qui adeò vrget, vt, nisi citò prouideatur, magnum vitæ periculum impendeat: & tunc ad illum affectum debemus prius respicere: etsi non sit ex eorū numero, sine quibus non possunt alia remoueri, nec sit cæterorum affectuum veluti causa, quia attendimus ad affectum vrgentiorem, vt imminens periculum euitetur: sicuti, si in exemplo posito supponeremus, quòd ex ventriculi intemperie

Cap. 1.

De compositorum affectuum curatione

Cap. 9.

Cap. 12.

Cap. 1.

perie fuit facta obstructio, ad quam postea secuta fuit febris adeò vehe mens, vt, nisi citò prouideatur, maximum vitæ periculum immineat. In hoc, quamuis secundum ordinem scopi sine quo non, & secundum ordinem causæ, alio modo esset procedendum, tamen sumus coacti, ante omnia attendere ad febrem quousque eius magnitudo remittatur, & euitetur vitæ periculum: &, hoc facto, quia impossibile est omnino remouere febrem, nisi prius remoueantur eius causæ, debemus reuerti ad scopum causæ, remouendo ventriculi intemperiem, & inde obstructionem: quoniam sic prorsus extirpabitur febris, quæ prius erat redacta mitior, sed non in totum remota: & his scopis, & dicta methodo vti debemus, in omnium affectuum compositorum curatione. Sed est animaduertendum, quòd, quando attendimus ad vnum, nõ debemus aliũ, ad quem tunc principaliter respicere non possumus, negligere: sed, vt inquit Galenus in Commento, debemus attendere ad vnum, alio non neglecto: quod quo modo sit intelligendum, nunc dicam, quando diuersi morbi sunt complicati, & oportet attẽdere ad curationem vnius, est animaduertendum, an affectus, quem curamus, remedia alteri morbo contraria requirat; aut, si non omnino contraria, ad minus alteri morbo quodammodo noxia. Quia tunc medicus inter remedia, quæ possunt affectui, qui principaliter curatur, conuenire, eligere semper debet, quod affectum curandi vim habeat, & non multum lædat, ratione alterius: sic enim Galenus octauo, & undecimo Methodi, volens curare febrem, quam præcessit obstructio, & sine eius curatione non potest remoueri, præcipit, vt per ea, quæ dissecant, & attenuant, ad obstructionem curandam prius attenti simus: & postea ad febris curationem accedamus: sed monuit, vt inter dissecantia eligamus minus calefacientia; ne febrem augeant. Et hoc, inter alia intendebat Hippocrates primo Epidemion, inquiens, In hoc te exerceto, ut ægris prosis, & non noceas. Quæ sententia, quamuis prima facie videatur indigna tanto viro: quia nemo dubitat, quòd medicus debet studere in hoc, vt ęgris prosit, & non noceat: tamen, si intimius consideretur, est Hippocrate dignissima: voluit enim innuere, vt in affectibus cõpositis eligamus remedia, quæ respectu vnius morbi iuuent, & respectu alterius, ad minus non noceant. Ideo Galenus primo de compositione medicamentorum per genera, exponens illam sententiam, inquit, Si plura adsunt remedia, quę eundem affectum curare possunt; & inter ea, est aliquod, quod vnius ratione potest multum iuuare, sed ratione alterius potest lædere: medicus debet potius eligere, quod non adeo multum iuuare potest, dummodo ratione alterius non lædat: quam quod ratione vnius multum iuuat: sed ratione alterius offendit: quia in affectibus complicatis debemus

Cap. 4

Comm. 2. Tex. 49

Cap. 18

bemus attendere ad vnum; alio, quantum fieri potest, non neglecto; & dixi, Quantum fieri potest: quoniam quandoque, periculum adeo magnum imminet, vt coactus sit medicus vnum affectum curare, & alium penitus negligere: & quandoque, quod maius est, non solũ alium negligere, sed, vt vnum morbum curet, est coactus nouum morbũ facere: vt habemus tertio Methodi. Quandoque enim ad luxationem sequitur maxima inflammatio, & cũ vehementissimo dolore: &, si medicus uellet luxata ossa reducere, ex nimio dolore æger periret: ideo tunc, vt euitet vitæ periculũ, medicus est coactus, relicta luxatione, curare inflammationẽ: sic etiam, quandoque nouũ morbũ facit, vt alium morbũ curet, vt si ex incisione facta per transuersum in dimidia parte nerui, sequitur conuulsio, ad quam nisi citò succurratur, succedit mors: medicus, vt curando conuulsionem, mortem euitet, abscindit in totum neruum: relinquens in parte morbum perpetuum: quia in ea necessario aderit læsio in sensu, vel in motu. *Et hęc de complicatis affectibus, & maximè pueris.* In his verbis declarat Hippocrates, quòd, sicuti uictus humidus febricitantibus conuenit, quia contrarius: ita cõuenit pueris, quia similis: oportet enim conseruare per similia, sicut curare per contraria, vt prius dictũ est. Sed aliquis diceret: Galenus tertio Aphorismorum inquit, quòd in conseruatione, sicciora humidioribus, & calidiora frigidioribus conueniunt; &, vt simpliciter dicam, contraria contrarijs conseruantur, & bene afficiuntur: Hippocrates etiã, in libro de salubri diæta voluit, quòd debemus ætatũ temperamẽta per contrarios victus corrigere. Ad hoc pro nunc dicimus vniuersaliter, ꝙ, quamuis, vt inferius disputabimus, conseruatio in corporibus intemperatis possit fieri per similia, conseruando in eodem statu, & ad meliorem frugem deducendo per contraria, dum sunt actu sana, tamen, tempore, quo ægrotant, medicus nõ debet per contraria mutare naturalem statum, sed debet conseruare per similia: & debet habere pro scopo sanitatẽ deperditã, etiam si fuerit mendosa: quia oportet, in morbis curandis habere naturam adminiculantẽ: & natura gaudet similibus, & per similia debet conseruari, vt habemus ad vnguẽ explicatũ octauo Methodi, & quinto de tuẽda valetudine: quo loco habemus, ꝙ per eandẽ rationẽ in morbis non est mutanda consuetudo, etiamsi fuerit mendosa: etenim mutatio fieri debet maiori otio, & tempore sanitatis. Cum ergo tempore morborum, eorũ, quæ sunt secundum naturã conseruatio, fieri debeat per similia: rationabiliter Hippocrates in hoc Aphorismo, loquens de victu ægrotantium, præcipit, vt per ea, quæ similia sunt, conseruatio fiat. Secundò particulariter dicimus in pueris, quòd semper per similia debent conseruari, siue actu sint sani, siue ægrotent: & ratio est, ut inquit,

Cap. 8.

Comm. 3.

Cap. vlt.

Cap. 10. & 11.

quit Galenus primo de tuenda valetudine, quia, quãuis in pueris videatur abundare humiditas, & sic existimari posset, quòd indigent exiccantibus: non tamen est verum, quia puerorum humiditas non est vt humiditas corizæ, & catarrhi, ita, quòd sit excremẽtitia: sed est humiditas natiua, quæ debet seruari; vt ipsamet natura declarat, quæ pueris lac pro humido alimẽto præparauit, & eã debemus imitari: & quãuis, vt loco allegato inquit, cõuinci possit, quòd in eis maior reperiatur humiditas, quã ad mediocritatẽ requiratur: tamen non propter hoc debet exiccari: quoniam natura eã seruauit pro corporis auctione, vt inquit Galenus libro de salubri diæta. *Et his, qui tali victu uti consueuerunt*. In his explicat Hippocrates, quod nõ solum ratione ætatis sunt adhibenda similia: sed etiam ratione consuetudinis: cum enim natura sit seruãda, & consuetudo est altera natura; immo maiorem uim habet ab ea sumpta indicatio, quàm quæ sumitur à natura, siue temperamento, ut ex octauo Methodi prius dictum est; erit absque dubio consuetudo similibus seruanda: vt natura, & ætas. Sed aliquis solertissimus iuuenis dubitaret, quia non videtur verum, quòd consuetudo habeat maiorem vim, quàm temperamẽtum: oppositum enim asserit Galenus nono Methodi, vbi inquit, Consuetudo, & ætas indicant, temperamento mediante: quia in tantum indicant, in quantum faciunt dignoscere tẽperamentũ, & consuetudo ideo habet magnam uim, quoniam magis valet ad dignoscendũ temperamentũ, quàm omnia alia signa simul iuncta: &, si cõsuetudo indicat mediante tẽperamento; ergo indicatio, quæ sumitur à temperamẽto, erit maioris momenti, q̃ sumpta a consuetudine. Ad hoc dicimus, q temperamẽtũ est duplex, originale scilicet, & ascititium: &, quoniã habemus octauo Methodi, & nono Methodi, quòd in morborũ curatione, debemus habere præ oculis illud temperamentũ, quod erat in corpore antequã ægrotare cœperit: quod potest esse non solũ originale, sed ascititiũ, vt habemus octauo Methodi, et tẽperamentũ, quod præsens est, est vtile ad curationẽ, quia ab eo metimur, tũ recessus quantitatẽ, & morbi magnitudinẽ, tũ etiam remediorum quantitatẽ. Dicimus, quòd consuetudo, vel indicat idẽ, quod originale tẽperamentũ, vel nõ; si indicat idẽ, facit ad illius temperamenti dignotionẽ, si indicat aliud, & diuersum, tũc indicatio a consuetudine sumpta, est maioris momenti, q̃ sumpta ab originali tẽperamento: quia tũc facit innotescere aliud temperamentũ: quod, etsi sit ascititiũ, tamen in curatione est magis vtile, q̃ originale; vt habemus etiã vndecimo Methodi. Et, quãuis cõsuetudo fuerit præcipua causa, vt ascititiũ temperamentũ fuerit introductũ, tamen indicat eo mediãte, quia in tantũ indicat, in quantũ facit ad illius tẽperamẽti dignotionẽ, a quo postea metiri debemus: & morbi, & reme-

Comm. 7.
Cap. 16.
Cap. 9.
Cap. 14. & 15.
Cap. 7.
Cap. 3.

dij quantitatē. Sed, quãuis ex hoc Aphorismo habeamus, q̄ in eligēdo victu, & quolibet alio auxilio, debemus procurare, vt qualitatē habeat morbo contrariā, & his, quæ sunt secundū naturā similē: & hæc ab omnibus tanquā vera recipiantur: tamen credo, quòd à paucissimis intelligantur, quia, quãuis hoc in puero sit clarum, tamen, si febricitans fuerit iuuenis, sententia hæc inuenietur satis obscura: quoniā ei, ratione febris, quæ est oppugnanda contrarijs, conueniunt frigida: ratione verò ætatis secundū assignatam regulā, indigeret calidis: hæc uerò sunt opposita, & non possunt simul fieri. Et, quamuis circa hoc Galenus octauo Methodi, multa dicat, quòd scilicet debemus respicere numerū, & magnitudinē indicationū; & ad eas, quæ sunt numero plures, vel maiores, & digniores indicationes, magis attendere: tamen adhuc vellem scire, quomodo fieri potest, vt per eadem præsidia oppugnemus morbum, & conseruemus ea quæ sunt secundum naturā. Nec est rationi consonum cū Montano asserere, quòd, quando indicationes sunt contrariæ, vt medicus possit curare per contraria, & conseruare per similia; ad minus debet facere, vt, cum medicamenta, & uictus possint habere qualitates in actu, & in potentia, debet conseruare per ea, quæ actu sunt talia, quæ tamen habeant qualitates in potentia, per quas morbos oppugnent. Quod minime uerū est: sequeretur enim, quòd iuuenibus acutè febricitibus exhiberi deberet victus actu siccus, qui habeat potestatem humectandi, quod est contra Hippocratis, & Galeni placita, qui tenent, quòd in febrib. victus debet exhiberi liquidus, & actu humidus, vt diximus ex libro de optima secta. Et, quamuis hic præcipuè competit pueris, ut innuit præsens Aphorismus: non propter hoc tamē non conuenit etiā alijs: est enim vniuersalis sententia, quòd uictus humidus actu, & potestate, conuenit omnibus febricitantibus, & maximè pueris: quia ipsis conuenit magis humidus: sed non quòd alijs debeat exhiberi siccus. Ideo oportet aliam inuenire viam, vt per eadem, tanquam contraria, oppugnemus morbum, & tanquam similia, quæ sunt secundum naturā, seruemus: &, quãuis hoc sit difficillimum, conabimur, quãtum fieri potest, propè ad veritatem accedere. Et ante omnia est memoriæ reuocādū illud, quod in præcedentibus diximus: quòd scilicet duo sunt, quæ principaliter indicant: uirtus, quæ indicat sui custodiam, & morbus, cū sua causa, quæ indicant sui sublationem: temperamentum uerò, ætas, & consuetudo, & alia huiusmodi, non indicant principaliter, sed dicuntur indicare, in quantum faciunt ad principaliter indicantium, virium scilicet, & morbi dignotionem, quæ non solum principaliter indicant, sed etiam sibi inuicem contra indicant: & ideo, in curatione per euacuationem, consulimus uires, vt contra indicantes, & potentes impe-

Cap. ult.

Cap. 4.

dire; quia, cum euacuantia uires dissoluant, si ipsæ sunt imbecillæ, timemus de euacuatione facienda. Sed, quoniam uirium imbecillitas moratur remediorum euacuantium vsum pro imbecillitatis ratione: vt habemus decimo Methodi: si enim sunt omnino imbecillæ, omnino etiam impediunt: si quodá modo fuerint imbecillæ, quodam modo etiam morantur eorum vsum: ideo, vt exquisitè dignoscere valeamus viriũ tenorẽ, consideramus temperamentum, ætatem, consuetudinẽ, regionẽ, anni tempus, & alia: nam ex istis possumus in perfectá virium notitiá deuenire: &, ipsis cognitis, aut fidenter euacuamus, aut ab euacuatione abstinemus. Ex parte verò morbi, illa hoc pacto iuuant: morbus indicat sui sublationẽ per contraria: sed non quælibet contraria sunt vtilia: quia, si fuerint in maiori excessu, quàm oportet, non solum per illa affectus curabitur, sed contrarius introducitur, ex septimo Methodi, & ex nono Methodi: si uerò fuerit minus, quam oportet, ex illius contrarij actione affectus nõ curabitur, vt in morbo calido vt duo, si exhibemus frigida, vt tria, curabitur affectus calidus: & introducetur morbus frigidus, vt vnũ: quia frigidũ vt tria, nõ solum superabit calidũ vt duo, sed vlterius agens, introducet vnum gradum frigiditatis præter naturá. Et, si in affectu calido vt duo, exhibemus frigidũ, vt vnũ, nõ curabit affectum, quoniá non solum nõ oppugnabit caliditaté, sed ab ea superabitur: & ideo Galenus tertio artis medicinalis inquit, quod curatio debet fieri per cõtrarium: sed in equali gradu. Etenim non solum contrarij qualitaté scire oportet, sed etiam qualitatis quantitaté: quo scilicet excessu, & gradu, medicamentum illam qualitatem habeat: &, si verũ est, quod prius diximus, quod ab eodẽ sumitur genus remedij, & quantitas, & qualitas remedii, & a morbo sumitur gen⁹ remedij, quia indiget ablatione, quç fit per contrarium: ab eodẽ sumitur remedij qualitas: quia morbus calidus tollitur per frigida: ab eodem etiá morbo sumitur remedij quantitas: quia tanta debet fieri infrigidatio, quantus per caliditatem factus est a naturali habitu recessus. Cum enim morbus sit quid præter naturam, debet totus remoueri: & sic remedia debẽt proportionari eius magnitudini: & sic, vt possimus definire remedij quantitatem, oportet prius scire quantitatem morbi: & hanc dignoscere non possumus, nisi cognito prius laborantis temperamento: si tantus est morbus, quantus a naturali temperamento factus est recessus: temperamentum verò perfectè dignoscitur: considerando ætatem, & consuetudinem, vt habemus nono Methodi. Et sic oportet illa omnia considerare: istis enim benè perpensis, licet dignoscere ad minus scientifica quadam coniectura, quantus est factus recessus: & sic quantus est morbus: & inde quanta etiam debent esse remedia: quia, si in habente

Tex. 22. & 42.

Cap. 16

bente temperiẽ calidá, morbus generatur frigidus, recessus est multus, & morbus est magnus, & per consequens, remedia debent multũ calefacere: sic etiã, si fit morbus frigidus in ætate calida, & in homine assueto uti rebus calidis; hæc enim omnia indicant mediante temperamento, vt dictũ est. Et ideo dicere possumus cũ Galeno vndecimo Methodi, & nono Methodi, quòd a morbo sumitur, quòd remedium debet esse contrarium: sed alia iuuant ad definiendam contrarietatis mensuram: faciunt enim dignoscere quantus est morbus, & per consequens quantum debet esse remedium, His habitis, uideamus, quo modo in curando est possibile eligere ea, quæ conseruant id, quod est secundum naturam, & remouent id, quod est præter naturam. Et dicimus, quòd illud perficiemus, exhibendo contrarium, quod non possit, nisi quod est prę ter naturam, remouere: hoc enim modo, quod est secundum naturam, conseruabitur. Si enim fuerit corpus, quod sanitatis tempore, erat intemperatum ad calidum ut duo; & postea ægrotet morbo calido vt vnum: quia effectum est calidum, vt tria: medicus in curatione non debet oppugnare calidum vt tria: quoniam duo gradu caloris erant ei secundum naturam: sed debet exhibere, quæ refrigerant, vt vnum; quia sic remouebitur quod est præter naturam, & quod est secundũ naturã conseruabitur. Hoc etiam modo verificabitur Galeni sententia; quòd, cum vlcus indigeat exiccantibus, si fuerit in partibus siccioribus, maiora requiruntur exiccantia: tũ quia partes siccæ siccis conseruantur, tũ etiam, quia recessus est multus; cum pars sicca, humidum, qui exiccatione indiget, morbũ patiatur; si verò vlcus fuerit in parte carnosa, recessus nõ est multus: & ideo parũ exiccantia debent exhiberi, vt, quod est præter naturã, remoueatur, & partis natura seruetur: eodẽ etiã modo iuuat considerare regionem, anni tempus, & cœli constitutionẽ: quia, si morbus frigidus generatur in æstate, est maior, quàm in hieme: sic etiam est maior, si generatur in regione calida, quàm in frigida. Sed hæc quãdoque fauent morbo, & numerantur inter causas insalubres: quandoque verò per contrarias qualitates morbum oppugnant, & sunt causæ salubres: vt habemus nono Methodi. Concludamus ergo, ꝙ, cum in curatione debeamus habere pro scopo pristinam sanitatem, eamque deperditam introducere: si exhibuerimus contraria, quæ tamen habeant contrarietatis mensuram definitam, ex temperamento, ætate, consuetudine, anni tempore, & alijs huiusmodi: tunc tanta fiet ad habitum secundum naturam mutatio, quantus ad id, quod est præter naturam, erat factus recessus. Et sic simul, & semel curabimus, quod est præter naturam: & conseruabimus, quod est secundum naturam: curabimus per contraria: quoniam medicamentum qualitatibus

Cap. 1.
Cap. 9. & 14.
Cap. 14.

contrarijs oppugnabit morbum: conseruabimus per similia: quia, cum medicamentum non possit alterare vltra gradum morbi, conseruabit, quæ sunt secundum naturam, in eo statu, in quo sunt, quibus efficitur simile: quia ex excessu morbi, & remedij, sequitur contemperantia, per quã seruantur, quæ sunt secundum naturam. Sed circa ea, quæ dicta sunt, insisteret aliquis: *Si morbi magnitudo est indicãda per recessum* magnum, vel paruum a naturali habitu: & iuxta recessus, & morbi magnitudinem, sunt postea exhibenda remedia: sequeretur, quod in pituitoso febricitante magis, quàm in bilioso, refrigerantia exhibere deberemus. cuius contrarium obseruatur, quia in bilioso magis, & tutius refrigeramus, & gelidæ etiam potum exhibemus copiosum, quod non fit in pituitoso. Sequeretur etiam, quòd in sene febricitante cum magnus sit factus recessus, & per consequens magnus sit morbus, magis refrigerãtia deberent exhiberi, quàm in iuuene. Sed his repugnat quotidiana experientia. Ad hæc dicimus, quòd absque dubio, cum maior sit factus recessus a naturali habitu in pituitoso, & sene, febricitantibus, quàm in iuuene, & bilioso, illis etiam, iuxta assignatam regulam, magis refrigerantia conueniunt: &, si hoc non fit, est, quia remedium non solum debet indicari à morbo, sed etiam debet tolerari à virtute, quæ contra indicat, & potest impedire multum refrigerantia in sene: quia in eo vires sunt imbecille: cum eorum calidum innatum, quod est omnium actionum causa, sit paucum: & à multo frigido facilè posset extingui. virtus enim non solum in euacuatione est consulenda, sed quandoque etiam in alteratione, quando futura est magna: quoniam asserebat secundo Aphorismorũ Hippocrates: Plurimũ, atque repentè euacuare, vel replere, calefacere, vel refrigerare, siue quovis alio modo corpus mouere, periculosum: quoniam omne nimis est naturæ inimicũ. Idem dicere licet de febriente pituitoso, in quo, ob caloris imbecillitatẽ, abundat pituita; &, ne infrigidantib. eũ magis suffocemus, ab illis abstinemus; etsi ratione magni recessus conuenirent: & eadẽ ratione non exhibemus potũ aquæ frigidæ: tanto magis, quia in eo rarissimè concurrere possunt cõdiciones omnes, quæ ad eius exhibitionẽ requiruntur: quia vt plurimũ in talibus adest in aliquo viscere imbecillitas, & crassorũ, ac viscidorũ humorum redundantia. Sed de his hactenus. Et, antequam ad alium Aphorismũ accedamus, examinabimus vniuersalissimas illas propositiones: ꝙ scilicet contraria contrarijs curantur, & similia similib. conseruantur: hæc enim sunt in arte tanquã principia, & axiomata: & ideo non sunt sicco pede pertranseunda. Et circa primã propositionẽ, cũ non sit adeo dubia, parũ temporis cõteremus. Et cũ Galeno nono Methodi dicimus, ꝙ, cũ in curatione nihil intendat medicus, nisi affectũ præter naturam

Aph. 52

Quando curatio fiat per contrarium.

naturam remouere, & affectũ secundũ naturã introducere: & si affectus sunt contrarij, sequitur, ꝙ affectus præter naturam non potest remoueri, nisi per contraria; & huius causam breuissimè explicat tertio Methodi, inquiens, ꝙ curatio efficitur per contrariũ: quoniã perit vnũquodq; in contrarium, & à contrario: &, cũ affectus præter naturam debeat remoueri, & destrui, hoc non poterit fieri nisi per contrarium: sic etiam, cũ morbus sit quoddam immoderatũ, non potest ad mediocritatẽ reduci, nisi per aliud immoderatũ: vt habemus tertio simpliciũ, & libro de constitutione artis: quia calidã aquam, nunquam ad tepiditatem breui tempore reducere poteris, nisi cũ valde frigidis, & ideo Aristo. dicebat prima Problematum, quòd morbi curantur per excessus: & iam vulgatum est axioma, ꝙ cõtraria contrarijs curantur: quod primo verificatur de morbis: quoniã ipsi propriè tolluntur per contraria: sed potest ampliari ad omne id, quod est præter naturã; ita, vt extendatur etiam ad morborũ causas, & symptomata. Quoniã de omnib. verificatur, ꝙ tollantur suo contrario; &, quo modo verificetur in symptomatis, explicauit vndecimo Methodi, inquiẽs, quòd, quãuis symptomata propriè nõ curentur, quia ad morbi remotionem remouentur, ad cuius etiam positionem ponuntur, tamen, si adhuc consideramus, quo modo causatur symptoma, inueniemus, ꝙ per contrariũ tollatur, vt prohibita euẽtatio sequitur ad obstructionẽ, & per eius apertionẽ tollitur. Quo modo verò verificetur de morborũ causis, habemus clarissimè apud Hippocratẽ secundo Aphorismorũ: quo loco inquit: Quicunque morbi fiũt à repletione, curãtur per euacuationẽ: &, quicũque fiũt ab euacuatione, curantur repletione: sic & aliorũ contrarietas: & Galenus in Cõmento inquit, ꝙ morbi, morborũ causæ, & etiã symptomata tolluntur per sua cõtraria: immo de morborũ causis inuenies multoties in libris Methodi, ꝙ humores crassi debẽt attenuari, lenti debẽt incidi, & multi debẽt euacuari: & undecimo Methodi inuenit cuiq; causarũ differẽtię propriũ cõtrariũ. Sed, cũ Galeno ĩ eodẽ libro, est animaduertendũ, ꝙ, qñ dicimus, quod cõtraria cõtrariis curantur, per Contrariũ, nõ oportet intelligere propriè dictũ contrariũ, quod, iuxta Aristotelis sentẽtiã, cõtra distinguitur ad alia opposita: quia nõ sic, sed cõmunius cõtrariũ sumpsit Hippocrates, vt includat etiã alia, & sit idẽ, qđ oppositũ: quia nõ solũ morbus calidus tollitur ꝑ frigida, & frigidus per calida, quæ sunt uerè cõtraria, sed etiã densum remouetur per rarefacientia, & rarũ per cõdensantia: & quæ situm mutauerunt, per reductionem ad proprium situm curantur: quæ quamuis sint opposita, tamen non sunt uerè contraria. Est tamen animaduertendum, quòd, cum contrarium sit, uel per se, uel per accidens, & contrarium per se, uel est actu, uel potentia contrarium

Cap. 3

Cap. 11

Cap. 12. Probl. 4

Cap. 12.

Aph. 22.

Cap. 13.

Cap. 12

rium? de omnibus uerificatur vniuersalis illa propositio, quod contraria contrarijs curantur: quia possunt curari per ea, quæ sunt actu cõtraria, per ea, quæ sunt contraria in potentia, & per ea, quæ sunt contraria per accidens, vt febris curari potest per aquæ potum, quæ, cum sit elementũ, habet frigiditatẽ in actu: curatur etiam per usum lactucę, cicorij, & aliorum infrigidantium, quæ cum sint elementata, sunt potentia, nõ actu frigida: potest etiam curari per ea, quæ sunt per accidẽs contraria, vt per sanguinis missionem, quæ per se euacuat: sed ad euacuationem sequitur postea per accidens refrigeratio; vt habemus decimo Methodi: sic etiam rhabarbarũ, & alia, quæ purgando bilẽ, curant febrẽ, vltra ꝙ opponuntur humori redũdanti ipsum euacuando, opponũtur etiam febri, quatenus per accidens refrigerant, & sic, quãuis tot modis dicatur contrariũ, in omnibus verificatur propositio illa, vt etiã habemus vndecimo Methodi: Immo in eodẽ libro postea declarat, ꝙ medicus quãdoq; debet curare p ea, quæ sunt actu cõtraria: quãdoque per ea, quæ sunt talia in potẽtia: & quãdoque per ea, quæ sunt cõtraria per accidens. & exemplificans de hoc vltimo, innuit, ꝙ, quãdo propter indicationũ pugnantiã medicus non potest contrariũ febri remedium exhibere, debet attendere, vt per euacuationẽ, & eorũ, quæ sunt causa febris, remotionẽ, ad minus per accidens sequatur febris oppugnatio, & refrigeratio: vt, quãdo originem ducit a viscidis, & crassis humoribus: quoniam tunc nec aquam exhibere licet, nec ea, quæ potestate infrigidant: sed per ea, quæ dictos humores prius incisos, & attenuatos euacuant, per accidens, infrigidando febrẽ curare debet. Sed, quamuis propositio illa sit famosissima, non defuerunt, qui illam in dubium reuocarunt; tenentes, quòd efficiatur quãdoq; curatio per similia, vt quando dolor est medicina doloris: & hoc testatur ipsemet Hippocrates sexto Epidemion: vbi inquit, agere similia, vt dolor dolorẽ sedat, hoc potest experientia comprobari, quando videmus aliquos laborare dentiũ dolore; qui cũ nõ possit alijs remedijs tolli, remouetur per aliũ dolorẽ, per dentis scilicet extractionẽ, quæ sine magno dolore fieri nequit. Sic etiã coxendix, quæ alijs nõ potuit curari præsidijs, quãdoq; ferri candentis inustione curatur, quæ fit cũ magno dolore. Videmus etiã multoties, ꝙ vomitus curatur vomitu, & fluxus fluxu: & aliquãdo acres excretiones, curantur acri iniecto clysteri: quibus posset alicui persuaderi, quòd quãdoque curatio efficitur per similia. Sed ad hæc omnia respõdet Galenus sexto Epidemion, quo loco quæstionem ex intento agitat: & inquit, quòd dictæ curationes omnes fiunt per contrarium, quamuis prima fronte p similia fieri videatur: quia, quando p dentis dolorosam extractionẽ dolor curatur, dolor excitatus nõ est causa, vt dolor remoueatur,

Cap. 10. *Cap. 2.* *Cap. 9.* *Comm. 2. Tex. 9* *Loco alleg.*

tur, sed, quia remouetur dens, qui erat doloris efficiens causa: sed, cũ nõ potuerit euelli sine dolore, per accidens fuit dolor excitatus: &, si sine eo potuisset dens extrahi, curatus esset dolor, & melius. Quòd autem non sit dolor, qui dolorem curauit, patet: quoniam, si, dimouendo, & comprimendo dentem, dolorem excitabis, nisi dens extrahatur, semper dolorem augebis: quod non esset, si dolor esset medicina doloris. Idem dicere licet de vstione, quæ fit in coxendice: quoniam curatur dolor, nõ quia ex vstione dolor excitatur, sed quia pars illa incalescit, & exiccatur muccosus ille humor superfluus, qui in parte redundabat: & sic fit per contrarium: sic etiam curatur quandoque vomitus vomitu, remouendo, & euacuando vomitus causam, humorem scilicet aliquem in ventriculo præter naturam redundãtem: & hoc etiam pacto potest curari dysenteria, & acrium humorum deiectio, per acrium clysterium iniectionem: quia per hæc possunt homores educi, qui affectum illum causabãtur. Vt liceat concludere, quòd in rei veritate, omnis curatio efficitur per contrarium: &, si quandoque videtur fieri per similia, illud est per accidens: & inquit Galenus, quòd Hippocrates, videns, quòd multi de facili poterant in hoc dubitare, vnico exemplo ad illorum dubium satisfecit, inquiens quinto Aphorismorum, quòd in iuuene bene carnoso, æstate media, si patiatur distentionem, affectum alioquin frigidum, & curatur per frigidam superinfusam, non curatur ratione aquæ frigidæ, nisi per accidens, & declarauit, quomodo, inquiens, reuocato calore, qui postea per se curat distentionem. Et hæc de his dicta satis. Sed videamus, an verum sit, quòd similia similibus conseruantur. patitur enim hæc propositio multas obiectiones, cum Hippocrates in libro de salubri diæta, & in libro de aqua, aere, & locis, manifestè innuat, quemlibet excessum per contrarium facilè saluari: vnde dicebat, quòd, quando fuerit constitutio sicca, corpora humida, & pituitosa bene se habẽt: & multa alia protulit, quæ idem significandi vim habent. Galenus etiã huius sententiæ oppositum scriptum reliquit pluribus in locis: & primo in tertio Aphorismorum inquit, quòd solùm corpus temperatum per similia conseruatur, cætera verò omnia in contrarijs locis, victus genere, & tempore bene se habent, in simili malè. idem etiam testatur primo Epidemion: vbi, volens assignare causam, quare, quando est status calidus, & humidus, aut calidus, & siccus, non omnia corpora æqualiter afficiuntur, dicebat, quòd hoc prouenit ex naturæ ipsorum corporum diuersitate: quoniam corpora humida in constitutione sicca, non solum non ægrotant, sed melius, quàm prius, se habent, quia ab excessu vindicantur: in constitutione verò humida facilè ægrotant, & corpora sicca bene se habent: & tandem concludit, quòd corpora intemperata, in con-

Loco alleg.

Aphor. 21.

Vtrum conseruatio fiat à similibus.

Commẽ. 3.

Commẽ. 2. Comm. 7.

in contrarijs bene se habent, malè verò in similibus. Idem etiam testatur libro primo de alimentorum facultatibus, & libro tertio: & multa alia possent adduci Galeni loca, in quibus tenet, quòd, quamuis sine dubio temperata corpora conseruari debeant per similia, tamen intemperata bene afficiuntur à contrarijs, & malè à similibus: quod testatur etiã quotidiana experientia: quia videmus, æstate facilius ægrotare corpora calida, & hieme corpora frigida: immo Galenus secundo artis medicinalis, hoc ponebat signum intemperantiarum omnium, quòd facile læduntur à suo simili, & iuuantur à contrariorum moderato vsu. Et in hoc ratio etiam non repugnat: quia, sicut temperatum conseruatur per temperata, ita intemperata conseruari debent per ea, quæ tantum à mediocritate recedunt, quantum & ipsa recesserunt, sed per contrariũ excessum: quia, si esset per easdem qualitates, intemperantia augeretur, & corpus in morbum incideret. Ex alia parte sunt infinita loca, in quibus Hippocrates, & Galenus volunt, conseruationem fieri à simili: & incipe ab hoc Aphorismo, in quo antiquus magister suam expressit sententiã, & Galenus in Commento confirmat: quod aperte etiam fatetur tertio artis medicinalis, inquiens, Calidiora calidioribus, frigidiora frigidioribus sunt opportuna, idem asserit pluries in libris Methodi, sed clarissimè libro tertio, & octauo, ac nono: idem comprobauit etiam primo de tuenda valetudine, & quinto, ac sexto: in quibus manifeste asserit, quòd conseruatio sit à simili, immo, si quandoque innuit in eisdem locis posse etiam fieri à contrario, tamen vult, quòd, per contraria conseruando, non debemus reducere corpora ad melius, nisi in tempore sanitatis, in corpore libero, & negotijs minimè implicito, vt patet ex quinto de sanitate tuenda. Quid ergo in hac varietate sentiendum? & maximè, quia etiam hoc potest experientia, & ratione confirmari: experientia quidẽ, quia in locis calidis oriuntur animalia calidissima, & ibi bene degunt, vt Leones; in locis frigidis oriuntur animalia frigida, vt pisces in mari, & ibi conseruantur: &, cum hoc appareat in rebus naturalibus, & medicus debet imitari naturam, ergo debet & ipse per similia conseruare. Ratio etiam huic positioni non deficit: quoniam, si nihil aliud est conseruare, nisi quòd conseruandum, non debet immutari ab eo statu, in quo est, ergo debet seruari per ea, quæ non immutant: hæc autem sunt similia, & non contraria: contraria enim agunt adinuicem, & patiũtur, & sic semper immutant, cum pereat unumquodque à contrario, & in contrarium; ergo concludi potest, quòd conseruatio debet fieri à simili, & non à contrario: &, cum sint auctoritates, & rationes multæ ad vtranque partem, quæsiti solutio est satis ambigua, & certè multum tẽporis requireretur, si particulatim vellemus omnia examinare. Sed, nostrum

Cap. 1. *Cap. vlt.* *Tex. 30.* *Tex. 20.* *Cap. 3.* *Cap. vlt.* *Cap. 14. & 15.* *Cap. 10. & 11.*

ſtrum morem obſeruãtes, veritatem quàm breuiſſimis verbis enucleare conabimur: ex quibus poſtea faciliter intelligetis, quæ circa hoc dicit Plusquam commentator tertio artis medicinalis: & quæ etiam dicit Petrus Apponenſis in ſuo Conciliatore. Ad hoc autem, vt facilius veritas eluceſcat, Galeni ordinem ſeruabimus, quẽ explicat libro ad Thraſybulum, examinando ſingulas quæſiti particulas. & ſic, cum dubitetur, vtrum conſeruatio fiat à ſimili, oportet ſcire, quid intelligimus per Conſeruationem, & quotuplex eſt Cõſeruatio: quid etiam intelligimus per Simile, & quotuplex eſt Simile. quoniam, particulis bene expoſitis, & intellectis, facilis erit quæſiti ſolutio. Per Conſeruationem, vt nomẽ ipſum ſonat, nihil aliud intelligere oportet, niſi illam medici actionem, per quam corpus non mutatur, ſed conſeruatur vt eſt: ſed, quoniam poteſt conſeruari vel in eodem ſtatu, in quo eſt, vel, ſi non in eodem ſtatu, ad minus in eadem latitudine: ideo Galenus, tertio artis medicinalis, innuit, duplicem eſſe conſeruationem, vel in eodem ſtatu, vel in eadem latitudine: quanquã, ſi bene animaduertimus ipſius verba, innuit, quòd in rei veritate vera conſeruatio eſt illa, quæ conſeruat corpus in eodem ſtatu, quia alia debet dici potius reductio: ſed ſatis ſit, quòd vtraque dicatur apud Galenum conſeruatio: ſed prima dicitur cõſeruatio, quia conſeruat corpus in eodem ſtatu, in quo eſt; ſecunda, quia conſeruat in eadem latitudine, quamuis immutet ab eo ſtatu, in quo eſt, reducendo ad melius: & ideo prima eſt propriè, & vera conſeruatio; ſecunda eſt conſeruatio largo modo: immo, ſi rem intimius conſideramus, adhuc circa conſeruationem primo modo dictam eſt animaduertendum, quia in rei veritate, eſt potius correctio, quàm conſeruatio, cum tota ars medica ſit correctiua, vt habemus libro ad Thraſybulum: idem etiam fatetur tertio artis medicinalis: ſed dicitur conſeruatio, quia corrigit inſenſibiliter, & reparat in quantum poteſt, ne corpus mutetur à ſtatu, in quo eſt: non ſic in conſeruatione per quam corpora intemperata reducuntur ad melius: ibi enim non adeo inſenſibiliter fit correctio: & vltra hoc conatur reducere corpus ad ſtatum meliorem. Videamus modo, quid ſit intelligendum per Simile, & quotuplex ſit. Per Simile intelligimus illud, quod communicat cum eo, cui applicatur in aliquo: non enim eſt neceſſarium, vt communicet in omnibus: tunc nanque eſſet idem, non ſimile, vt habemus tertio ſimplicium: ſed, relinquendo alias ſimilitudines, gratia clarioris doctrinæ, accipiamus ſimilitudinem in qualitatibus, vt in caliditate, frigiditate, calida autem ſunt ſimilia corporibus calidis, frigida frigidis: ſed in iſtis oportet ſcire, quòd Simile eſt triplex; Simile minus; Simile maius; & Simile æquale. Perbelle colligitur hæc diuiſio à Galeno pluribus in locis; ſed præcipuè ex tertio ſimpli-

Tex. 20.
Diff. 116.
Cap. 1. & 2.
Tex. 24.
Cap. 19. 28 & 30.
Tex. 3.
Cap. 24.
Cap. 11.

ſimplicium. exemplum in omnibus: corpus calidum, vt duo, ſi compararetur calidis: reperiuntur aliqua, quæ ſunt ſimilia in qualitate, ſed habent caliditatem minorem, vt calida, vt vnum: aliqua vero ſunt ſimilia, ſed habent caliditatem maiorem, vt calida, vt tria, vel vt quatuor: aliqua ſunt calida æqualiter, & iſta ſunt ſimilia tum ratione qualitatis, quia ambo ſunt calida; tum ratione gradus ipſius qualitatis, quia ambo ſunt æqualiter calida, vt duo. His explicatis circa propoſitum problema, eſt videndum, quid intelligimus per Conſeruationem: poſſumus enim intelligere eam, quæ conſeruat corpus in eodem ſtatu, & eam, quæ, quamuis conſeruet in eadem latitudine, tamen reducit ad melius. poſſumus & tertio intelligere per Conſeruationem, quoddam veluti genus, quod includit vtranque conſeruationem. Sic etiam, quando dicimus vtrum fiat à ſimili, oportet diſtinguere de quo ſimili, vtrum de æquali, vel de minori, vel de maiori. Et dicimus, quòd, ſi per conſeruationē intelligimus verè dictam conſeruationem, per quam corpus conſeruatur in eo ſtatu, in quo eſt, talis conſeruatio fit à ſimili: & nullo pacto poteſt fieri à contrario: quoniam contraria ſunt apta ſe adinuicem immutare, & perimere. Sed ad hanc conſeruationem non conuenit quodlibet ſimile: quia, cum in Peripatetica diſciplina ſit diuulgatum, quòd media, ſi comparentur ad aliud extremorum, ſubeunt vicem alterius extremi: calidum enim, vt vnum, reſpectu calidi vt duo, ſubit vicem frigidi: & ſic non poterit conſeruare calidum vt duo in eodem ſtatu, ſed quodammodo mutabit ad frigidum: eadem ratione, calidum vt tria, non poteſt cōſeruare in eodem ſtatu calidum, vt duo: quoniam hoc, reſpectu illius, erit frigidum: & ſic inter ea accidet actio, & alteratio, vt inter cōtraria, cum medium ſubeat vicem alterius extremi, vt dictum eſt. Et ideo ſimile, per quod fieri debet conſeruatio, non debet eſſe maius, nec minus, ſed æquale. quia de iſtis ſolum verificatur, quòd inter ſimilia nō cadit actio: alia enim, ratione cuiuſdam contrarietatis ad inuicem agunt, & patiuntur, vt dictum eſt. Conſeruatio ergo fit à ſimili; ſed illud debet eſſe ſimile non ſolum in qualitate, ſed etiam in gradu qualitatis: ab hoc enim corpus non mutabitur, & ſic conſeruabitur in eodem ſtatu: quod poſſumus exemplo aquæ calidæ vt duo explicare: cui ſi aliquis addat calidam vt tria, prior aqua efficietur calidior: quia reſpectu aquæ additæ ſubit vicem frigidæ: ſi verò aqua addita erit calida vt vnum: prior aqua efficietur quodammodo frigidior; quoniam aqua addita reſpectu illius erit frigida. At, ſi aqua, quæ additur, erit æqualiter calida vt duo, vt prior, aqua nec reddetur calidior, nec frigidior: quia ſunt ſimiles, nō ſolum in qualitate, ſed etiam in gradu qualitatis: quia à tali ſimili non fit mutatio aliqua, ſed potius conſeruatio in eodem, quamuis augeatur

corporis

corporis moles. Et hinc soluere licet difficultatem, quia videmus faci-lius in æstate corpora calida, & in hieme frigida ægrotare: hoc enim accidit, quoniam, quamuis æstas sit illis corporibus similis, quoad qua-litatem, non est tamen similis, quoad gradum qualitatis: quia est maior caliditas æstatis, quàm illorum corporum: & sic ea immutabit ad cali-dum, & facilius, quàm alia; quoniam in habentibus symbolum facilis est transitus. Sic etiam est de frigiditate hiemis, quæ, alterando corpora minus frigida, ea cogit ægrotare. Quòd si caliditas æstatis, & frigiditas hiemis esset corporibus, non solum qualitate, sed etiam gradu qualita-tis similis, non sequeretur corporum alteratio, & immutatio; sed potius in eodem statu conseruatio. accidunt enim hæc, quia non sunt penitus similia. Et, cum difficilè sit inuenire penitus simile, &, quando simile est maius, propter symboleitatem, facillimè causatur morbus: nō dixit, quòd corpus intemperatum læditur à simili; sed facilè læditur: quoniā facillimè potest contingere error; ita, vt non sit penitus simile, sed ma-ius. Sed aliquis dicet, quid ad Galenum, qui tertio Aphorismorum as-serit, quòd solum corpus temperatum bene afficitur à similibus, cætera verò à contrarijs. Ad hoc dicere licet, quòd Galenus eo loco non nega uit, quòd cætera corpora possint etiam per similia conseruari: immo, ꝙ hoc fieri possit, per sequentia verba declarat, inquiens: Quæ verò plus à temperie recesserunt ætates, ijs secundum temperaturam cōtraria lo-ca, & tempora, & victus genera conferunt magis. Per quæ innuit, quòd etiam similia conferre possunt; sed magis contraria: & non immeritò: corpora enim intemperata, per contraria ad temperiem reducuntur; & sic bene afficiuntur, quia non remanent, vt prius, prona ad morbos: & ideo à contrarijs habent, vt non solum in sanitate seruentur, sed etiam acquirunt quandam resistentiam ad morbos, & morbificas causas: à similibus verò, quamuis conseruari in eodem statu possint, non tamen bene afficiuntur: quia semper remanēt cum illa aptitudine ad morbos, quam prius habebant. Si verò loquimur de conseruatione secundo modo sumpta, quæ est potius reductio ad meliorem statum, quàm con-seruatio: Dicimus cum Galeno tertio artis medicinalis, quòd efficitur per contraria, non per similia: & hanc cōseruationem innuit multoties Galenus fieri per contraria, vt considerati eius loca patere poterit. At, si per Conseruationem intelligimus quoddam commune, & veluti genus ad vtranque conseruationem: dicimus, ꝙ conseruatio potest fieri vtroq; modo, & à simili scilicet, & à contrario: & sic accipit Galenus Conserua tionem, tertio artis medicinalis, & quinto de sanitate tuenda, locis alle-gatis: sic etiam sexto de sanitate tuenda. Et concludere ex omnibus li-cet, quòd vera conseruatio non fit, nisi à simili; sed conseruatio com-

Comm. 3.

Tex. 22.

Cap. 3.

muniter

muniter dicta, vt includit verè dictam conseruationem, & aliam, quæ est potius correctio, potest effici, & à simili, & à contrario, & hoc in corporibus lapsis: quoniam corpora temperata, cum sint in mediocritate, non conseruantur, nisi à simili: nulla nanque indigent reductione, ad minus sensibili. Sed in hoc aliquis diceret: Quæ istarum conseruationum in corporibus intemperatis, & lapsis est melior, & tutior: an conseruare in eodem statu per similia; vel potius reducere ad melius, per contraria? Galenus inquit quinto de sanitate tuenda, quòd non debemus reducere ad melius, nisi corpora sana, & à negotijs minimè impedita, ac libera: multum enim temporis requiritur ad hoc, vt mutetur natura: quod si fieri posset, esset multo melius, & tutius, corpora ad melius reducere, quàm conseruare in eodem, & maximè, quia similia, per quæ fit conseruatio, faciliter possunt excedere, & tunc non conseruant, sed, intemperantiam augendo, morbos excitant: quod magis timendũ in conseruatione calidorum, aut frigidorum corporum: quoniam, cum caliditas, & frigiditas sint qualitates actiuæ, si in ipsarum approximatione committitur error, cum sint efficacissimę qualitates, faciliter morbum excitabunt; non sic in qualitatibus passiuis: si enim sicca corpora, per sicca conseruamus, etiamsi approximentur ficciora, quàm oportet, non sequitur de facili morbus ob paucam illius qualitatis efficaciam: sic etiam de humido dici potest. Quoniam, cum istæ qualitates nõ sint adeò efficaces, si cõmittitur in eis error, non sic de facili sequitur morbus, nisi post multum tempus: & ideo error, antequam morbus succedat, faciliter potest emendari: non sic in qualitatibus actiuis, in quibus ex commisso errore, adeo cito potest morbus succedere, vt commissus error minimè corrigi possit. & hac ratione inquit Galenus sexto de sanitate tuenda quòd tutius est conseruare corpora calida, & frigida per contraria; sicca verò, & humida per similia. Et locus est consideratione dignus, quia pulcherrimus, & debet intelligi, vt dictum est. Et, hoc modo omnia distinguentes, multæ apparentes contradictiones facillimè sedari possunt: cum verum sit, quod conseruatio fieri possit à simili, & à contrario, & ab vtroque, vt dictum est: tamen si verè dicta conseruatio à simili solum efficiatur: quod ipsa etiã natura nobis explicat: quia in regionibus calidissimis generantur animalia calidissima, vt Leones; & Pisces, alioquin animalia frigidissima, generãtur in aqua: in quibus, generata optimè etiam conseruantur; & hoc non nisi propter similitudinem. Non est enim sentiendum cum Empedocle, qui asserebat conseruationem fieri à cõtrario; & pisces esse omnium animalium calidissimos, & in mari loco frigidissimo, vt eorum caliditas temperaretur, natura eos collocauit. Quam positionem Aristoteles, in libro de spiratione,

Cap. 8.

ne,

ne, multis medijs reprobauit: quia, si hoc esset, pisces essent generati in terra, & hinc essent ducti ad aquas: quod est impossibile: cum pisces ferè omnes pedibus, quibus duci potuissent ad aquas, carere videantur: & cum animalia, multo calore prædita, sanguine redundent, pisces omnes vel sunt exangues, vel paucum omnino sanguinem obtinet. Ex quibus, & alijs multis, concludit, Empedoclis sententiam esse falsam: quoniam pisces sunt frigidi, & saluantur, ac conseruantur in loco frigido. Sed, quia, excessus à suis contrarijs corrigi, non erat omnino falsum: ideo postea, obscurissimis quibusdam verbis, concludit, quo modo conseruatio fiat à simili, & quomodo à contrario; inquiens, quòd secundũ materiam, & naturam, conseruatio fit à similibus, & cognatis; secundum verò habitus, & dispositiones, siue propensiones, fit potissimum à contrario. Quæ, cum sint difficillima, volui in medium adducere: &, quidquid dicant multi, meo iudicio sic sunt intelligenda. Vnumquodque animal habet propriam, & peculiarem naturam; & indiget propria, & determinata materia; quia, quamuis materia possit suscipere omnes formas, tamen, ad hoc, vt recipiat determinatam formam, oportet, vt materia sit peculiariter disposita ad illam recipiendã: & ideò in canis generatione determinata, & peculiariter disposita, requiritur materia; sine qua, canis forma introduci non potest: sic & in alijs: & determinata illa materia, & elementorum proportio, oportet, vt perduret, si perdurare debet animal ex formæ introductione genitum. Et talis materia, vt inquit Aristoteles, seruatur à suo simili: quoniam, si aliquid fieret ex cera, vel ex glacie, & poneretur in loco calido, statim liquefieret, & destrueretur: sic, si quid fieret ex sale, in humido conseruari non poterit: quoniam materiam illam oportet per similia, & non per contraria conseruare. Et, si aliquis diceret, quo modo in nobis fit hæc conseruatio per similia. Dicam, cum Galeno, quòd fit mediantibus alimentis, quæ secundum substantiam, & substantiæ proprietatem, sunt nobis similia, & familiaria: & hinc, tanto nos ab alijs secundum naturã differimus, quanto differentia sunt alimenta: aliorum nanque animalium, aliqua pro alimento vtuntur palea, aliqua herbis folis, aliqua etiã elleboro, vt habemus sexto de sanitate tuenda: & sic secundum materiam, & naturam conseruatio fit à simili. Subiungit Aristoteles, Secundum habitus verò, & dispositiones, potissimum saluantur per cõtraria: idest, secundum alterationes, quæ fiunt in illa materia: quoniam, etsi corpus humanum, ratione suæ determinatæ materiæ cõseruari debeat per similia: tamen, quando incalescit, saluatur per frigida, & quando refrigeratur, saluatur per calida: &, si talis intemperies fuerit recens, dicitur dispositio; si fuerit longo tempore perseuerans, dicitur habitus. Ari-

Cap. 3

stotelis

stotelis ergo sententia est, quòd conseruatio secundum materiam, & naturam fit à simili: secundum vero habitus, & dispositiones materiæ fit potissimum à contrario: ac si voluisset dicere, quòd primo modo, nullo pacto verificari potest Empedoclis positio: sed alio modo non est omnino falsa. Sed aliquis ex dictis posset contra nostram determinationem concludere, quòd vera conseruatio non fit à simili: quoniam nos illud, non de conseruatione secundum materiam, quæ absque dubio fit à simili, sed de ea, quæ fit, conseruando in eodem statu, secundum qualitates excedentes, verissimũ esse conclusimus. At, si bene animaduertimus, Aristoteles non excludit, quòd excessus non possint saluari etiam per similia: sed dixit, Potissimum saluantur per contraria: quia per illa, non solum prohibentur augeri, sed etiam corriguntur & ab excessu vindicantur, vt prius dictum est.

APHORISMVS XVII.

Et quibus semel, aut bis, & quibus plura, vel pauciora, particulatim, oporteat afferre, considerandum. Condonandum autem aliquid tempori, ætati, & consuetudini.

DIctum est pluries, quòd Hippocrates in hoc libro intẽdebat tractare de euacuatione, & victus ratione, tria: qualitatem, quantitatem, & vtendi modum. Ideo, cum tractasset in præcedẽtibus de victus qualitate, & quãtitate, vt hanc tractationem absolueret, in hoc Aphorismo declarat eiusdem victus vtendi modum: non enim, vt inquit Galenus in Commento, sufficit scire, quòd debemus exhibere plus, vel minus, & calefacientem, vel refrigerantem victum: sed oportet etiam particulatim animaduertere, vtrum vnica vice, vel pluribus, & vtrum singulis vicibus plura, vel pauciora exhibere oporteat. Aphorismus diuiditur in duas partes: in prima, profert circa vtendi modum suam sentẽtiam, quæ scilicet sint in vtendi modo particulatim consideranda: in secunda asserit, ad vtendi modum, in victu quodam modo iuuare etiam consuetudinem, ætatem, & similia. Quo ad primam partem, Hippocrates profert suam sententiam, nulla nec præcedente, nec subsequente ratione: & inquit, quòd debemus considerare in quibus semel, aut bis, & quibus plura, vel pauciora: & non dixit, propter

quid hæc ſint conſideranda;&,ad quos ſcopos reſpicientes, hæc poſſumus inuenire.Sed bene conſideranti patere poterit, hoc non fuiſſe factũ ſine ratione: diximus enim ſupra,ꝙ Aphoriſmi quandoq; proferuntur cum ratione pręcedenti, vel ſubſequenti,quandoq; ſine ratione,& hoc, quãdo ratio eſt nota, vel ex dictis poteſt innoteſcere. Et,quia ex his,quæ de victus ratione dicta ſunt, poterat ſciri, quando medicus, & propter quid debet exhibere plura, vel pauciora, & propter quid ſemel, bis, aut pluries, ideo rationẽ tacuit: dictũ eſt enim, ꝙ nutrimus gratia virium, & iuxta maiorẽ, aut minorem indigentiã, plus, vel minus, debemus nutrire, conſiderando tamen ſimul cũ viribus morbum, qui in cibatione cõtraindicat, & poteſt prohibere, & ex præcognitione futuri vigoris, põt etiã ſciri virium maior, aut minor indigentia, vt ſufferre poſſint, vſque ad morbi ſolutionem. Et,quia ex his ſciri poterant, quæ ſunt ad hunc Aphoriſmum neceſſaria: ideo Aphoriſmum protulit ſine ratione: & Galenus in Cõmento inquit, ſupplens id, quod in Aphoriſmo non fuit explicatum, ꝙ, vtrum plura, vel pauciora, & vtrum ſemel, aut bis exhibere oporteat, haberi poteſt ex viribus ægrotantis præcipuè, & ex morbo. Ad idem poſtea quodãmodo iuuabunt, quæ ſubiungit, inquiens, condonandum eſſe aliquid conſuetudini, ætati, & alijs. & per verbum, Condonãdum, voluit nobis explicare, ꝙ illa præcipuè non ſumuntur ab iſtis, ſed ab alijs, quæ hìc tanq̃ nota fuerunt derelicta. Sed videamus, quid eſt illud, quod Hippocrates aſſerit, & poſteà examinabimus, quõ ex viribus, & morbo, poſſunt, quæ hìc continẽtur, innoteſcere. *Et quibus ſemel, aut bis, & quibus plura, vel pauciora*. Hæc verba hoc pacto debent exponi: Et quibus ſemel plura, vel pauciora particulatim ſunt exhibenda, oportet cõſiderare; ſic ẽt, quibus bis, ſiue pluries plura, vel pauciora particulatim exhibere oporteat, conſiderandũ. Et notandũ, ꝙ per bis non ſolũ voluit denotare duas uices, ſed ẽt plures, ſi fuerit opportunum: vult.n. vt particulatim conſideremus, quibus debemus exhibere ſemel, & plura quibus ſemel, & pauciora: ſic ẽt, quibus bis, ſiue pluries, & plura; & quibus bis, ſiue pluries, & pauciora: vt ſentẽtia ſit; ꝙ eſt animaduertendũ, qui ſunt nutriendi raro, & per pauca alimẽta, qui raro, & per multa alimenta, qui ſæpe, & per pauca alimenta; & qui ſæpe, & per multa alimẽta. Qm̃ vtendi modus verſatur circa nutriendi partitionẽ: cum enim ex præcedentibus habitũ ſit, quantũ debet eſſe alimentum: hìc declaratur vtrũ illud, vnica, uel pluribus uicibus ſit exhibendũ. Et, quia hic aphoriſmus uerſatur circa alimẽti quãtitatẽ, ut explicaret, quo modo differt à præcedentibus, dixit, ꝙ particulatim eſt conſiderandũ: innuens per illud *Particulatim*, ꝙ, quãuis prius generatim habitũ ſit, quantũ, reſpectu uiriũ, futuri morbi uigoris, & aliorũ debeat eſſe alimentũ, tñ nõ ſufficit:

qm̃ adhuc particulatim considerare oportet, vtrũ illa quantitas, vnica, vel pluribus vicibus exhiberi debeat. Sed est notandum, ꝙ, q̃quis vtendi modus alimenti præcipuè consistat in eius partitione, vt innuit Galenus in Commento, & Hippocrates in hoc Aphorismo: tamen complecti potest multa alia: quoniam ad vtendi modum attinet tempus nutriendi, & qua hora particulatim alimentum exhiberi debeat. Et ideò parũ infra considerauit particulares accessiones. Ad vtendi modum reducitur etiã ordo ciborum: qui scilicet prius, & qui posterius sunt exhibendi: sed fortè, vt innueret, quòd in morbis est fugienda ciborum varietas; de eorum ordine nihil dixit: & in euacuatione, vtendi modus multa alia includit, vt infra explicabitur. Sed iam videamus, quo modo à viribus, simul cum morbo haberi potest, quibus sunt exhibenda plura, aut pauciora; & quibus semel, aut pluries. Vires sunt considerandæ, vtrum sint imbecillæ, vel robustæ; & morbus, vtrum sit cum defectu multo, vel repletione, vt inquit Galenus in Commento. Morbus est cum defectu, quando adest in corpore multa indigentia, & alimenti necessitas: quæ in ægrotantibus duobus modis potest contingere; vel quia adest multa inanitio, & humorum defectus, ita ut uenæ sint ferè exinanitæ; vel quia, etsi multi sint in venis humores, tamen sunt corrupti, & ad nutritionem inepti; & sic vires destitutæ sunt eo, quo quotidie instaurari debent: & hac ratione Galenus posuit humorum corruptelã, simul cum defectu, inquiens; ꝙ quandoque morbus est cũ corruptela, & defectu, quandoque uerò cum multitudine, idest cum redundantia bonorum succorum. His habitis, Galenus supponit, quod fuit prius declaratum, scilicet, ꝙ, quanto calidum innatum est maius, & per consequens quanto vires sunt robustiores, tanto plura oportet alimenta exhibere: &, calore existente debili, & per cõsequens, virtute existente imbecilla, oportet exhibere pauca; quoniam imbecillus calor à multis suffocatur. Sed, quoniam ex primo de tuenda valetudine, alimẽtum est triplex, verè alimentum, & est, quod apponitur in tertia concoctione; quasi alimẽtum, & est quod in uenis continetur; & futurum alimẽtum, & est, quod ab extrinseco assumitur; & de hoc loquitur Hippocrates, an exhiberi debeat unica uice, uel pluribus. Sed Galenus uult, ut medicus ex morbi natura consideret, quo modo se habet corpus circa illud alimentũ, quod est quasi alimentum, & continetur in uenis: hoc enim est magis alimentum, q̃ quod extrinsecus sumitur: & ideo, si illud in uenis abundat, etiã si uirtus alimento indigeat, potest medicus, si morbus urget, præcipere inediam, uel pauca alimenta; sciens, quòd uirtus potest eo, quod in uenis abundat, substentari: & ideo, si uirtus fuerit ualida, cum humorum multitudine, debet raro exhibere alimentum, & in pauca quantita-

Aph. 19.

Cap. vlt.

te: quia, cum dispositio sit cum multitudine, indiget paucis; &, quamuis uirtus ualida possit multa conficere, adest in uenis, quo potest conseruari, & non est necesse ab extrinseco multa exhibere. Si uerò cum morbo, ex multitudine uirtus fuerit debilis: debemus etiam raro, & parum nutrire; quia à ciborum multitudine suffocaretur, & debemus etiã exhibere parum, quia uirtus est debilis, & non adest indigentia, cũ supponatur humorum copia. Sed hunc casum Montanus ponit impossibilem, dicens, ꝙ, cum bonorum humorum multitudine, non possunt uires laborare. Et certè miror, cum, etsi uerum sit, quòd, si uires non fuissent robustæ, non esset genita bonorum succorum copia, tamen possunt postea, ex illorummet copia grauatæ, laborare: ut de athletarum bono habitu dictum est, qui est periculosus, si ad extremum bonitatis attingit; tametsi bonis succis redundet. Et libro de plenitudine habemus, ꝙ, ad uerè, & propriè dictam plenitudinem, sequitur tensio, & grauitas cum lassitudine in toto corpore: & sic habemus, ꝙ in morbo ex repletione, debemus nutrire parum, & raro, tum quando uirtus est ualida, tum etiã quando est imbecilla. Si uerò uirtus fuerit imbecilla, cum humorũ defectu, uel corruptela; inquit Galenus, quòd debemus nutrire sæpè, quia defectus est in corpore, & multa requirit: sed qualibet uice debemus exhibere parum: quia uirtus est imbecilla, & uires, non ex eo, quod ingurgitatur, sed quod bene concoquitur, instaurantur. Virtus namque debilis non potest multa simul, & semel exhibita conficere: & ideo, ut multo defectui suppleamus, & uirtus possit perdurare, debemus sæpè, sed singulis uicibus pauca exhibere: & hoc fieri debet; tum, quando cum uirium imbecillitate, est solùm defectus; tum etiam quando cũ ea est defectus, simul cum corruptela: existente etenim in uenis corruptela, adest defectus pabuli, & quasi alimenti, ut dictum est. Est tamen aduertendum, ꝙ corruptela indicat, multa esse exhibenda, in quantum ad eam sequitur de necessitate defectus; qui postea indicat refectionẽ, siue adiectionem: quoniam corruptela, ut inquit Galenus in Commento, indiget epicrasi, idest contemperamento; explicans nobis, ꝙ ex defectu habemus, quòd oportet multa exhibere, siue sit cum corruptela, siue non: sed, si est cũ corruptela, est necessarium aliquid plus: quia corruptela peculiariter indiget contemperamento. sed, quid intellexerit per Contemperamentũ, est dubium. Et aliqui dicunt, ꝙ Galenus explicat illud idẽ, quod dixit nono Methodi, ubi ait, quòd, quando adest corruptio multa, cum uirium imbecillitate, debemus uti ea curatione, quæ dicitur epicrasis, quæ fit paulatim euacuando, quod malum est; & paulatim reponendo de eo, quod est utile: & hanc positionem nonnulli secuti sunt in hoc loco. Sed mihi nõ placet; quia sic intellectus locus iste,

Cap. ult.

Cap. 10.

explicaret potius uiendi modum euacuationis, quàm ipsius alimenti: doceret nanque, quomodo debemus partiri euacuationem, quando est necessaria, copiosa, & uirtus est debilis. Et ideo, melius est cum recentioribus quibusdam dicere, quòd debet intelligi Galeni locus, non de dicta epicrasi, quæ attinet ad euacuationẽ: sed de alia epicrasi, quæ attinet ad alimenta contemperanda, de qua fecit mentionem duodecimo Methodi; ubi inquit, quòd, si ex copia acrium humorum corpus sit aptum incidere in syncopim, tunc uel oportet, tales humores euacuare, uel oportet, uti epicrasi, ipsos contemperando, eligendo scilicet ea, quæ remouẽt acrimoniam, & mordacitatem. & de istis dicebat secundo simplicium, ꝙ sunt multa, quæ dicuntur epicherastica: quia humorum malitiá corrigunt; ut lac, ptissana, condrus, panis lotus, nisi corrũpi anticipauerint: tunc enim augent potius, quàm corrigant prauorum humorum uitiũ: & ad nostrum propositum erunt epicherastica; quæ resistendo corruptionis causis, corruptelam inhibẽt, ac corrigunt: ac si dixisset Galenus, si defectus est cùm corruptela, debemus ratione defectus multa exhibere: sed illa habeant uim resistendi corruptioni, ut non solum ex eis nõ augeatur corruptio, sed potius contemperetur, & corrigatur: & ideo alimentum debet esse medicinale, ut, quatenus alimentum, nutriat, & quatenus medicinale, putrefactioni resistat. Sed circa hoc posset aliquis dicere, quòd Hippocrates uidetur oppositum sentire, quia secundo Aphorismorum inquit, ꝙ non pura corpora quanto magis nutris, tanto magis lædis: & Galenus, in eius loci expositione, assignans rationẽ, inquit, ꝙ, quando adsunt humores corrupti, adueniens alimentum cõuertitur in illorum humorũ naturam, & sic augetur quantitas, & seruatur eadẽ qualitas. Hæc contradictio fuit apud oẽs magni momenti: &, ut ex his, quæ sunt in marginibus notata, colligi potest, Cenomanus hoc pacto contradictionem sedat. Corruptio uel fit in corpore, nulla præcedente multitudine, uel præcedẽte, si nulla præcessit multitudo, ut in febre pestilenti, morbo gallico, & uniuersaliter in morbis ex contagio, debemus exhibere contemperans alimentum, ut hìc Galenus asserit; si uerò multitudo præcessit, tunc à corruptela non indicatur cibus, aut contemperamentum, sed euacuatio: & de his uerificatur, quòd non pura corpora quanto magis nutris, eo magis lædis. Quæ responsio mihi non placet: cum Galenus, tum hìc, tum secũdo Aphorismorum in omnibus morbis ex corruptela uniuersaliter loquatur. Præterea corruptela, siue præcesserit multitudo, siue non, semper est quoddã præter naturã, & debet remoueri, & ut quid superfluũ indiget euacuatione: & hanc semp indicat: &, si hìc dixit, ꝙ indiget contẽperamẽto, hoc dixit, ut facit ad uictus rationem: cum. n. morbus in cibatione contraindicet, & in defectu, ne uirtus

Cap. 8.

Cap. 12. & 13.

cadat, necesse est nutrire, dixit, quòd, si affuerit simul corruptela, victus debet esse contemperans: quoniam sic reficiet vires, & corruptelā non solum non augebit, sed quodammodo corriget. Alij, considerantes Galeni verba in eo loco, vbi ait, quòd alimentum assumptum, si prauorum humorum copiam inuenerit, in illorum conuertitur naturam, & hoc præcipuè, si humores corrupti, & praui abundant in ventriculo: quoniam augebitur humorum corruptorum quantitas, & remanet eadem qualitas, & idem vitium. Ex hoc dixerunt, quòd ille aphorismus verificatur, quando humores corrupti sunt in ventriculo: quia tunc augebitur humorum corruptorum quantitas, & remanet eadem qualitas: sed, si humores sunt in alijs partibus, cùm alimentum bene fuerit in ventriculo concoctum, etsi humores corrupti sint in venis, ab isto non augētur; sed potius contemperantur, etsi augeatur quantitas; remittitur ad minus qualitas, & putredinis gradus. Ad hanc positionem dicimus, quòd, quamuis hæc sit natura epicherasticon, & contemperantium medicaminum, & ciborum, vt, nisi corrumpi anticipauerint, vitium corrigere possint, & per consequens, alimentum bene concoctum in ventriculo, possit corruptos humores in venis existentes contemperare: tamen hæc positio non omni ex parte satisfacit: nam, si bene animaduertimus, Galenus in eo loco non excludit, quòd, quādo humores sunt corrupti in venis, non sit etiam verum, quòd, quanto magis nutris, tanto magis lædis. Bene tamen vult, quòd hoc est vniuersaliter verum: sed multo magis verificatur, si humores corrupti sunt in ventriculo: & sic eadem remanet difficultas, cùm velit aphorismum esse vniuersalissimum. Aliqui verò, considerantes, quæ dicit Galenus secundo simplicium, vbi inquit, quòd debemus tentare, vt humores prauos per epicherastica contemperemus; quòd si minimè contemperētur, indigent omnino, & protinus euacuatione, & assignat causam: quoniam corruptio est multa, nec de facili mobilis: per quæ innuit, quòd corruptela potest contemperari, quando est pauca; quando verò est multa, ab epicherasticis potius augetur; & ideo indiget euacuatione: hæc, vt dixi, considerātes aliqui, dixerunt, quòd, quæ dixit in hoc loco Galenus, verificantur de pauca corruptela; & sententia illa, quòd non pura corpora quanto magis nutris, tanto magis lædis, verificatur de corruptela multa. Sed, quoniam aliquando sumus coacti ob virium imbecillitatem nutrire, etiam corruptela existente multa; & tunc ratione defectus, & corruptelæ, multa est alimenti necessitas: & stando in his, quæ hìc dicta sunt, alimentum debet esse epicherasticum, & contemperans. hac ratione, nec ista positio est omnino acceptanda. Et ideo dicerem, vniuersaliter esse verum, quòd corpora impura quanto magis nutris, tanto magis lædis:

Cap. 12.

quia omne præter naturam debet remoueri, & humores corrupti indigent expulsione. *Sed*, quamuis hoc medicus semper intendat; tamen non potest illud semper efficere; vel quia virtus non permittit, vel quia adest aliquod aliud impedimentum, & multoties accidit, vt per purgationem non omnes educantur humores, & multi remanent, & non licet quotidie euacuationem moliri, & facultatem, repetitis sæpe sæpius purgationibus, vexare: & interim nutrire oportet, quia virtus indiget, & nõ adest in venis bonorum succorum copia, qui possint corporis necessitati supplere: & ideo oportet nutrire: quoniam indicatio sumpta à viribus est omnium principalissima: sed, quia scimus, quòd alimentum, vt alimentum, auget corruptelã, cibus enim, vt est sanis robur, ita est ægris morbus, vt dicebat Hippocrates sexto Aphorismorum, oportet, Galeni sententia, eligere cibos contemperantes, qui sunt cibi medicinales; vt ratione, qua nutriũt, vires conseruent, & ratione, qua medicinales sunt, putredinem non augeant; sed ei potius contemperando resistãt: & hoc pacto attendimus ad vires, quantum fieri potest prouidendo, vt morbi contraindicatio non vrgeat. Quamobrem fuit adeo apud antiquos laudata ptissana, omnia enim videtur adimplere: quoniam instaurat vires, vt nutrit, confert morbis acutis, qui sunt cum febre continua; vt refrigerat, & humectat, & quatenus est detergens, lubrica, & non astringens causatur, vt expellantur excrementa, & perspiratio non impediatur; & sic resistit putredini; vt habemus primo de ratione victus in acutis. Hac etiam ratione, stante maxima corruptela, medici alimentis admiscent, quæ putredinem inhibent, vt sunt acida omnia, quæ tenuitate substãtiæ penetrant, & ab obstructione liberant potius, quàm obstruãt; vt acetum, succus limonis, malorum punicorum acidorum, & partis acidæ ipsius citri; scribit etiam de iure pulli Galenus vndecimo simplicium, loquens de gallina, quòd habet miram vim humores contemperandi: quamuis eo loco aberrauerit interpres, qui, vocum affinitate deceptus, interpretatus est, quòd ius pulli habet uim retinendi, non contemperandi, putans epicherastichin deriuari à verbo ἐπικρατέω, quod significat retineo, sed deriuatur à verbo ἐπικεράω, quod significat contempero. Et ante Galenum, Dioscorides etiam dixit, ius pulli uim habere contemperandi: & ideo medici, in febribus, in quibus multa adest putredo, eo sæpe utuntur, & ius consumptum appellant: sed ipsorum maior pars causam ignorat: ut plurimum enim sunt merè empirici, & ut plurimum his utuntur, quæ ab alijs fieri obseruarunt. Et, ad id, unde discessimus, reuersi, habemus iam, quid sit faciendum in tertio mẽbro, quando scilicet est uirium imbecillitas cum defectu, & corruptela. Reliquum est, ut uideamus, quid sit faciendum, quando cum defectu, &

Aphor. 60.

Tex. 18.

corruptela

corruptela uires sunt robustæ; & inquit Galenus, quòd debemus dare multa,& sæpe;quia multis indiget dispositio,cum adsit defectus,& uirtus ualida potest multa conficere. Sed in hoc insurgit Montanus, dicens,quòd impossibile est,ut cum defectu, uel corruptela uires sint robustæ. Sed hic fuit satis propensus ad contumeliam, cum reprehendere audeat tantum uirum in re parui momenti: quoniam eius sententia potest facillimè saluari; quia,quamuis impossibile sit cum corruptela, & defectu uires esse robustissimas,tamen negari non potest, quòd circa ipsum uirium robur multa reperiatur differentia secundum magis, & minus, quoniam aliqui habent uires robustiores, aliqui minus robustas:&,cum dictum sit,quòd,quando uirtus est imbecilla,cum defectu, quamuis multa sint exhibenda,tamen,cum uirtus sit imbecilla,sunt exhibenda paulatim,& pluribus uicibus,ut facultas possit cōcoquere,hìc uult,quòd,quanto uirtus fuerit fortior, tanto plura possumus singulis uicibus exhibere: quia,stante defectu humorum in uenis,potest in partibus solidis facultas quodammodo ualida cōseruari,& in uno magis, quàm in alio. & ideo dicebat Hippocrates, quæ longo tempore extenuantur corpora,lente reficere oportet;quę uerò breui,breuiter:& Galenus,assignans causam,inquit,quòd,quando breui sunt extenuata corpora,tunc,quamuis multus sit spirituum, & sanguinis defectus, tamen uirtus solidarum partium est ualida,& ideo licet breui tempore corpora reficere, multum exhibendo alimentum: & facultas in partibus solidis ualida poterit conficere, & ex eo multos spiritus generando, corpus cito instaurare: quod non licet facere,si extenuatio est facta in longo tempore; quia tunc non solum est defectus in spiritibus, & sanguine; sed solidarum etiam partium uirtus est redacta imbecilla. Ex quo loco patet, quòd etiam stante sanguinis,& humorum defectu, circa uirium robur, multa potest esse circa magis, & minus differentia. *Condonandum autem aliquid tempori,ætati,& consuetudini*. In hac secūda parte explicat,quod ad alimenti partitionem, iuuat quodam modo considerare consuetudinem,ætatem,& similia:& per uerbum Condonandū innuit,quod præcipui scopi,à quibus partitio sumitur, non sunt hæc, sed uirtus,& morbus,quos tacuit ob causam prius assignatam:sed hæc sunt etiam consideranda, quia, quamuis neque totum, neque maxima eius pars ab illis sumatur:tamen adhuc iuuant, in quantum faciunt ad exquisitā uirium,& morbosæ dispositionis dignotionē, ut nos diximus alias,& explicatur à Galeno in Cōmento:& ideo,cum declarauerit,quo modo tempora iuuant; subiungit, simili modo quispiam, & ab ætatibus,& consuetudine,& à regionibus sumeret indicationes,ad duas primas redigens intētiones. Singula enim,quæ diximus,aut fortes,aut de-

biles uires efficiunt; & corpus reddunt, aut superabundans bonis humo ribus, aut indigens, aut uitio humorum deprauatum. Et cum ipso in temporibus anni exemplificemus: in hieme cum adsit uiriũ robur, (quoniam eo tempore calor innatus plurimus) multa oportet adhibere, sed raro; raro inquiens, quia tunc corpus non ualde multa indiget adie-ctione, cum non multa fiat euacuatio. In quibus uidetur sibi contradicere; cum dixerit suprà, quòd in hieme debemus multa adhibere, quia tunc optima fit, & multa euacuatio. Sed dici potest, quòd absq; dubio multa fit in hieme euacuatio: sed, cum calor natiuus tunc sit plurimus, & à frigiditate ambientis cutis pori sint quodam modo clausi, excremẽta inutilia tantum, & insensibiliter euacuantur. In æstate uerò, quãuis calor natiuus sit imbecillus, & eius ratione pauca deberet fieri dissipatio, tamen adest tunc ambientis caliditas, cuius ratione corpora dissol-uuntur; & non solum inutilia, sed vtilia etiam euacuantur, vt in superioribus dicebat Galenus. Quocirca, cùm in hieme sola inutilia expellantur, multa, sed non valde multa, corpora eo tempore indigent adie-ctione; maximè in morbis: quoniam ad hoc, vt virtus possit sufferre, iuuat multum vtile alimentum, quod abundat in venis. In vere etiam corpora multo indigent alimento, quia vires sunt robustæ: sed, quia humores, qui tunc redundant in venis, & vtiles sunt, à superueniente calore funduntur, & maiorem locum occupant: ideo, dubitantes, ne incidant in plethoricam dispositionem, rarò nutrimus, maximè in ægrotãtibus: quoniam vires possunt substentari ex alimẽto, quod est in venis: & eius etiam ratione verificatur, ꝙ per illud tempus, ratione multi caloris, mul to indigeat alimento. In æstate uerò, cum calor sit imbecillus, debemus pauca exhibere; sed, quia dispositio multis indiget, ob multam, eorum, quæ vtilia sunt, factam, ab ambiẽtis caliditate dissolutionem: hac ratione debemus exhibere multa: quod cum non permittat imbecilla facultas: vt, quoad fieri potest, defectui suppleamus, debemus exhibere parũ, & sæpe. De autumno verò est dicendum, ꝙ assimilatur morbis ex corruptela; quia veluti in corruptela indigemus multis; quia boni humores deficiunt; & corrupti sunt ad nutritionem inepti; ita in autumno humores ob præcedentem calorem, sunt satis adusti, & ad nutritionem non valde idonei: & hac ratione eo tempore corpora multis indigent, quæ tamen vim habeant contemperandi siccitatem, & adustionem in uenarum succis existentem: & sic in autumno debemus exhibere mul ta, &, si uirtus fuerit debilis, illa debent in plures uices partiri; si uerò fuerit ualida, possumus exhibere multum, & sæpe, &c.

Comm. 15.

APHO-

APHORISMVS XVIII.

Æstate, & autumno cibos difficillimè ferunt; hieme facillimè; secundum locum ver habet.

DIxerat Hippocrates in præcedenti, quòd circa alimenti partitionem, est aliquid condonandum tempori, ætati, & consuetudini: & in hoc, quid in partitione iuuant, explanat: & summam, vt consueuit, secutus breuitatem, in vno illorum ponens exemplum, Aphorismum hunc pronuntiauit, in quo declarat, quomodo anni tempora iuuant ad alimenti partitionem, inquiens, quòd æstate, & autumno cibos difficilimè ferunt, hieme facillimè, & secundum locum ver habet. Quæ omnia, si prius dicta recolimus, facilè intelligũtur: dictum est enim, quòd in victus ratione, an debeamus exhibere semel, vel pluries, & an parum, vel multum, sumitur præcipuè à viribus, & à morbo: sed anni tempora, ætas, & huiusmodi etiam quodam modo iuuant, in quantum nobis notificant virium tenorem, & morbi dispositionem: quoniam defectus indicat adiectionem; cuius oppositum indicat multitudo, virtus imbecilla pauca potest conficere; & ualida potest conficere multa, & multis indiget. His præhabitis, in æstate cibi difficillimè feruntur: quia virtus est debilis, & pauca potest concoquere: ex alia parte, eo tempore multum debemus nutrire; quia, ob ambientis calorem, multa non solum inutilium, sed etiam vtilium dissipatio fit: & ideò, quod ratione infirmarum virium, vna uice fieri non potest, fiat pluribus; & exhibendum est parum, & sæpe: idem de autumno dicendum: quia in eo, ob præcedentem caliditatem, adest defectus, & eius natura vergit ad siccum; in eoque adest dispositio, quæ assimilatur corruptelæ, vt prius dictum est. Est tamen verum, quòd, cum in autumno calor incipiat vniri, non adeo, vt in æstate, difficilè ferunt alimenta, facillimè feruntur in hieme ob caloris abundantiam; & multum debemus exhibere alimentum, sed raro, ut inquit Galenus, non quòd calor nõ possit concoquere multa; sed quia eo tempore, solũ inutilia in habitum dissoluuntur, & adest in uenis, quod potest pro parte supplere, & maximè in morbis. Et in facilitate tolerantiæ secũdum locum ver habet, in quo melius, quàm in æstate, & autumno, feruntur alimenta; sed non, ut in hieme. Sed aliquis dubitaret, quia Galenus videtur sibi contradicere; quoniam in hoc Aphorismo habemus ab ipso, & Hippocrate, quòd in vere facilè fertur alimentum: & in fine præcedentis Commenti dixit, quòd ver assimilatur plethoricæ dispositioni: & ideo, quamuis tunc fa-

cultas

cultas sit valida, debemus nutrire parum, & raro. Ad hoc inquit Montanus, quòd, quando dixit, quòd in vere debemus nutrire parum & raro, locutus fuit comparatiuè respectu hiemis, sed ver in se indiget multo alimento, sed non ut hiems, quia calor est fortis, sed non adeo unitus, vt in hieme. Sed hęc non omnino placent, quia, quando dixit, quòd in verè debemus parum, & raró nutrire, assignauit causam, quia plethoricæ dispositioni assimilatur, in qua, vt prius dictum est, siue virtus sit debilis, siue robusta, debemus parum & raro nutrire: continetur enim in venis, quod potest pro corporis necessitate supplere. Præterea dixit de autumno, quod assimilatur dispositioni cum defectu, & corruptela: vnde, si fuerit cum virtute valida, debemus multum, & sæpe nutrire: si verò cum virtute imbecilla debemus nutrire parum, & sæpe: & sic innuit, quòd in autumno debemus magis nutrire, quàm in vere, sic etiã in æstate. Ideo dicerem, quòd, cum indicatio partiendi alimenta sumatur à viribus, & à morbo principaliter, & cætera iuuant, ut faciunt ad horum cognitionem: & cum morbus in cibatione consideretur, vt cõtra indicans; quia nutrimus gratia virium, & morbus prohibet quando que magis, quandoque minus. Quamuis ratione virium (ex quibus prę cipua sumitur cibandi indicatio) sit perpetuò verum, quòd in vere debemus magis nutrire, quàm in æstate, & autumno: tamen, si loquimur in ægrotantibus, de quibus in istis Aphorismis fit sermo, ratione morbi contra indicantis, qui, vt plurimum hoc tempore, prouenit ex multitudine, est aliter faciendum: quia eo tempore debet sufficere, si usque ad morbi solutionem, uirtus potest conseruari, & ad hoc sufficiunt pauca alimenta: etenim eo tempore multi humores, qui etiam in hieme erant in venis, sed quodam modo concreti, funduntur, & fusi maiorem locum occupant, & solent morbos ex multitudine generare, qui magna ex parte possunt supplere pro eo, quod ad virium conseruationem est necessarium. Et sic est semper verum, quòd in vere, respectu æstatis, & autumni, corpora indigent multo alimento: sed non semper oportet ab extrinseco alimentum exhibere: quoniam multoties, quod continetur in venis, & maximè vrgente morbo, excusat, vt parum ab extrinseco exhibere sit necessarium. Sed aliquis adhuc circa Aphorismum dubitaret; quia videtur superfluus, cum repetat idem, quod fuit declaratũ in decimoquinto. Ad hoc respondet Galenus in Commento duobus modis. Et, vt incipiamus ab vltimo, inquit, quòd ibi est locutus in sanis; hic verò in ægrotantibus: & hanc positionem, in huius loci expositione, sequitur Philotheus. Sed responsio non est vndequaque perfecta, & ideo Galenus ei non multum adhæret: dictum est enim, quod Hippocrates in hac tractatione nunquam a suo instituto discessit: hoc autem

rem erat, victus rationem in morbis adhibere; &, si in aliquibus Aphorismis locutus fuit in sanis, illud fecit, vt victum in ægris institueret, & exemplo sanorum, quòd in diuersis temporibus, ætatibus, & huiusmodi, diuerso modo ęgros nutriendos esse declarauit: & sic sanorũ exemplo, quæ erant sanis, & ægris communia, exposuit; & postea in duobus præcedentibus Aphorismis, & in hoc, ad ea, quæ sunt ægris peculiaria, descendit: & hoc modo sunt intelligẽda Galeni verba, quando asserit, quòd hìc de ægris, ibi de sanis. Sed veniamus ad aliam expositionem multò meliorem, & cui magis Galenus adhæret, & est, quòd non idem docet hìc, & in Aphorismo decimoquinto: quoniam ibi considerauit anni tempora, vt faciunt ad alimenti quantitatem, hìc verò vt faciunt ad vtendi modum, & ad ipsius alimenti partitionem. Quia inde habuimus, quod in hieme debemus multum nutrire; hìc verò declarat, an illud multum sit exhibendnm vnica vice, vel pluribus. Sic etiam inde habuimus, quòd in æstate, ob caloris debilitatem, parum debemus exhibere; hìc verò habemus, quòd illud parum, ob multam ab ambientis caliditate dissipationem, debet esse sæpe: & sic, quamuis sit locutus de eisdem, tamen sub diuersis rationibus.

APHORISMVS XIX.

His, qui per circuitus accessiones habent, nihil dare oportet, neque cogere: sed subtrahere adiectioni antè iudicationem.

Circa huius Aphorismi introductionem, & intellectum, multa occurrunt: & Montanus in multis non est veritus a Galeno dissentire. Sed, vt omnia ritè intelligantur, Aphorismum iuxta Galeni mentem introducemus, & explicabimus; deinde, quæ ille contra Galenũ asserit, examinabimus. Cum Hippocrates locutus esset in duobus præcedentibus Aphorismis de vtendi modo, & partitione alimenti: quoniam ad illud multum confert etiam considerare particulares accessiones in morbis, qui per circuitum affligunt, ideo, ut hanc tractationem absolueret, hunc subiunxit Aphorismum; inquiẽs, quòd in accessione, & parum antè accessionem oportet ab alimento abstinere: & ideo tali pacto sunt partiendi cibi, ut nec cum præsentibus, nec cum iam iã futuris accessionibus concurrant: nisi maxima fuerit medicus necessitate coactus. Et, si aliquis diceret, quando alia monent,

vt

vt sæpè, vel parùm, vel multum nutriamus, si accessiones intercedunt, quid est agendum? Ad hoc respondet Galenus in Commento Aphorismi decimiseptimi, per quædam verba, quæ data opera in eo loco prætermisimus, & ad hunc locum reseruauimus: multum enim faciunt ad huius Aphorismi intellectum: inquit enim: Si verò accessiones nõ permiserint, nec plures offerendi alimenti occasiones præstiterint, raro multa exhibebimus; hoc est, si sæpe esset ratione virium, & defectus nutriendum, & non permiserint accessiones, in quibus nutrire est maximum inconueniens, vt supra dictum est, debemus in accessione abstinere, & alijs temporibus plus quodammodo exhibere, quam conueniret, si in plures vices partitio fieri posset, vt si in morbo ex corruptela esset quatuor vicibus singulis diebus nutriendum, & intercidens accessio vnam vicem impediat, debemus in tribus alijs vicibus uberius quodãmodo nutrire: vt tres vices suppleant pro quatuor. Et, si diceres, hoc nõ permittent vires, ob quarum imbecillitatem fit partitio. Dici potest, quod additio non erit multa, & multo maius sequeretur incõmodum, si in accessione alimentum exhiberetur: iuuant ergo in partitione alimenti accessiones: quoniam ita debent cibi partiri, vt non concurrant cum accessionibus; &, si id fieri non potest, ad minus, vt tempore accessionis abstineamus, debemus in reliquo tempore vberius nutrire. Et est notandum, quòd, cũ in alimento consideretur qualitas, quantitas, & vtendi modus: inquit Galenus in Commento, quòd ad qualitatem, & quantitatem nihil vtile sumitur ab accessionibus, sed solum ad vtendi modum. Sed in hoc non immerito aliquis dubitaret, quia Hippocrates in præcedentibus, instituendo victus formã, quæ in eius qualitate, & quãtitate consistit, sumpsit a particularibus accessionibus indicationem. Hæc contradictio multorum animos turbauit. Sed dicerem, verissimũ esse, à particularibus accessionibus, in qualitate, & quantitate alimenti nihil vtile sumi; quoniam hæc sumuntur a morbo, & viribus principaliter, & a quibusdam alijs, quæ adiuuabant: &, si in quantitate, & qualitate considerauit accessiones, illud fecit ob rationem eo loco a nobis assignatam: ne scilicet ea uictus ratione, quæ à morbi futuro vigore, & à viribus fuit inuenta, indifferenter omni tempore vtamur, quia ea nõ licet vti in particularibus accessionibus, in quibus nulla victus qualitas, aut quantitas conuenit: & sic accessiones considerantur solum, vt admonent, vt ipsis præsentibus, aut non multo post futuris, ab alimento abstineamus. In vtendi vero modo accessiones indicant: quoniã non solum prohibent partitionem hoc, uel illo modo factam, ita, vt cibus cum accessione concurrat, sed etiam, vt, si non licet partiri, in quot uices esset conueniens ob intercidentem accessionem, partitio fiat in ui-

Aph. 11

Aph. 11

ces pauciores, & singulis vicibus aliquid addatur, vt intentum assequamur. *His, qui per circuitum accessiones habent*: idest, in morbis ordinatis; quia in non habentibus ordinem, cum ignoretur, quando futura est accessio, nihil in alimenti partitione vtile, ab accessionibus sumere licet. Quid autem sit Circuitus, & quid accessio, dictum est prius: & vult in hoc loco, quòd accessionis tempore non oportet alimentum exhibere, neque cogere, vt illud assumant: quia, siue ægri petant cibum, siue non, debemus eo tempore abstinere: tunc enim natura est nimium vexata: & ratione caloris præter naturam, qui tunc viget, alimentum potius corrumperetur, & maxima fieret ad morbi causam additio, vt in huius loci expositione inquit Philotheus. Dixit etiam, quòd ad cibos assumendos non sunt cogendi ægri; innuens contra vulgares medicos, qui in ægris a multorum symptomatum prauitate vexatis, & à natura quasi edoctis in accessionibus cibum respuunt; & medici isti triuiales cogunt, vt assumant, exclamantes, quòd totum curationis momentum in ciborum assumptione consistat: & illud idem matronæ, ab ipsis edoctæ, faciunt sæpissimè. Medicum autem generosum non decet illud facere, sed debet subtrahere adiectioni ante iudicationem; quoniam debet præcipere, vt cibus, qui exhiberi debuisset, superueniente accessione, nullo modo exhibeatur, & hoc non solum quando præsens est accessio, sed etiam quando paulò post est futura: in vtroque enim tempore abstinere oportet: vt ex Hippocrate superius dictum est. Et est notandum, quòd per iudicationem possumus tria intelligere: scilicet, vel accessionem, vel morbi vigorē, vel propriè dictam iudicationē, quæ dicitur crisis, & est subita mutatio ad salutem. Et, ꝙ iudicatio possit alia duo significare, apertè fatetur Galenus in Commento: potest enim significare accessionē, quia in accessionibus fiūt iudicationes, & potest significare morbi vigorē, quia iudicatio fit in vigore: &, quomodocūque exponas, uera erit sententia: verificatur. n. de accessione, ut diximus, & Galeni expositio in hoc præcipuè fundatur, inquiēs, ꝙ melius est, si per iudicationē intelligimus accessionē, quàm si aliis modis accipiamus. Verificatur etiā in alijs: quia non solū oportet abstinere in accessionibus, sed etiā oportet subtrahere ante morbi vigorē: & multo magis oportet abstinere, quando futura est eo tēpore iudicatio: tunc. n. natura est summopere occupata. Et per adiectionem non intelligit nisi cibum, quia per eum adijcimus, quod deficit: & vult, quòd in accessionibus debemus nihil dare; &, quando hoc fieri non potest, ad minus nutriendo minus, quàm esset necessariū, debemus subtrahere: & hoc voluit denotare, dicēs primò, nihil dare oportet: & postea subiungens, sed subtrahere. Auctor ille, qui nomine Oribasij circūfertur, & aliter hanc Aphorismi

Aph. 11. & 12.

Aph. 11.

partem

partem exponit: & quia expositio est medico vtilis, & necessaria, ipsam adducam. inquit enim, quòd in accessionibus, & antè accessionem, medicus non solum debet nihil dare, sed debet etiam subtrahere, & per aliquam euacuationem tentare, vt materia, quæ mouetur, & facit accessionem, foras educatur. Quoniam, etsi, vt nunc dicemus, non liceat in accessionibus effatu dignam euacuationem moliri, vt est purgatio, & sanguinis missio: tamen licet, si materia mouetur ad uentriculum, prouocare vomitum; licet etiam vti suppositorijs, clysterijs, & frictionibus, & maximè quando materia mouetur ad membrum princeps. Sed ad Montanum accedamus, cui in hoc Aphorismo Galeni sententia non placet: & primo, quia, vt ipse inquit, reddit Hippocratem superfluum, quoniam, si voluit declarare, quod in accessionibus oportet abstinere, iam dictum erat supra: & ad minus debebat ipsum saluare in huius Aphorismi expositione; ut fecit in præcedenti, in quo non erat adeo euidens nugatio, & repetitio. Secundo non placet, quia est uiolenta, cum per iudicationem exponat accessionem: quod nunquam fuit in Hippocratis, & Galeni doctrina obseruatum: nam, etsi iudicatio habeat, vt dicemus, multa significata, nunquam tamen fuit sumpta pro accessione. Et ideo, a Galeni sententia recedens, hoc pacto Aphorismũ introducit, & exponit. Cum compleuit Hippocrates, quæ ad victus rationem attinebant; in hoc Aphorismo, antequam ad alia accederet, profert sententiam vniuersalem; & est, quòd semper medicus debet aduertere, vt, imminẽte iudicatione, & uera crisi, abstineat ab alimento. Quę sententia quamuis sit uera, & possit textui accommodari, intelligendo per iudicationem veram iudicationem; & sic est vna inter tres expositiones à Galeno positas: tamen, cum Galenus magis laudet primam, in qua per iudicationẽ intelligit accessionem, oportet prius ipsum a Montani iniuria uindicare, & postea declarare, quare Galenus illam, quam ponit Montanus, non laudauit, sed prætermisit. Sed ante omnia uideamus, an aliquid dicat Montanus, quando asserit, quod, iuxta Galeni expositionem, Hippocrates redditur nugatorius: cum idem docuerit supra. Certè circa hoc multum laborarunt expositores, nescientes, quomodo hic Aphorismus distinguatur ab vndecimo; & Montanus, modũ ignorans, uenit in hanc sententiam, quòd, uel hic Aphorismus est aliter intelligendus, quàm Galenus dixerit, uel Hippocrates omnino est nugatorius. Brasauolus uerò, & quidam alij dixerunt, quòd ille est uniuersalis de omni accessione ordinata, & inordinata, & iste est solum de ordinata; & ideo ibi vniuersaliter protulit. In accessionibus abstinere oportet, & hìc dixit particulariter; His, qui per circuitus accessiones habent, nihil dare oportet. Sed hoc pacto Hippocrates esset etiam nugatorius:

Aph. 11

rius: in illo etenim Aphoriſmo, poſt ſententiam vniuerſalem, ſubiungit, Et quibus per circuitum fiunt acceſſiones, in acceſſionibus abſtinere oportet. & ſic Aphoriſmus iſte, eſſet idem cum ſecunda parte illius Aphoriſmi. Et nos in expoſitione illius diximus, quod in prima parte protulit ſententiam vniuerſalem, quòd in omni acceſſione oportet cauere à cibo: ſed, quia oportet etiam abſtinere, cum acceſſiones ſunt futuræ, ſubiunxit ſecundam partem: ſolum enim in ordinatim procedentibus acceſſionibus, poſſumus, quando futuræ ſunt, ab alimento abſtinere, vt ibi dictum eſt. In hoc uerò Aphoriſmo docet quid ſatis diuerſum; quoniam ibi docuit, quod, cum adſunt, & cum futuræ ſunt acceſſiones, abſtinere oportet à quolibet alimento, etiam ſi in qualitate, & quantitate ratione morbi conueniret: in hoc verò (mea ſententia) conſiderat acceſſiones, vt faciunt ad partitionem, & vtendi modum alimenti: quia ita partiendi ſunt cibi, ſi ſæpius eſt exhibendum, vt nec in acceſsione, nec parum ante illam, nutrimentum exhibeatur. Et, ſi Galenus in præcedenti Aphoriſmo explicauit, Hippocratem non fuiſſe ſuperfluum, & non declarauit idem in hoc Aphoriſmo, non fuit ob aliam cauſam, niſi quia eadem eſt ratio in utroque, quia ibi bis locutus eſt de anni temporibus, & non fuit ſuperfluus, quia in uno loco ea conſiderauit, vt faciunt ad alimenti quantitatem, in alio, ut faciunt ad utendi modum, & partitionem alimenti. illud idem erat dicendum de acceſsionibus, & ideo, ne idem pluries repeteret, hoc tacuit. Ad id uerò, quod dicit Mõtanus, quòd Galeni expoſitio eſt extorta, & uiolenta, quia improprié ſumit iudicationem, uidetur maxima temeritas, ſuſpicari Galenũ proprium idioma ignoraſſe: & uidetur, quòd acceſsio poſsit dici iudicatio, tum quia in ea fiunt iudicationes, vt dicemus, tum etiam, quia in ſingulis acceſsionibus illa materiæ portio, quæ acceſsionem facit, iudicatur: non enim remanet, ſed diſsipatur, & expellitur, ut aliàs diximus: & ſic optimè ſaluatur Galeni ſententia. Sed veniamus ad Montani expoſitionem, quæ inter alias fuit a Galeno poſita, & non laudatur, & hoc ob plures cauſas; primò, quia Hippocrates eſſet ſuperfluus, ſi hìc vellet, quòd ante iudicationem, & imminente indicatione, debemus à cibo abſtinere: hoc enim fuit prius explicatum, quando dixit, quòd in vigore debemus vti tenuiſsimo victu, & eo tempore fiunt iudicationes, & ſic per conſequens declarauit, quòd, imminente iudicatione, eſt abſtinendum. Et, quamuis ad hoc dicat Montanus, quòd in præcedentibus locutus eſt in morbis acutis, hìc vero in cronicis, tamen eius ſententia in hoc eſt ſatis fatua, & à ueritate aliena, quia, quod dixerat in præcedétibus de acutis, in Aphoriſmo decimo ampliauit etiam ad diutinos, vt ibi Galenus aſſerit, & nos eo loco expoſuimus. Secundo non placet

Propria expoſitio.

Montani

Montani expositio, quia, ea stante, utendi modus alimenti. non esset exquisitè determinatus, sed mancus, cum ad perfectam alimenti partitionem, necessariò sint accessiones considerandæ, aliter non fiet, vt fieri debet. Non est tertio acceptanda Montani expositio, quia cum ea nulla posset assignari ratio, quare dixit in his, qui per circuitum habent accessiones, quia non magis in his, quàm in aliis, uerum est, quòd, instante iudicatione, debemus alimentum subtrahere, cum hoc sit vniuersaliter uerum in omnibus. Et circa hoc, ipse inquit, quòd locutus est de his, qui per circuitum procedunt: quoniam de alijs, qui non habent accessiones per circuitum, & terminantur infra quatuordecim dies, dictum est in præcedentibus Aphorismis, quòd oportet in eis vti tenuissimo victu. Ego certè fateor, me ignorare, quid sibi voluerit per hęc: uidetur enim innuere, quòd morbi acuti, qui infra quatuordecim dies terminantur, nullam habent periodum, quod est falsissimum. illud enim verificatur solum in synochis: sed alii morbi acuti, ĩ quibus febris adest, periodos habent ordinatas, vt habemus tertio de crisibus, & tertio de diebus decretorijs, & primo Epidemion. Et ideo bona fronte reijcientes Montani sententiam, conclusimus, quòd per iudicationem, melius est intelligere accessionem; & quòd Aphorismus sit intelligendus de vtendi modo alimenti, vt dictum est. Sed, quia Galenus per iudicationẽ intelligit accessionem, ratione, qua iudicationes fiunt in accessionibus, non immerito aliquis hoc in loco quæreret, unde euenit, quòd tunc fiant iudicationes? hoc enim scire, est satis vtile, & maximè quia in sequenti de iudicatione tractaturi sumus. Galenus huius effectus causam assignat, primo Epidemion, inquiens, quod non immeritò in accessionibus fiunt iudicationes, quoniam hoc rationabiliter fit, tum ex parte humoris euacuandi, tum etiam ex parte naturæ, quæ debet euacuare: fit enim crisis, & iudicatio facultate, quæ regit nostrum corpus expurgante, quod noxium est, ex quarto Aphorismorum: ex parte quidem humorum: quia in accessione mouentur per corpus, & ebullientes quasi ex semetipsis erumpunt ad aliquam euacuationem faciendam: tunc enim sunt fusi, eliquati, & ad euacuationem paratiores redacti: ex parte verò facultatis, quia tunc impellitur ad excernendum eos tanquam noxios, cum non sit amplius spes, vt possint naturæ gratiam recipere. Adde etiam, quòd tunc, ratione motus, & eliquationis humorum, natura impellitur, ac quodammodo irritatur ad expulsionem. Sed in hoc dubitaret aliquis, si medicus est naturæ minister, & eius debet obseruare motum ac rectè operantem imitari, unde est, quòd naturæ exemplo non euacuat in die accessionis, sed, quantum fieri potest, in die maioris accessionis abstinetur, & non solum in vehementi accessione, sed

Cap. 4.
Cap. 8
Comm. 3.
Comm. 3.

Cur iudicia fiunt in accessionibus.

Comm. 3.
Comm. 13.

Comm. 2.

etiam

etiam ante illam, vt colligitur ex Galeno libro de optima secta; & particulatim de sanguinis missione, libro de curatione per sanguinis missione, quo loco ait, quòd medicus in euacuando debet eligere diem, & horam quietiorem; & Auicenna dicebat, Caue, ne euacues in die paroxismi. Ad hæc primò dicimus, quòd hæc non sunt intelligenda de omni euacuatione, quia in die maioris accessionis licet uti suppositorijs, clysteribus subtrahentibus; &, si oportuerit, licet etiam in principio accessionis prouocare vomitum, & in vigore prouocare sudorem, ut, quantum fieri potest, minorem reddamus materiam, quæ accessionem facit: sed sunt intelligenda de euacuationibus, quæ sunt effatu dignę, & sunt aptæ vires dissoluere, vt est sanguinis missio, & purgatio, quia in istis debemus cauere ab accessione, &, si fieri potest, etiam a die accessionis. Sed dices, quare tunc non licet exemplo naturæ ista peragere. Respondemus, quòd, quoad purgationem, eo tempore expedita esset euacuatio, quia humores sunt fusi, & in motu: & sic parati ad euacuationem, facilius educerentur: sed, quia natura eo tempore est admodum vexata, & fatigata à morbo, & purgantia medicamenta non operantur, nisi mediante naturæ impetu, vt habemus libro de optima secta, imminet periculum, ne tunc natura, à morbo, & exhibito medicamento fatigata, succumbat: & ideo eo tempore abstinemus: quamquam negari non possit, quòd tunc ex parte humoris facilior esset euacuatio. Hinc aliqui tenuerunt, quòd, quando accessiones non sunt adeò vehementes, vt immineat de virium iactura periculum; & morbi causa est crassa, & lenta; debemus purgare, vel parum ante, vel parum post accessionem, cum eo tempore liquati sint humores. Hac ratione purgant in quartana, in die futuræ accessionis, vel in accessionis declinatione, & non expectant diem quietiorem. Eadem ratione in patientibus strumas, aut alios tumores, ex crassa, & lenta materia, volentes sæpe, & paulatim humores educere, expectant lunæ aspectus, & in eius coitu, vel plenilunio purgant; quia aspectus ratione, fit in corpore commotio, & humores ponuntur in motu, & sunt ad purgationem magis apti. De sanguinis verò missione dicendum, quòd non debet accessionis tempore fieri: tū quia natura est eo tempore fatigata, & à sanguinis missione posset extremè debilitari, ut de purgatione dictum est: tum etiam quia accessionis tempore fit maxima in corpore perturbatio & omnium humorum confusio; &, si aliqua portio humoris facientis febrem est extra venas, aut tunc extra expellitur, per venæ sectionem traheretur intro, & maximum sequeretur incommodum.

Cap. 38.
Cap. 21.
Cap. 41.

APHORISMVS XX.

Quæ indicantur, & iudicata ſunt integre, neque mouere, neque nouare aliquid, ſiue medicamentis, ſiue aliter irritando, ſed ſinere.

ABſoluto de victus ratione ſermone, reuertitur Hippocrates ad id, quod fuit de euacuatione prætermiſſum. Intendebat enim de victus ratione, & euacuatione in hoc primo Aphoriſmorum docere qualitatem, quantitatem, & utendi modum: quæ de victus ratione fuerunt ordinatim expoſita. De euacuatione verò declarauit qualitatem in ſecundo, & quantitatem in tertio Aphoriſmo, & reliquum erat explicare vtendi modum, quod prætermiſit ob cauſas à me prius explicatas, & illud ad hanc libri partem reſeruauit: medicus enim non poteſt alio modo ſcire vtendi modum in euacuatione, niſi ex obſeruatione naturæ, per illam regionem euacuando, per quam natura tentauerit, & eo tempore purgans, propinando medicamentum, in quo conſueuit natura euacuare. Quæ omnia, ut uidebimus, fiunt in morbi vigore, ex cuius præcognitione oportebat prius uictum inſtituere, ut à nobis prius dictum eſt. Sed ad huius Aphoriſmi intellectum, eſt ſciendum, quòd natura eſt omnium morborum medicatrix; medicus uerò miniſter, ex ſexto Epidemion: ipſa etenim, ut eo loco Galenus inquit, omnia agit pro ſalute animantis, tum morbi, tum ſanitatis tempore: hoc autem poteſt parere in morbis, in quibus ſponte, aliquo nimio ſudore manante, aut ſponte aliqua alia euacuatione facta, à morbo protinus ægri euadunt; ſed hæc natura non quolibet tempore facere conſueuit: ideo, vt eam imitemur, debemus ipſius obſeruare motum; vt ad intellectum huius, & ſubſequentis aphoriſmi, quàm optime Galenus explicat libro de venæ ſectione contra Eraſiſtratum: natura enim ordinatim procedit, vt habemus quarto Aphoriſmorum, quoniam prius concoquit, & aſſimilat, quantum fieri poteſt, humores euacuandos; ſecundò eos ſecernit ab his, qui boni ſunt, & vtiles; tertiò per regionem humori, & morbo conuenientem, eos euacuat: & medicus, naturam imitando, tunc tantum debet euacuare, quando natura vel non perfectè, ſed diminutè euacuauit, vel ob imbecillitatem, nec tempore, quo fieri debebat, aggreſſa eſt euacuationem: ſi enim medicus euacuaret, quando natura perfectè, vel euacuauit, vel euacuat: multa (vt dicemus) ſequerentur incommoda. Hinc Hippocrates, ut poſſet in ſequentibus docere,

Comm. 5. Tex. 1

Cap. 4. Comm. 22.

docere, quo tempore, & per quam regionem medicus debet euacuare, docet hìc prius, quando non debet hoc facere: sed totum opus debet naturæ permittere; inquiens: *Quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè*. Et sententia eius est, quòd, quando natura perfectè euacuauit, aut euacuat, vel iudicauerit, aut iudicat, idest mediante aliqua effatu digna euacuatione, decretoriè determinauerit, uel determinat morbos, si hoc fecerit integrè, idest perfectè, medicus non debet mouere, neque aliquid aliud innouare, sed totum debet naturæ permitteee. Et, nostrum morem obseruantes, singula verba ponderemus. *Quę iudicantur, & iudicata sunt*. Circa hæc uerba, est sciendum, quòd κρίσις est dictio, quæ apud Græcos significat idem, quod apud nos iudicium; & propriè attinet ad forum; in quo fiunt multæ crises, & multa iudicia ad salutem, & ad mortem: &, quia hæc iudicia fiunt cum maximo terrore, & timore, vt omnia eo tempore videantur dubia, & perturbata: & in solutione morborum, qui sponte, & à natura iudicantur, multoties idem accidere uidetur: hinc aliqui crisis uocabulum à foro ad morborum solutionem metaphoricè transumpserunt. Sed, ne, per ignota procedentes, sequatur, loco doctrinæ, confusio, est sciendum, quòd morbi sex modis solui, & terminari possunt. quoniam, vel soluuntur per subitam mutationem ad salutem; uel per subitam mutationem ad mortem; vel paulatim terminantur ad salutem; uel paulatim ad mortem: & hi sunt quatuor modi solutionis simplices. sunt postea duo alij, qui sunt misti: quia quodammodo finiuntur subito, & quodammodo paulatim, & sunt, quando morbi habent in aliquo die effatu dignam mutationem: sed cum hoc, non omnino soluuntur morbi: quia aliquid remanet, quod postea soluitur paulatim: &, cum hoc possit fieri, vel ad sanitatem, vel ad mortem, erunt duo modi: & sic in uniuersum, ut prius dictum est, sex erunt modi, quibus soluuntur morbi, vt habemus tertio de crisibus. Sed, cum nomen crisis transumptum sit ad solutiones, in quibus fiunt subitæ mutationes, & turbationes maximę, vt habemus primo de diebus decretorijs, hinc est, quòd non omnes illæ solutiones dicuntur crises, sed illæ tantum, in quibus fit subita mutatio: & ideo quatuor erunt crisis differentiæ, quia aut erit subita mutatio ad salutem, aut subita mutatio ad mortem, aut est subita mutatio ad melius, sed est imperfecta: quod enim remanet, soluitur postea paulatim: aut est subita mutatio ad peius, sed imperfecta, quia, quod remanet, paulatim interficit: & duæ aliæ solutiones, quæ fiunt omnino paulatim, dicuntur solutiones, sed non possunt dici crises, vt habemus tertio de crisibus. Ideo dicebat Hippocrates, primo Epidemion: quòd crisis non fit, nisi quatuor modis, inquiens,

Cap. 1.

Cap. 1.

Loco alleg.
Comm. 3.
Tex. 16.

quiens. Inſuper eſt animaduertendum, quæ ſint his temporibus futura iudicia ad ſalutem, vel ad perniciem, aut momenta ad meliùs, vel ad peius. Sed, quamuis omnes iſtæ ſolutiones dicantur criſis, tamen criſis propriè dicitur illa, quæ eſt ſubita mutatio ad ſalutem; hæc enim per excellentiam dicitur abſolutè criſis; cæteræ uerò dicuntur criſes, cum adiectione, vt habemus primo de diebus decretorijs, & tertio de criſibus loco allegato: & ideo, quando nulla ponitur adiectio, intelligitur de propriè dicta, & optima criſi, & de hac loquitur Hippocrates in hoc Aphoriſmo; &, vt explicaret, quòd de hac intelligit, addidit aduerbium illud integrè, denotans, quòd intelligit de indicatione, quæ fit à natura iudicante ad ſalutem, & perfectè. Sed, antequam vlterius procedamus, quæret aliquis, an benè fecerit, qui hanc morbi ſolutionem, quæ ſubito fit, à foro tranſumpto uocabulo, criſim nominauit? Et dicimus, quòd Galenus primo de diebus decretorijs videtur illum laudare, inquiens, quòd, dum inſtat iudicatio, omnes, qui adſunt, ſunt in nimio timore, & perturbatione, non aliter, ac ſi eſſent in foro, vbi de capite alicuius eſſet promulganda ſententia. Et poſtea tertio de criſibus videtur contrarium aſſerere; inquiens, hoc nomen fuiſſe translatum ad morborum ſolutiones ab aliquo idiota, qui, cum adeſſet maximæ perturbationi, quæ in tali ſolutione contingit, dixit, nunc agitur de eius vita, & eſt faciendum iudicium: & ſic non videtur hoc nomen laudare. Et ideo eſt notandum, quòd, ſi conſideratur agitatio, quæ fit ante morbi ſolutionem, ſatis concinne poteſt aſſimilari perturbationi, & omnibus alijs, quæ accidunt in reo, & his, qui ſuam partem tuentur, dum eſt faciendum iudicium: ſed, ſi comparaueris hæc adinuicem, ratione futuri euentus dubij, quia, dum fit iudicatio, reus eſt in maximo timore, ſic eius familiares, & aſtantes, neſcientes, quid ſit iudex terminaturus: in hoc non currit omnino ſimilitudo: quoniam, etſi, dum eſt facienda ſubitò morbi ſolutio, aſtantes, & idiotæ de futuro euentu ſint dubij: tamen medicus generoſus eſt certus, quid in iudicio futurum ſit: & ideo Galenus negat nomen à generoſo medico fuiſſe impoſitum: ſed potius ab aliquo idiota; vt dictum eſt. Et, redeuntes ad id, unde diſceſſimus, dicamus, quòd, quando natura iudicauerit, hoc eſt criticè ſoluerit, vel nunc iudicat, & ſoluit: medicus nihil debet facere, dummodo natura operetur, uel operata fuerit integrè. quæ dictio in Græco eſt ἀρτίως, & apud antiquos expoſitores fuit dubium, quid per ἀρτίως intellexerit Hippocrates. Aliqui dixerunt, quòd ſignificat idem quod Nuper: quos reprehendit Galenus, quia ſic intelligendo hanc dictionem, quam-

uis

Cap. 9.

uis possit accõmodari his; quæ iudicata sunt, non potest tamen accommodari his, quæ iudicantur: quia esset Hippocratis sententia, Quæ nuper, vel paulo ante iudicantur, & iudicata sunt, & repugnat dicere paulo ante, & quòd nunc iudicantur. Alij dixerũt, quòd per ἀρτίως intellexit dies impares: vt sententia sit, Quæ iudicantur, & iudicata sunt in diebus imparibus, non oportet mouere. Quam expositionem reprehendit Galenus, dicens: non esse uerum, quòd non sit mouendũ, quando iudicatio est facta in die impari; quia, si fit, aut facta est iudicatio imperfecta, medicus debet, in quo natura deficit, supplere. Ideo Galenus satis concinnè, aliter ex ipsomet Hippocrate dictionem exponit, adducens alium locum, in quo ad verbum ponit hunc Aphorismum, hoc tantum aduerbio mutato: quoniam loco dictionis ἀρτίως habet ἀπάρτι, quod significat cumulatè, perfectè, & integrè, absoluteque: & est in libro de humoribus. & ex illo loco per ἀρτίως debemus intelligere in hoc Aphorismo, perfectè, vel integrè: vt sit sensus, Quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè, & perfectè, non oportet mouere. Sed est notandum, quòd aliquid esse integrum, & perfectum, stat dupliciter: vel enim est perfectum, quia iam ad absolutionem, & finem deuenit, cum sit completum, & in eo nihil deficit; vel dicitur perfectum, quia est cum omnibus circunstantijs, & condicionibus, quæ ad eius absolutionem assequendam requiruntur: & hoc secundo modo, oportet hìc intelligere, integrè, & perfectè: sententiam etenim pronuntiauit non solum de iudicatione facta, sed etiam de ea, quæ fit; denotans, quòd etiam iudicatio, quæ fit, potest esse integra, non quòd ad finem peruenerit, sed quia est cum omnibus condicionibus requisitis ad optimam, & perfectam crisim. Et hac ratione volens Galenus declarare illud perfectè, & integrè, exposuit omnes condiciones, quibus cognosci potest perfecta crisis; non solum facta, sed etiam quæ adhuc fit; & ponit quinque, uel sex condiciones; prima est, vt sit per euacuationem potius, quàm per abscessum: secunda, ut per eã euacuetur humor noxius, & nõ alius: tertia, vt fiat κατ'ἴξιν idest per directũ: quarta, vt facilè toleretur: quinta, ut fiat concoctione præcedẽte, & in die critico, & hoc, quòd fiat in die critico, potest numerari pro sexta condicione. Circa primam condicionem, est sciendum, quòd crisis est duplex; per euacuationem scilicet, & per abscessum: per euacuationem fit, quando natura per sudorem, per sanguinis fluxum, per alui deiectionem, per uomitum, & per vrinæ profluuium morbos determinat; fit verò per abscessum, & dicitur crisis permutationis, quando natura iudicat morbos: sed, cum non possit foras noxios humores expellere, eos ad aliquam ignobiliorem partem protrudit, & ibi fit postea abscessus: &, facta suppuratione, po-

Cõdiciones perfectæ crisis & locorũ diuersorũ conciliatio.

Comm. 12. stea excernitur pus: & de hac duplici crisi pluries locutus est Gale-
Cap. 1. nus in hocmet libro, & primo de diebus decretorijs, & tertio de crisi-
Cap. 2. bus. Quod autem inter istas melior sit, quę fit per euacuationẽ, est clarũ, quia hæc ex toto tollit morbum, & deducit corpus ad pristinã sanitatẽ; quæ verò fit per abscessum, quãuis ex toto remoueat morbum præcedẽtem, tamen nõ deducit corpus ad perfectam sanitatem, quia generatur nouus morbus in parte, ad quam humor a natura expulsus decumbit.
Aph. 2. Circa secundam condicionem non est admodum immorandum: nam, si uerum est, ꝙ tunc, vt supra diximus, confert euacuatio, quando qualis peccat humor euacuatur; verum, immò uerissimum etiã erit, ꝙ in crisi perfecta oportet, vt humor peccans euacuetur: quia, cũ morbi ex determinato fiant humore, non curabitur morbus, nisi ille humor ab arte, vel à natura fuerit euacuatus. Tertia condicio est, ut euacuatio fiat κατ' ἴξιν, & per directum: quæ condicio quàm necessaria sit, disputat Ga-
Cap. 3 lenus tertio de crisibus, quia non quilibet morbus potest solui per quãlibet euacuationem, sed oportet, vt euacuatio sit morbo conueniens, & fiat per partem, quæ habeat cum parte affecta rectitudinem. Sed, quid sit ista rectitudo, & vtrum debeat attendi penes rectitudinem fibrarum, vel potius vasorum, in sequenti Aphorismo disputabimus. Quarta condicio est, vt sequatur tolerantia: & hoc rationabiliter: quoniam, si per talem crisim infectans educitur humor, ad eius remotionem necessariò sequitur conferentia, & sequitur etiam tolerantia: quia remouetur id, quod veluti sarcina vires opprimebat: sed videtur, quòd hoc signũ, potius ex euentu, crisim esse bonam confirmat, quàm quòd illam, vt alia
Cap. 3. signa, præostendat: vt habemus tertio de crisibus. Quinta condicio est, vt fiat signis coctionis præcedentibus, & est omnium maxima, cum optimam fieri crisim, coctione non præcedente, sit impossibile. diximus enim ex quarto Aphorismorum, quòd natura ordinatim procedit: & primo concoquit, secundo secernit, & tertio euacuat: & ideo necessario perfectam crisim præcedit concoctio, quę nihil aliud est, nisi naturæ vi-
6. 2. Aph. 23. ctoria supra causam morbificam. Sexta, & ultima cõdicio, vt fiat in die decretorio: quia, vt postea dicemus, crisis non fit in omni die indifferenter, sed in diebus, qui habent vim iudicandi, aliqui maiorem, aliqui minorem, & hoc tum propter astrorum aspectum, tum propter particulares accessiones: & ad perfectam crisim requiritur, vt fiat in die, qui præclaram habeat iudicandi uim, ut septimus, decimusquartus, vigesimus: &, cùm isti dies habeant suos indices, siue indicatorios, potest ad-
Loc. alleg. di ex tertiò de crisibus, quòd perfecta crisis non solum debet esse in die decretorio, sed oportet, vt sit præostensa in suo indicatorio, vt crisis, quæ fit in septimo, debet esse præostensa in quarto, & quæ fit in deci-

moquarto,

moquarto, debet esse præostensa in vndecimo. Et hæc de crisis condicionibus. Sed circa dicta aliquis dubitaret: quia Galenus in enumerandis crisis condicionibus uidetur varius: quia in primo de diebus decretoriis inquit, quòd perfecta crisis est, quæ est absoluta, fida, tuta, manifesta, cum bonis signis, & bona. Quæ condiciones videntur satis diuersæ à declaratis, quæ à Galeno ponuntur in hoc Commento. Sed dici potest, quòd condiciones positæ in vtroque loco circunscribunt optimam crisim, &, si benè perpenduntur, in idem coincidunt: quoniam, si crisis est absolura, fida, tuta, manifesta, cum signis bonis, & bona, necessariò erit per euacuationem, & non per abscessum, euacuabitur humor noxius, fiet per directum, necessario etiam sequitur tolerantia: præcedent signa coctionis, & necessariò etiam erit in die decretorio. Quoniam absoluta crisis est, quæ incipit, & desinit, quando oportet, & sic complectitur omnes condiciones: fida est, quæ non recidiuat: & sic coincidit cum illa, in qua humor noxius euacuatur, & non alius: tunc enim iudicium erit fidele, & non succedit recidiua: tuta est, ad quam sequitur tolerantia, & conferentia: est enim tuta, dicebat Galenus, quæ fit sine periculosis symptomatis; manifesta est crisis, quæ fit per euacuationem potius, quàm per abscessum. multoties enim humores decumbunt ad partem internam; &, quando decumbunt ad partem externam, adhuc non est adeo manifesta, vt quæ fit per euacuationem. Et, si est absoluta, & fida, necessariò etiam erit per directum: aliter non erit crisis perfecta, nec fida, & sine recidiua: quoniam humor noxius non potest nisi per conuenientem regionem perfectè euacuari. Esse autem cum bonis signis, idem est cum eo, quòd præcedant signa coctionis, & fiat in die decretorio. Ad quæ omnia necessariò sequitur, quòd crisis sit bona, & sic erit absoluta, fida, tuta, manifesta, cum bonis signis, & bona: hæc enim omnia etsi videantur diuersa, tamen coincidunt in idem: vt dictum est. Sed adhuc aliquis insisteret, quoniam Galenus tertio de crisibus inquit, quòd tria tantum sunt necessaria ad optimam crisim; primum, vt præcedant coctiones: secundum, vt fiat in die iudicatorio, & sit indicata in die indicatorio: tertiò, vt excretio sit morbo conueniens. Ad hoc dicimus, Galenum quàm optime tertio de crisibus, quæ attinent ad optimam crisim, ad pauciora capita reduxisse; & duo prima capita ibi posita sunt ferè eadem, cum vltimis positis in hoc Commento, vt scilicet præcedant coctiones, & fiat in die decretorio; & in eo, quod tertio de crisibus ponitur tertio loco, includũtur omnes aliæ condiciones: si enim excretio est morbo conueniens, euacuabitur humor noxius, & non alius; & sic in febre ardente euacuabitur bilis, & non alius humor: si etiam excretio est morbo conueniens, crisis

Cap. 2.

fiet per euacuationem ab illa regione, a qua morbus aptè auferri pōt: & ideo, si erit *febris* ardens, fiet per sudorem, per sanguinis fluxum, & quādoque, *sed* raro, per biliosas deiectiones: phrenitis per sudorem solet iudicari: & quandoque per sanguinis fluxum: non sic lethargus, & peripneumonia. Quæ omnia satis clare exponuntur a Galeno. Si etiam excretio est morbo conueniens, sequitur, quòd fiat per directum: quæ enim sunt in parte concaua iocinoris, per deiectionem, & uomitum solent iudicari; quæ verò sunt in parte gibba, per sudorem, vrinam, & sanguinis fluxum: affectus verò diuturni per abscessum solent iudicari. Et sic condicio, quòd excretio debet esse morbo conueniens, includit, quòd melior sit crisis per euacuationem, quàm per abscessum, & quòd humor noxius, & non alius debet euacuari, & quòd debet fieri euacuatio per directum. Vltra quæ omnia, ad coniecturæ confirmationem, euentus est considerandus: quia, si sequitur tolerantia, & conferentia, certi sumus, crisim fuisse laudabilem; &, si in nullo defecerit, erit perfectissima, & tantum cadet a perfectione, quantum in aliquo dictorum deficiet. *Neque mouere, neque nouare aliquid.* Circa hoc est sciendum, quòd morbi, in quibus fit crisis, oportet, vt habeant morbificam causam, quæ in crisi postea expellitur, vnde febris ephemera, & hectica, cum non habeant talem causam, non dicuntur iudicari, ut habemus secundo de crisibus. Ideo, quando dixit Hippocrates, Quæ iudicantur, & decretorie à natura expelluntur, non oportet mouere; per ea, quę excernuntur, oportet intelligere humores facientes morbum, quos quando natura perfectè iudicat, medicus non debet mouere: uel enim mouebit per eandem regionem, uel per aliam; &, si per eandem, erit addere currenti equo calaria, qui ex his posset præcipitari: eodem pacto addendo calcaria naturæ, periculum est, ne euacuatio adeo augeatur, vt effrenitet; & ratione, qua est superflua, noceat, vt habebimus infrà. Ideo non sunt laudandi medici, qui, cum vident naturam per aliquam regionem morbum iudicare, adhibent præsidia, quæ idem faciant, quia prouocant sudorem, si natura cepit per sudorem euacuare. Sic & in alijs. Quod potest esse periculosum: quia hæc non debent fieri, nisi quando imperfectè, & deficienter natura operatur. *Neque nouare aliquid*. Quamuis Mouere Montanus exposuerit de omni motu, tum locali, tum alterationis, tum augmenti, & diminutionis: & Nouare aliquid, voluerit, quòd debet ampliari ad ea, quæ possunt contingere, vt aperire fenestras, & huiusmodi: tamen, mea sententia, est melius, vt per Mouere intelligamus motum ipsorum humorum ad aliquam euacuationem; & per Nouare aliquid, omnia alia, vt nimiam vigiliam, motum, cibum, præter rationem adhibere, & huiusmodi.

Cap. 11.

di. Quoniam ipsemet Hippocrates videtur hæc exponere, subiungens, *Neque medicamentis*: & per Medicamenta intellexit omnia, quæ habent vim promouendi euacuationem; siue per clysteria, siue per vomitum, siue per sudorem, vel per alias regiones: Et sic hunc locum exponit Philotheus: & per hæc, meo iudicio, explicauit, quid intellexit per Mouere. *Neque aliter irritando*. Quam optimè vsus fuit hoc verbo Irritare: quoniam irritamus eos, qui sunt ad id propensi; & excitamus segnes, ineptos, & minimè paratos: &, quoniam supponit, naturam iudicare, & humores esse in motu, ideo dixit, quòd non debemus irritare quouis alio modo, quàm per medicamenta; vt cooperiendo, ac inuoluendo ægrum multis pannis; dum per sudorem fit à natura iudicatio. Nihil etiam debemus innouare, mutando victus rationem, nec alio quouis pacto. *Sed sinere*. idest debemus totum opus naturæ permittere, & nihil facere. Sed dices: Galenus in Commento vult, quòd medicus debet conuenientem victum adhibere, ergo non debet omnino desistere. Est dicendum, quòd in hoc in hoc casu medicus est necessarius, non vt adiuuet naturam; sed vt remoueat impedimenta, quæ possent eam à perfecta operatione auocare; & ideo debet, vt gubernator, assistere, & animaduertere, ne quid fiat præter rationem; & tunc, etsi nihil videatur facere, tamen multum facit; quia in non facere tunc consistit facere; &, aliter faciendo, erraret.

APHORISMVS XXI.

Quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit, per loca conferentia eò ducere.

CVm dixerit in præcedenti, quòd, quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè, sunt operi naturæ permittenda, & nihil innouandum, & ex his sequebatur, quòd medicus debet mouere, quando natura nec integrè iudicat, nec iudicauit; hoc subintelligendum explicat in hoc Aphorismo, subticens tamen, quod subintelligendum erat; & explicans per quam regionem, quod subintelligendũ erat exequi medicus debeat: quod breuissimis, & prægnantissimis verbis, vt sui moris erat, Hippocrates exposuit. Erat autem conueniens de regionis electione hoc loco tractare; cum pertractet de euacuationis vtẽ-

di

di modo, qui inter alia consistit in electione regionis, per quam debet fieri euacuatio. & eius sententia est, quòd ea, quæ oportet ducere, idest euacuare, (per easdẽ enim uias humores ducimus, & euacuamus) sunt ducenda, quo maximè natura vergit, hoc est per quam regionem uergere videntur, dummodo sit per loca conferentia. Et circa literam est sciendum, quòd Cenomanus remouet dictionem, Natura; quia in suo codice non aderat dictio φύσις. sed in alijs codicibus reperitur. & quãuis ex Commento huius Aphorismi non possit colligi, quod dictio illa fuerit in Galeni textu, tamen clarè haberi potest ex his, quæ scripsit libro de uenæ sectione contra Erasistratum. vbi adducit, & exponit hunc Aphorismum, inquiens, *Quæ ducere oportet, hęc quo maximè natura vergit per loca conferentia ducenda*: & subiungit: *Naturã siquidem tunc temporis expellere conatur id, quod eam infestat; cum autem præ imbecillitate finem operi imponere non possit, nostra implorat auxilia*. Ex quibus clarissimè innuit, dictionem, Natura, fuisse in suo textu; & eam explicans, dixit, quòd oportet euacuare per illam regionem, ad quam natura uergit, idest per quam natura cœpit euacuare. Est tamen verum, quòd tum ibi, tum in hoc Commento, vult, vt circa electionem regionis, per quam debet fieri euacuatio, obseruare debeamus, tum naturæ motum, tum etiam euacuandorum humorum impetum: & in vtroque verificatur dictio Natura; quia vel natura incipit humores expellere, per hãc, vel illam regionem, vel humores suomet impetu, & ex eorum natura ad vnam partem inclinant magis, quàm ad aliam: humores enim tenues inclinant magis ad euacuationem per superiora, crassi verò ad eã, quæ fit per inferiora, vt habemus etiam apud Hippocratem quarto Aphorismorum. Et est aduertendum, quòd Hippocrates adeo magnifecit humoris impetum, & inclinationem in euacuatione facienda, vt, etiam si fiat sine naturæ actione, & per regionem nõ conuenientem, sed nocuam, eorum motui aliquid esse condonandum existimauerit; quoniam, quamuis impediendus sit humoris motus, quando est ad regionẽ non conuenientem, tamen, si fieri potest, in euacuando, ex eius sententia, est eligenda regio, quæ cum ea, ad quam humores inclinabant, quodammodo conueniat. Et dicebat Galenus libro de venæ sectione contra Erasistratum, quòd hac ratione Hippocrates secundo de ratione victus in acutis, curans lateris inflammationem, dixit, Si dolor ascendit ad iugulum, est secanda interna cubiti vena; si verò descendit ad hypochondria, aluus nigro veratro, vel peplio est subducẽda: rursus in quopiam renalium affectionum cõcursu præfatus, scilicet sexto Epidemiõ, in renem dolor grauis, per ilia, vsque ad coxas tendens è directo: infert, poplitem secare, & non ob aliud, vt inquit Galenus secundo de ratione

Cap. 4.

Aphor. 9.

Loco alleg.
Tex. 10.

Comm. 2.
Tex. 7.

Loco alleg.

victus,

victus, nisi, quo natura vergit, per illam regionem oportet euacuare. Adeo quòd in eligenda euacuationis regione, vel natura euacuare cœpit, vel non, si cœpit, debemus ipsam adiuuare, per quam regionem incępit euacuare, & ob imbecillitatem non potuit supplere: si vero non cœpit, quamuis tempus sit conueniens, sed à morbi, & causæ vehementia fatigata, euacuationem aggredi nō potuit, vt habemus in eodem loco contra Erasistratum: tunc medicus debet euacuare, per quam regionem natura in simili affectu solet euacuare: vel per regionem, ad quam homorum euacuandorum natura inclinat, & impetum facit, dummodo sit per loca conferentia. Quòd si fuerit per loca non congrua, tunc bonum est, si fieri potest, vt euacuatio fiat per regionem ab ea non admodum differentem, vt eo pacto, quo fieri potest, humorum impetum imitemur, euacuando eos per inferiora, si illuc vergunt, & per superiora, si ad superiora habent impetum. Et, quoniam in electione regionis debemus seruare naturæ motum, & humorum impetum, si est per loca conferentia, ideo Galenus in Commento declarat, quæ sunt loca conferentia, & inquit, quòd sunt intestina, venter, vessica, & vterus, & cutis vniuersa, palatum, & nares in affectibus cerebri, vel per sanguinis profluuium. In quibus est aduertendum, quòd ista sunt loca euacuationi congruentia: quia per hæc solet natura, educendo noxios humores, morbos iudicare: sed non propter hoc sequitur, quòd quodlibet illorū locorum congruit indifferenter omni morbo, quia in particularis morbi solutione, ita iudicat natura per vnam regionem, vt non possit iudicare per aliam, vt in Commento innuit Galenus: cum inquit, Quæ sunt in parte gibba iocinoris per renes, atque vessicam, quæ sunt in parte concaua per venas meseraicas feruntur ad intestina, & inde possunt per vomitum, & per aluum euacuari: sic etiam, cum inquit, quòd sanguinis profluuium iudicat morbos, dummodo fiat per directum: quādo enim rectitudo non seruatur, potiùs nocua est euacuatio, quàm vtilis. Illud idem dicebat septimo Methodi, & satis pulchrè tertio de crisibus, vbi asserit, quòd excretio debet esse morbo cōueniens: quoniam aliqui optimè terminantur per sudorem, aliqui optimè per sanguinis fluxum, aliqui per vomitum, aliqui per aluum, aliqui per vrinam, aliqui per hæmorrhoides, aliqui per menstrua, aliqui per duas, vel tres istarum regionum: & ideo non sufficit, vt euacuatio sit per aliquam illarum regionū, quæ Conferentes, & Conuenientes à Galeno dicuntur: sed particulariter oportet, vt excretio fiat per regionem, morbo iudicando conuenientem; & eodem pacto medicus debet per regionem, morbo, & humori euacuando, conuenientem euacuare. Hac ratione dicebat Hippocrates sexto Aphorismorum, à pleuritide habito, alui profluuium superueniens,

Quæ sint propria loca cōuenientia.

Cap. vlt.

Cap. 3

Aphor. 16.

niens, malum; & est malum, quia, etsi euacuatio per aluum, sit aliquibus morbis conueniens, tamen per illam regionem euacuatio non conuenit in pleuritide. Sed diceret aliquis, quomodo dignosci potest, an sit regio morbo conueniens. Et dici potest, quòd illa est morbo curando regio conueniens, quæ magnam, cum parte, in qua est affectus, habet societatem; & hoc ob vasorum interse communicantiam, quibus facilè possit, quod præter naturam in parte continetur, per talem regionem euacuari. & hoc apertissimè explicat Galenus septimo Methodi, inquiens: Iam ad euacuationes quoque nonnihil indicat, dum societatem laborantis particulæ cum alijs docet: nam, nisi illud compertum haberemus, quòd cauo iocinoris subijcitur vētriculus, & ieiunum; tum quòd ipsi ieiuno, tenue intestinum succedit: id verò colon excipit, a colon, quod appellant rectum, vtique inuenisse illud non licuisset; quòd iecur, & per aluum, & per vomitum expurgari potest. idem etiam explicat secundo ad Glauconem. Et hac ratione dicebat decimotertio Methodi, vnde, & quomodo sit facienda euacuatio, locus ipse affectus docet: declarans ibidem, quòd ideo in inflammatione iocinoris debemus secare venam internam dextri brachij; quoniam ab ea tum reuellitur, tum educitur, qui ad iecur fluit, sanguis; propterea quòd & è regione, & ampla via, cum vena, quæ caua dicitur, societatem habet. Vt iam patere possit, quòd ad hoc, vt regio sit conueniens, pro alicuius morbi solutione, non sufficit, vt sit per aliquam illarum regionum, quæ à Galeno exponuntur in Commento. Sed, quamuis omnes illæ sint regiones cōuenientes, quia nunc per vnam illarum, nunc per aliā, natura solet morbos iudicare; tamen, in particularis morbi curatione, & solutione, oportet, vt fiat per aliquā illarum regionum, quæ cū parte affecta, & euacuanda consensum, & affinitatem habeat, cuius ratione, facilè morbi causa per illā possit euacuari. Sed aliquis diceret. Si sic est, in eligendo regionem, satis erit scire, quæ inter numeratas à Galeno consensum habeat cum parte affecta, & per eam debemus euacuare, & non erit necessariū obseruare naturæ motum, & humoris impetum: nam vel sunt per eandem regionem, vel non. si sunt per eandem, superfluum est illa considerare; quia, quòd per illam regionem fieri debeat euacuatio, pars affecta docebat: si verò naturæ motus, & humorum impetus, est per aliā regionem; tunc, ex Galeno in Commento, debemus prohibere, & impedire; & sic videtur superfluum, illa considerare, cum ad loci electionē, per quem debemus euacuare, solum partium consensus, & societas sufficiat. Ad hæc dici potest, quòd, quamuis sit, quòd pars affecta, ratione societatis, quam cum alijs habet, principaliter doceat, per quam regionem sit facienda euacuatio; tamen debemus naturæ motum, & humorum

Loco alleg.

Cap. 2.

Cap. 11.

rum impetum, si præcesserint, considerare; quia pars affecta potest habere consensum, non solum cum vna dictarum regionum, sed cũ duabus, vel tribus, & ideo inter eas, vt conuenientiorem eligat, debet obseruare, ad quam illarum vergit natura, & quo fertur humoris impetus, & per illam debet euacuare. Ideo de febre ardente dicebat tertio de crisibus, quòd potest iudicari per sudorem, per fluxum sanguinis, per vrinam, & quandoque, sed rarò, per aluum; cum enim in tali febre ebullitio fit in venis, ebulliens sanguis facilè sursum petit; & distendens, ac aperiens venas, facilè potest per fluxum sanguinis narium euacuari, & morbus iudicari: sic etiam venæ, in quibus est ebullitio, terminantur ad corporis habitum, & cutim: & humor in febre ardente est tenuis, & potest facilè extra venas propelli; & sic per sudorem euacuari: facilè etiã iudicatur per vrinam, cum vrina à venoso genere, & præcipuè à vena caua per venas emulgentes expurgetur; & cum illa possunt facilè excrementa venosi generis misceri, & expurgari. Cũ ergo vnus morbus possit per plures regiones iudicari, præcipit Hippocrates, vt medicus in regionis electione, obseruare debeat naturæ, & humorum impetum; & per illam euacuare, per quam natura tentauit, vel ad quam humor noxius proprio impetu inclinat; dummodo sit per loca conferentia. Et inquit Galenus in Commento, quòd non esse conuenientem accidere potest, vel quia fit transitus per membrum principale, vel quia fit ad locum, in quo non est manifestus meatus, per quem fieri possit euacuatio: fit transitus per membrum principale, quando affectus est in pulmonibus, & partibus thoracis, & humor noxius retrocedit ad cor, vt per aliquam inferiorum regionum euacuetur; & transitus per cor, non potest esse sine periculo. Hac etiam ratione non adeo laudatur euacuatio, quæ fit per vomitum; quia fit transitus per os ventriculi, quod multam habet cum corde affinitatem: & ideo, si humores sunt acres, & mordaces, facilè posset syncope, & mors succedere. Non est etiam conueniẽs regio, si humor mouetur ad partem, in qua non sit manifestus meatus, per quem possit expurgari: vt, si humores fluunt ad artus, ad pedes, ad brachia, & ad manus, siue hoc fiat humoris impetu, & symptomaticè; siue natura illuc humores noxios expellente. Obseruandus est igitur naturæ motus, & humorum impetus, si est ad regionem conuenientem: aliter debemus potiùs ad contraria reuellere, vel ad propinqua deriuare; quod asserebat Hippocrates sexto Epidemion, vbi inquit: reuellere, si quò non oportet, ferantur; sin autem, quò oportet, his oportet aperire, quemadmodum singula vergunt. In quibus verbis breuiter explicat, quæ hic dicta sunt. Sed, vt nihil ex his, quæ occurrunt, & ad artem sunt necessaria, remaneat intactum; est rationi consonum, hoc

loco

Cap. 3.

Quomodo, et in quibus sit seruãda rectitudo.

loco examinare, quid sit societas, & rectitudo in euacuatione obseruanda. est enim tanti momenti, vt in regionis electione, totum ferè momẽtum in societatis, & rectitudinis cognitione consistat: & propterea Hippocrates, & Galenus semper exclamant, quòd euacuatio fieri debet κατ' ἰξιν, idest secundum rectitudinem. Quamobrem opus est considerare, in quibus rectitudo ista consistat, & maximè, quia in hoc fuit multa disceptatio: & inter iuniores, Petrus Brissottus Gallus, quem in aliquibus secutus est Vesalius, tenuit, quòd huiusmodi rectitudo debet seruari per fibras: sunt enim in humani corporis partibus fibræ ad naturales actiones comparatæ; quia mediantibus rectis fit attractio, circularibus fit expulsio, & transuersis mediantibus fit retentio, vt habemus tertio de potentijs naturalibus. Ex quibus asseruit, quòd quælibet euacuatio fit, vna parte propellente, & alia attrahente: & ideo est necessaria fibrarum rectitudo: aliter non potest bona fieri euacuatio: & tenuit, ꝙ Hippocrates, quem sequitur Galenus, hac ratione voluerit in pleuritide secandam esse venam eiusdem lateris: quia, etsi siue feces in dextra, siue sinistra, fit euacuatio à vena caua, quæ antequam in iugulares diuidatur, duas axillares progerminat, quæ ad brachiorum internas partes diuaricantur, vt ex anatomicis patet: tamen, si secamus venam in parte dextra, ratione rectitudinis fibrarum fiet potiùs attractio, & euacuatio à parte dextra, quàm à sinistra: &, si secamus venam in parte sinistra, fiet potius euacuatio à parte sinistra: immo tenet, quòd ipsamet vena caua ratione rectitudinis fibrarum magis euacuatur à parte dextra, vel sinistra, facta sectione in dextro, vel sinistro brachio. Et idem confirmans Vesalius asserit, quòd debemus hanc fibrarum rectitudinem animaduertere, præcipuè in venis, per quas debet fieri euacuatio: quia, si euacuamus à dextro latere, dextra pars venæ cauæ congruè euacuatur, sic etiam sinistra, facta sectione in sinistro latere. Hinc addit quoddam, nunquam alias excogitatum, quòd in pleuritide, siue sit in parte dextra, siue sinistra, semper debemus secare venam in parte dextra: quoniam ex anatomicis administrationibus patet, quòd octo costæ, vel etiam nouem inferiores thoracis, nutriuntur ex unica tantum vena, quæ dicitur, Vena sine pari, & ducit ortum à dextra parte venæ cauæ. Hoc stante, inquit Vesalius, si euacuatio fit per fibras rectas, & vena sine pari, quæ in thorace disseminatur, per omnes tum dextras, tum sinistras partes, oritur à venæ cauæ dextra parte: si euacuare intendimus à vena sine pari, per quam ad partem inflammatam fluit sanguis, semper mitti debet sanguis à dextri brachij interna vena, & nunquam à sinistro: quæ omnia vult esse intelligenda, quando inflammatio est in nouem costis inferioribus, quæ à vena sine pari nutriuntur: si enim fuerit in tribus alijs superioribus,

Cap. 14.

perioribus, cum venæ, quæ costas illas nutriunt, dextræ à dextris, & sini-
stræ à sinistris oriantur, debemus secare venam in dextro latere, si dex-
tra pars est affecta, & in sinistro, si fuerit inflammata pars sinistra: hæc
dixerunt stantes in hoc, quòd rectitudo obseruanda, in euacuatione de-
bet esse per fibras. Sed nos explicabimus prius, quàm sit absurda istorũ
sententia, posteà quid per societatem illam, vel rectitudinem intellige-
re debemus, respondentes etiam his, quæ obijci possent. Circa illorum
positionem, dicimus, quòd, putantes Galenum exponere, ipsi absq; du-
bio contradicunt: quia, quoties de rectitudine illa mentionem facit,
nunquam de fibris meminit, sed de vasorum societate; vt dicemus.
Præterea isti, dum exponunt, hanc fibrarum rectitudinem esse necessa-
riam; supponunt quoddam falsum; & est, quòd quælibet euacuatio
fit, vna parte trahente, & alia expellente: quod nec in purgatione, nec
in sanguinis missione verum est: & in istis Hippocrates, & Galenus re-
ctitudinem seruandam esse iusserunt, in purgatione quidem; quia,
quamuis verum sit, quòd tunc optima sequitur euacuatio, quando na-
tura propellit, & medicamentum attrahit; tamen, quod attrahit, non
est pars, sed medicamentum, quod trahit propria facultate; & non per
villos, siue fibras: & sic fibræ, in hac attractione non sunt necessariæ.
Præterea habemus libro primo de potentijs naturalibus, & posteà li-
bro tertio, quòd fibræ fuerunt fabrefactæ à natura, vt partes possint at-
trahere, quod iuuatiuum est, & expellere, quod nocuum, & sic non at-
trahent excrementum illud inutile, & præter naturam, quod debet eua-
cuari. Amplius Galenus asserit secundo de differentijs febrium, quòd
excrementa à fortioribus ad imbecilliores partes expelluntur; & illæ
propellunt ad multo imbecilliores, quousque ad partem adeo imbecil-
lam fuerit peruentum, vt non possit ad aliam expellere, & in ea fit putre-
dinis focus: adeo quòd, si partes sunt robustæ, ad imbecilliores expel-
lunt, si partes naturaliter se habent, nunquam, quod est præter naturam
attrahent; & ideo attractio per fibras non est necessaria in purgatione;
quia, etsi partes sint aptæ natæ, quod præter naturam est, expellere; nun-
quam tamen, si naturaliter se habent, illud attrahere possunt. Nec etiã
est necessaria in sanguinis missione: habemus enim secundo de poten-
tijs naturalibus, quòd pars euacuata impletur per consecutionem ad va-
cuum; quoniam, quando euacuatio fit, ne detur vacuum, statim, quæ
fluere apta sunt, fluunt ad locum euacuatum, & non est necessarium, vt
attrahatur; & sic, in sanguinis missione nulla erit fibrarum necessitas.
Præterea est satis inconsonum, & à ratione remotum, dicere, quòd, eua-
cuando ab vna parte, pars vna uenæ cauæ euacuatur, & non alia: quia, si
omnia sunt mista, & fluxibilia, &, quod propè est, si aptum est, fluit: ne

Cap. 14.

Cap. 15.

Cap. vlt.

Cap. 15.

detur

detur vacuum, ad partem euacuatam: quo modo poterit vna pars venæ cauæ euacuari, alia non euacuata? Ideo, eorum expugnata sententia; cum Galeno asserimus, nihil aliud esse rectitudinem in euacuatione obseruandam, nisi vasorum consensum, & societatem; quod ex pluribus locis comprobatur: & primo ex secundo ad Glauconem, vbi dicebat, humorem fluentem oportet ad contraria reuellere, fluxum verò, sed non firmatum, debemus ad propinqua deriuare; vtrunque verò fieri debet per venas communes: & decimotertio Methodi inquit: Oportet autem sanguinem mittere ab illis venis, quæ vna cum parte affecta aperiuntur, ita, vt pars euacuari possit, ac si ipsa aperiretur: & parum infrà dicebat, in inflammatione iocinoris esse secandam venam in dextro cubito; & assignat rationem, non aliam, nisi quia vena illa per satis amplam viam cum vena caua, & iocinore communicantiam habet; & in septimo Methodi asserebat, quæ sunt in parte concaua iocinoris, debent per os, vel aluum euacuari; & hoc non ob aliud, nisi quia adsunt manifesti meatus, quibus materia, in iocinore existens, per illas regiones potest educi: &, quæ sunt in parte gibba, & renibus, debent per vrinam euacuari, non ob aliud, nisi ob maximam affinitatem, & vasorum societatem, quam cum vesica, & vesicæ meatibus habent. Illud idem etiam liceret ex multis alijs locis comprobare: sæpissimè enim innuit, per vasorum communionem, rectitudinem esse obseruandam: & ideo partes, quæ communicant inter se, possunt adinuicem frui, vt dicebat decimoquarto de vsu partium: vbi asserebat, per rectitudinem autem se respiciunt, quæ inuicem communicant, & fruuntur: vt ex dictis concludere liceat, quòd rectitudo seruanda sit per vasorum societatem, & non per fibras. Sed in hoc aliquis insisteret: quia, si rectitudo est seruanda in societate vasorum, non videtur possibile posse saluari Hippocratem, & Galenum, qui asserunt, quòd in pleuritide dextri lateris est secanda vena in dextro cubito; & in pleuritide lateris sinistri est secanda in sinistro; cum vena axillaris, quæ protenditur ad brachium, indifferenter euacuet à vena caua, siue secetur in dextro, siue sinistro: eadem enim seruabitur vasorum rectitudo in vtraque sectione. Ad hæc dicimus, quòd, si, vt ipsi supponunt, fieret euacuatio, esset impossibile in Hippocratis, & Galeni doctrina dictam positionem saluare, & defendere; sed res aliter se habet: quoniam, etsi duæ venæ axillares æqualiter germinentur à vena caua; tamen vtraque, post germinationem, & anquam exeat à iugulo, producit quendam ramum effatu dignum, qui disseminatur ad musculos thoracis, & mammas ex parte externa: ex parte enim interna, est vena illa sine pari, quæ nutrit costas; vt dictum est: & Vesalius non negat, quòd etiam à vena sine pari aliqui rami per-

Cap. 2.

Cap. vlt.

Cap. 7.

ueniant

ueniant vſque ad partes externas, ipſas ſcilicet mammas; & quòd à vena, quæ oritur ab axillari, & eſt deſtinata pro nutritione partium externarum thoracis, muſculorum ſcilicet, & mammarum; aliqui rami perueniant vſque ad thoracis partes internas, ad quarum nutritionem vena ſine pari erat deſtinata: & poſteà à pluribus celeberrimis anatomicis, & præcipuè à doctiſſimo noſtro præceptore Philippo, & à Fallopio in corporum diſſectionibus eſt obſeruatum, quòd extremitates venæ ſine pari, per anaſtomaſin vniuntur cum extremitatibus illius venæ, quæ ortum ducit ab axillari; & ad nutritionem partium externarum thoracis erat deſtinata, ita, vt, ſi aliqua fiſtula impoſita, vna illarum inſuffletur, dilatabitur ſimul & altera; ſignum euidentiſſimum, has venas inter ſe multam habere communicantiam: cuius ratione, ſi in pleuritide ſecamus venam eiuſdem lateris, ſeruatur maior rectitudo, quàm lateris oppoſiti: quia non ſolum fit euacuatio à vena caua, à qua vtraque axillaris dependet; ſed etiam fit euacuatio à vena ſine pari ratione communicantiæ, quam habet cum axillari dextra, in parte dextra, & cum axillari ſiniſtra, in parte ſiniſtra: & ideo, quando euacuamus ab eodem latere, ratione, qua fit euacuatio à vena caua, remouemus multitudinem, & reuellimus à parte affecta, prohibendo, ne ſanguis fluat ad venam ſine pari, & ab ea, ad partem inflammatam; ratione verò, qua, euacuando ab axillari, euacuamus etiam à vena, quæ ab ipſa oritur; & per anaſtomaſin coniungitur cum vena ſine pari: euacuamus à vena ſine pari, & ſic etiam à parte inflammata, & hoc pacto deriuamus. Vt ex his concludere liceat, quod, facta euacuatione ab eodem latere, non ſolum euacuamus à toto, euacuando à vena caua: ſed reuellimus, prohibendo, ne à vena caua ſanguis redundans fluat ad partem affectam: & vltra hoc etiam deriuamus, euacuando quod fluxum eſt in parte, & non firmatum, per communicantiam, quam habet axillaris dextra, & ſiniſtra, cum ramis venæ ſine pari, qui ad nutriendas partes internas thoracis dextras, vel ſiniſtras ſunt deſtinati. Et hæc ſufficerent ad ſtatuendam Hippocratis, & Galeni ſententiam; quòd in pleuritide dextra, à dextro; & in ſiniſtra, à ſiniſtro debet fieri euacuatio. Sed addam etiam aliud, à doctiſſimis quibuſdam viris obſeruatum: & eſt, quòd natura, in vena ſine pari, circa principia ſuæ progerminationis, quam habet à vena caua, fecit quædam oſtiola, ſiue membranas quaſdam, illis ſimiles, quas fabrefecit in meatibus, qui ſunt in cordis ventriculis; quæ habent eundem etiam cum illis vſum: ſunt enim ſic collocatæ, vt ſanguis à vena caua poſſit permeare ad venam ſine pari: ſed, cum fuerit ingreſſus, non poteſt amplius retrocedere: & hoc Amatus Luſitanus cum peritiſſimo anato-

 mico,

mico, in pluribus se obseruasse fatetur: &, quamuis Fallopius contrarium asseueret, tamen, si oculis credendum est, in anatomicis administrationibus, quæ in hoc almo studio fuerunt administratæ, hæc ostiola fuerunt pluries manifestissimè obseruata: &, quòd hæc eo loco sint producta, est etiam rationi consonum; quia, cum thorax, qui ferè totus nutritur ex vena sine pari, sit in continuo motu, potuisset sanguis à vena caua, in venam sine pari attractus, in motu constrictionis, iterum ad venam cauam exprimi, & expelli; & sic, thoracis partes suo nutrimento destitutæ remansissent: ideo, ad hoc euitandum, natura prouida ostiola illa fabrefecit. Sed, cum sanguis in vena sine pari contentus, fieri possit præter naturam, & in qualitate, vel quantitate peccare, & ob dicta ostiola retrocedere non liceret; hac ratione natura, satis prouida, vt omnia faceret pro salute animantis, prouidit, vt vena sine pari suis extremitatibus, cum ramis, qui exeunt à venis axillaribus, coniungeretur, vt facta per anastomasin coniunctione, siquid præter naturam in vena sine pari contineretur, cum non possit retrocedere, possit ad minus per venæ sectionem à brachio euacuari. Et, hoc stante, corroboratur, quòd, existente pleuritide in parte dextra, vel sinistra, debemus ab eodem latere euacuare. cum etenim sanguis in vena sine pari contentus, retrocedere non possit; si euacuamus à latere opposito, etsi vena caua euacuetur; tamen, cum nihil educatur non solum de eo, quod continetur in parte affecta, sed nec etiam de eo, quod continetur in tota illa vena sine pari; quod est propè partem affectam, & affectum proximè fouet, & auget; sequitur absque dubio, quòd ex tali euacuatione, aut nullum, aut post multum tempus sequitur iuuamentum: ratione scilicet, quòd, euacuata multitudine, non sic ad partem affectam fluxio fieri poterit; & ratione etiam, quòd, cum omnia consentiant, & in vnum conspirent, cum partes euacuatæ semper trahant, facta à vena caua euacuatione, per partem, post partem, fit euacuatio à toto; & sic etiam à parte affecta. Sed in magno morbo, præsentaneum requiritur auxilium; & ideo erit multo melius venam secare in eodem latere: simul enim, & semel euacuabimus à toto, reuellemus ad partem longinquam euacuando à vena caua; & per communicantiam venæ sine pari cum vena axillari deriuando partem affectam euacuamus, vt prius dictum est.

APHO-

APHORISMVS XXII.

Concocta medicari, atque mouere, non cruda, neque in principijs, modo non vrgeant, plurima vero non turgent.

COeperat Hippocrates de euacuationis vtendi modo tractare: sed, cum ille non solum in regionis electione consistat, sed inter alia occasionem, & tempus opportunum includat; ideo in hoc Aphorismo docet, quo tempore medicus euacuare debeat. Et, si aliquis diceret, Si medicus debet euacuare per regionem, per quam natura cœpit, sed non potuit perfectè euacuare, vt habuimus in præcedenti; ergo tempus euacuationi opportunum erit, quando natura cœpit, & non potuit perficere. Ad hoc dicimus, cum Galeno, libro de venæ sectione, contra Erasistratum, quòd medicus non semper est occupatus circa euacuationem eorum, quę natura iudicauit, sed imperfectè: & quia nō potuit operi finem imponere, ideo medici auxilia implorat: sed multoties euacuare debet, quando etiam, si sit tempus euacuandi, natura est pigra ad expellendum, & nihil penitus mouet; & hoc accidit, quia à morbosarum causarum vehemētia, quasi superata, expulsionem non aggreditur. Ideo (non semper expectato naturæ motu) tēpus euacuationi opportunum medicus cognoscere debet, vt, eo superueniente, si natura fuerit pigra, sciat occasionem eligere; & tempore, quo natura solet, humores educat; & hoc docet in hoc Aphorismo: quia medicus debet naturam imitari; & quemadmodū illa, vt habemus quarto Aphorismorum, primo concoquit, secundo secernit, & tertio euacuat, aliter aliquid bene euacuari est impossibile: ita medicus, nisi signa coctionis præcesserint, non debet euacuationem moliri: ad quod præcipiendum inquit, *Concocta medicari*. Aphorismi sententia est, ꝙ medicus nō debet vti medicamento purgante, nisi educendus humor fuerit concoctus: quoniam oportet euacuare concocta, & non cruda; neq; in morborum principijs, nisi materia turgeat, sed vt plurimum non turget: & ideo vt plurimum in euacuatione facienda debet expectare coctionem. Sed singula verba exquisitius examinemus. Et, ne confusio potius, quàm doctrina, sequatur; quantum fieri poterit ordinatim procedere tētabimus: tot enim sunt in hac sententia difficultates, & adeo multa ad artem necessaria in ea includuntur, vt mirum sit, in tam paucis verbis adeo multa, & effatu digna contineri. *Concocta*: Græcus codex habet πέπονα. & in rei veritate non sonat idem ꝙ Concocta: quia, vt habemus apud Aristotelem quarto Meteororum, Concoctio, quæ est perfectio natiui caloris, ex oppositis passiuis, est tanquàm genus ad tres concoctionis species, & sunt maturatio, elixatio, & assatio: & Concoctio in genere apud græcos

Cap. 4.

Comm. 22.

Concoctio quid.

dicitur πέψις, à verbo πέπτω, quod propriè significat Concoquo. Maturatio vero, quæ est vna cōcoctionis species, dicitur πέπανσις, à verbo πεπαίνω, quod propriè significat maturo, & ab illo verbo est nomē verbale πέπονον, & sic πέπονα melius est interpretari, Matura, vel Maturata: nam Hippocrates nō vniuersali Coctionis, sed particulari Maturationis nomine vsus fuit: & hoc, quia in corpore humano duplex videtur fieri cōcoctio, quarum vna est ipsius alimenti; & hæc (vt habemus tertio de potentijs naturalibus) est alteratio in propriā eius, quod nutritur, qualitatem: & dixit, ꝙ est elixationi similis: & libro secundo dixerat, & clarius, ꝙ est alteratio, ac nutrientis, in propriam eius, quod nutritur qualitatē, mutatio. Altera verò cōcoctio consideratur in his, quæ excrementa cruda, & præter naturā sunt, & dicitur Maturatio: & nō immerito. dicebat enim Aristoteles, ꝙ maturatio propriè attinet ad pericarpia ipsorū fructuū: sed metaphoricè dicitur ēt de tuberculis, & pituita: & hinc, qn̄ inflāmationes suppurantur, dicuntur maturari. Maturatio verò definitur per concoctionem, tanq̄ per suum genus: & sic eā definiuit Galenus primo Epidemiōn, inquiens, Maturatio morbi est concoctio quædā eorū, quæ sunt præter naturā: hæc aūt cōcoctio (per quā scilicet definitur maturatio) est deductio quædā eius, quod concoquitur, in substantiā cōcoquentis. Quæ definitio verificatur tū in alimenti coctione, tum in excrementorū maturatione. in vtraq; enim fit assimilatio, & deductio illius, quod concoquitur, in substantiā concoquentis. sed in coctione alimēti, assimilatio est multa, quia cōuertitur in substantiā aliti; & excrementū, quod separatur, est paucū; nō sic in excrementorū maturatione, qm̄, cū sint præter naturā, non pñt nisi in colore assimilari; vt habemus primo Prognosticorū; & hinc, quod verè assimilatur, est paucū: semicoctū verò excremētū est multū: nec debet videri mirū, si aliquid oīno assimilatur: accidit.n. hoc, tum quia coquuntur à natura, quæ nō sunt omnino aliena, & putrida, quia omnino putridis cōuenit excretio, & nō concoctio: semiputridis verò ventilatio, refrigeratio, & concoctio, vt habemus vndecimo Methodi: & ideo in excremētorū coctione aliquid assimilatur: tum ēt, & melius, quia, dū cōcoctio, & maturatio fit, humores mali sunt cū bonis permisti: & ideo, cū natura concoxerit, secernit, vt possit expellere, vt habemus in hoc Cōmento, & quarto Aphorismorū: apertè per hæc innuens, ꝙ, dū concoquuntur, non sunt ab alijs separati. Ex quibus licet ēt colligere duo. Primū, ꝙ in omni concoctione, siue sit alimenti, siue eorū, quæ sunt præter naturā, fit assimilatio eorum, quæ concoquuntur, ad partem concoquentē: & ideo optima est definitio assignata octauo de cōpositione medicamentorū per loca: vbi innuit, concoctionē esse alterationē, q̄ eousq; procedit, donec in similitudinē partis, quod cōcoquitur,

Cap. 7.
Loco alleg.
Commē. 2.
Comm. 44.
Com. vlt.
Cap. 13.
Loco alleg.
Cap. 7.

quitur, sit transmutatum. conuenit nanque omni coctioni, quia in qualibet, quantum fieri potest, attenditur assimilatio; tunc enim erit perfectè chilus in ventriculo elaboratus, quando perfectè colore, sapore, & alijs qualitatibus erit assimilatus: sic etiam sanguis in iocinore. Hac eadem ratione, pus dicitur concoctum, quando illam, quæ possibilis est, habuerit cum parte concoquente, similitudinem; &, si non potest ita assimilari, vt conuertatur in substantiam aliti, est defectu materiæ, quæ est præternaturaliter affecta; & ratione caloris putredinalis, quem in se habet, non est apta nutrire, ad minus, quoad maximam eius partem. Secundum est, quòd in qualibet coctione natura intendat assimilare: & hoc conatur facere quantum potest; cum autem fieri non possit assimilatio, nisi illud retineatur, nec retineri, & assimilari, nisi inter partē concoquentem; & quod concoquitur, intercedat familiaritas, vt clarissimè patet ex primo de potentijs naturalibus, & ex tertio de temperamentis: cuius rei causa est; quia contentiua continet, vt membrum eo perfruatur, quod continetur; vt habemus in tertio de potentijs naturalibus; &, si eo perfrui debet, opus est, vt id desideret: omnibus autem animalis partibus desiderium est conuenientis qualitatis, & auersio quædam, & odium alienæ; &, quando desiderant, rationabile est, vt attrahant; &, quando abhorrent, vt excernat. Ideo absque dubio sequitur, quòd, si pars nullam haberet affinitatem cum humore concoquendo, illum non retineret, nec concoqueret. Et hac ratione dicebat quarto de tuenda valetudine, quòd non omnis cibus in cuiusuis ventre concoquitur, sed cognatio quædam ei, quod concoquit, cum eo, quod concoquitur, esse debet: quoniam, quod omnino est alienum, nulla fieri ratione potest, vt id ex natura gratiam accipiat; sed educere id, quàm primum est tentandum. Dicendum est ergo, quòd, quando partes concoquunt, semper concoquunt, vt assimilent; & ratione alicuius affinitatis, quam cum humore concoquendo habent, eo quodammodo fruuntur, & tāquam vtile conantur assimilare. Si verò illud fuerit semiputridum; quod omnino assimilatur est paucum; & reliquum remanet ad minus assimilatum in colore, & dicitur concoctum; quia natura assimilauit, quantum fieri potuit. Et omnia hæc verificantur ex prius dictis: quia, dum ea, quæ sunt preter naturam, concoquuntur, sunt vtilibus humoribus permista, & simul cum illis concoquuntur: sed natura, quæ apta sunt omnino assimilari, assimilauit, & alia, assimilata tantum in colore, cum nō omnino assimilari possint, expellit. Ex quibus etiam facilè conuinci posset, vnam tantum esse concoctionem: quoniam, siue sit eorum, quæ sunt secundum naturam, siue eorum, quæ sunt præter naturam, semper fit ab eodem agente, à calido scilicet natiuo: in eadem materia; quia, in

Cap. 10.
Cap. 2.
Cap. 6.
Cap. 3.

materia, quæ aliquam habet affinitatem cum parte concoquente; quanquam ex differentijs, quæ in hac materia reperiuntur, aliquando maior, aliquando minor fit assimilatio: introducitur etiam eadem quodámodo forma: fit enim assimilatio, quæ fieri potest, & quantum patitur subiecta materia, quæ assimilatur: adest etiam idem finis, quia semper natura concoquit, vt eo perfruatur, & vt, facta assimilatione, assimilatum possit in substantiam aliti transmutari. Et, quamuis circa hæc multa alia dici possent, pro nunc hæc sufficiant: &, descendendo ad ea, quæ ad huius Aphorismi expositionem attinent; quia ea dicuntur in nostro corpore verè concoqui, quæ possunt conuerti in substantiam aliti, vt Galenus innuit secundo de ratione victus in acutis; non est mirum, si pluries reperitur, solam pituitam dulcem, & acidam posse concoqui: quia per vlteriorem coctionem potest assimilari, & nutrire: cætera verò excrementa, non propriè concoquuntur, quia non possunt recipere naturæ gratiam: quæ omnia de vera coctione intelligenda sunt; quæ excrementis, & his, quæ sunt præter naturam, non competit; & quando dicuntur concoqui, hoc illis accidit ratione, qua non omninò sunt præter naturam, & vtiles, ac familiares succos permistos habent; quorum ratione natura ea retinet, vt assimilet; quod cum omnino efficere non possit; tandem ea sic quodammodo assimilata expellit; &, sicut de istis non propriè, sed metaphoricè dicitur maturatio, ita etiam non conuenit eis vera concoctio; sed dicuntur concocta; vt sunt à natura, quantum fieri potest, assimilata. Quocirca in istis concoctio sumitur non propriè, sed sub generaliori significato, vt patet ex secundo de ratione victus in acutis; & est, quando calidum innatum præualet, & excremētum humidum ad quandam formam redigit; ita, vt, iuxta hoc significatum, nihil aliud sit concoctio, nisi quædam euictio; & ea dicuntur concocta, quæ sunt à natura euicta, & superata; ea verò dicuntur cruda, quæ non sunt euicta. & hoc Galenus explicabat clarissimè, primo Epidemion; inquiens, vt fiunt coctiones, natura causas noxias superante, ita non superante, contraria. Et, ad propositum redeuntes, dicimus, ꝙ Hippocrates vult, vt medicus debeat medicari concocta, idest pharmaco purgante euacuare cōcocta, meliùs est dicere matura, idest, quæ sunt à natura euicta, & superata: quia tunc, cum facta sit assimilatio, & concoctio, quæ fieri potuit, & secretio; optima succedet euacuatio; tunc enim est tempus euacuationi à natura faciendæ conueniens: & sic in purgatione habebit naturam adminiculantem. Et, si aliquis diceret, si excrementa assimilari, & conuerti in substantiam aliti, est impossibile; ad quid natura circa eorum coctionem adeo laborat; cum ea possit à principio tanquam inutilia expellere? Ad hæc, stando in his, quæ prius

dicta

Comm. 41.

Loca alleg.

Comment. 2. Comm. 46.

dicta sunt, potest responderi; quòd excrementa, quousque fuerint concocta, sunt cum his, quæ vtilia sunt, permista, & ideo ea natura retinet, & simul cum vtilibus tentat assimilare: quod cùm postea fieri non possit, cessat retinere, & insurgit, vt ea tanquàm inutilia expellat; & tunc fiunt iudicationes. Et, si aliquis insisteret, si excrementa erant multa, & naturæ inimica, quare natura non statim à principio separauit vtile; & inutile expellere conata est? Ad hæc dicimus, quòd partes secundum naturam operantes, & earum facultates, in suis actionibus non vtuntur intellectu, & ratione, ac si essent rei publicæ gubernatores, vt habemus quinto Aphorismorum; & ideo, quamuis cum vtilibus essent inutilia multa permista, tamen, vtilium affinitate ductæ, omnia amplectuntur, & omnia tentant vincere, & assimilare, vt illis fruantur, & nutriantur; & hoc sine cognitione: sed, cum illud postea fieri non possit, cessat retentiua retinere, & insurgit expulsiua ad expellendum. *Medicari*. Dictio Græca est φαρμακεύειν & Galenus exponit, idest, Purgante medicamento euacuare: quia Hippocrates consueuit vti hoc verbo Medicari in hoc significato, vt habemus quarto Aphorismorum: vbi inquit, vtero gerentes sunt medicandæ, hoc est, purgante medicamento euacuandæ: & eodē libro, medicari in valde acutis eadem die: tardare enim in istis, malum. Et alibi pluries hoc verbo Medicari sub eodem vtitur significato. Sed, vt intelligatur, quid sibi Galenus voluerit, quando dixit, quòd Hippocrates vsus est pluries verbo Medicari sub dicto significato, est sciendum, quòd Medicamentum, quod Græcè dicitur φάρμακον, est omne id, quod substantiam nostram alterat, ad differentiam alimenti, quod substantiam nostram auget, vt patet ex tertio de temperamentis, & ex primo simplicium. Medicamentum postea est in duplici differentia, quoniam vel postquam fuerit assumptum remanet, vt est assumptum, & nihil à corpore immutatur, sed permanēs vt assumptum est, corpus immutat, & corrumpit, & tale medicamētum est venenum, & sub hoc significato, qui Latiniores videri volunt, venenum Pharmacum appellant. Vel medicamentum, cum fuerit assumptum, sumit aliquam à corporis natiuo calore mutationem, & inde, in corpus, alterādo, agit; & hoc dupliciter: vel enim solum alterat, & nihil è corpore educit; & tale est, quod corpus calefacit, refrigerat, & huiusmodi alterat qualitatibus: vel non solum alterat, sed etiam aliquid è corpore educit, & huiusmodi sunt purgantia medicamēta, quæ vel vtranq; bilem, vel pituitam purgandi vim habent. Et, cum omnia hæc possit pharmacum, & medicamentum significare, notat Galenus, ꝙ Hippocrates fuit consuetus per φαρμακεύειν semper intelligere, purgante medicamento euacuare, per pharmacum enim consueuit intelligere medica-

Comm. 38. *Aph. 1.* *Aph. 10.* *Cap. 1.* *Cap. 1.*

mentum purgans. *Atque mouere.* Ampliat his verbis suam sententiã, quia in plus se habet mouere, quam purgante medicamento vti: mouemus etenim non solum per aluum, & vomitum, sed etiam per sudorem, per vrinam, & per alias regiones. & eius sententia est, φ, non solum non facta concoctione, non licet purgare, sed nec alijs modis licet mouere: medicus nanque est naturæ minister, & eam rectè operantẽ debet imitari, & natura nullam, non præcedente coctione, perfectam euacuationem aggreditur. Et hoc modo hunc Aphorismum intelligẽs Galenus quarto de tuenda valetudine, infert, φ, quando humores crudi abundant, non solum debemus abstinere ab essatu digna euacuatione, sed et ab omni motu, exercitio, & à balneo. Sed circa hanc dictionem est animaduertendum, quòd omnes expositores, quos hucusque vidi, Mouere, referunt ad non cruda. vt sit sententia, quòd oportet matura medicamento purgante euacuare, & cruda non mouere. Aliqui enim dixerunt, quòd, quamuis Hippocrates in hoc videatur superfluus, idem enim est dicere, quòd oportet purgare concocta, & quòd oportet mouere non cruda: tamen hoc fecit, quia, quod docetur, est admodum in arte necessarium: & in talibus, non piguit Hippocratem, idem bis, & ter repetere, vt habemus quinto Aphorismorum. Alij vero dixerunt, quòd hæc verba addidit, vt explicaret, quòd debent euacuari penitus concocta, adeo quòd non debet esse aliquid concoctum, & aliquid crudum, quia tunc euacuaremus concoctum, & moueremus crudum: quod esse fugiendum in istis verbis præcipit. Et ex hoc accipiunt, φ in augmento, in quo adest manifesta concoctio, & in principio vigoris, quando incipit apparere perfecta concoctio, non licet purgare: tunc enim purgarentur concocta, & mouerentur cruda: quod, iuxta hanc sententiam, facere non licet. Montanus verò satis diuerso modo locum exponit, & inquit, quòd non crudum est nomen infinitum, quia significat omnia, præter crudum: & ideo vult, quòd Hippocrates in illis verbis ampliauit sermonem, & voluit, quòd debemus mouere non cruda, id est licet euacuare, dummodo magna ex parte non vigeat cruditas: & sic, quæ sunt magna ex parte concocta, tametsi non sint perfectè concocta, possunt iuxta hanc sententiam euacuari. Villanouanus verò aliam excogitauit expositionem, & inquit, quòd oportet mouere non cruda, quia verè cruda sunt, quæ possunt concoqui, & verè assimilari, & hæc non sunt mouenda, sed concoquenda, quoniam mouere licet, quæ sunt inutilia, & non, quæ sunt apta nutrire: & sic cum cruda possint vtilia fieri, non sunt mouenda. Sed hæc omnia sunt nugæ, & ortum habuerunt ex errore manifestissimo, quia Aphorismi literam non bene legebant: Aphorismus enim, vt ex Græco codice patet, & vt ipsemet Galenus

Cap. 5.

Comm. 64.

nus legit primo de crisibus, hoc pacto legi debet, *Concocta medicari, atque mouere, non cruda, neque in principijs*, adeoquod tum verbum Medicari, tum Mouere, cadit supra dictionem Concocta; & sententia est, quod ea debemus medicari, & mouere, quæ sunt matura, & à natura euicta. cum verò declarasset, quæ sunt medicanda, & mouenda; ad maiorem claritatem subdit, quæ nec medicanda, nec mouenda sunt, dicens, *Non cruda*; quoniam hæc, cum non sint à natura euicta, nec sunt medicanda, nec mouenda, si oportet imitari, ut dictum est. Et, si aliquis diceret, si præceptum erat, vt euacuarentur concocta, ad quid oportuit subiungere, quòd non sunt euacuanda cruda; hoc enim ex dictis erat clarum, & Hippocrates, qui sæpe breuitati studuit, fuisset superfluus. Ad hoc dici posset, quòd illud addidit ad maiorem claritatem, & quòd cum non piguit, in re tanti momenti hoc etiam addere. Sed (meo iudicio) propter aliud maioris momenti illud subiunxit Hippocrates, & est, quia intendebat in hoc Aphorismo duo exhibere præcepta in arte maximè necessaria: primum est, quòd non debet fieri euacuatio, nisi præcesserit concoctio; secundum est, quod in materia turgente debet fieri euacuatio, etiam statim, & à principio, nulla expectata coctione: & ponit primum præceptum in principio Aphorismi, ex quo paulatim postea nos manuducit ad secũdum preceptum, ad exceptionem scilicet de materia turgente; & progreditur, ac si diceret, Concocta sunt medicanda, ergo non cruda; non cruda, ergo non in principijs morborum; eo enim tempore materia est cruda. Et sic, cum non debeamus euacuare cruda, nũ debemus etiam euacuare in principijs; nisi turgeat, in quo casu licet in principiis euacuare. Ideo, cum dixerit, quòd debemus euacuare concocta, subiunxit, non cruda: vt ex hoc explicaret, quòd non licet euacuare in principijs; &, hoc in medium adducto, posset exceptionem facere de materia turgente. Et non oportet immorari, ut declaremus, quid sit Crudum; quia, cum oppositorum sit eadem doctrina, quemadmodum propriè Concoctum, erat quod poterat assimilari, & nutrire: ita propriè Crudum est, quod potest verè concoqui: & sic sola pituita naturalis, & dulcis potest dici cruda, ut habemus pluribus in locis, præcipuè primo de alimentorum facultatibus, vbi loquitur de tritico. Et, sicut Concoctum generaliori uocabulo dicebatur etiam excrementum, quod erat a natura euictum; ita dicitur Crudum, quod a natura non est euictum & superatum ex secundo de ratione victus in acutis, & ex primo Epidemion. Et, quoniam prima pars Aphorismi intelligitur de coctione, quæ significat naturæ uictoriam, circa ea, quæ metaphoricè dicuntur maturari: ideo per Cruda oportet intelligere, quæ illis opponuntur, ea scilicet, quæ non sunt adhuc maturata, & euicta. *Neque in principijs.*

Comm. 44.
Comm. 2.
Comm. 45.

cipijs. Diximus in præcedentibus, quòd, iuxta Galeni ſententiam, Principium quandoque ſumitur pro primo morbi inſultu, quādoque pro primis tribus diebus, quandoque pro toto illo morbi tempore, in quo eſt *cruditas*. Villanouanus intelligit hìc per principium, primos duos dies, & hoc confirmat ex Galeno infra. Et certè miror, cum Galenus apertè dicat primo de criſibus, quòd Hippocrates in hoc Aphoriſmo per Principium intellexit totum illud morbi tempus, in quo eſt cruditas; immo inquit, quòd in hoc loco declarat, quid ſit Principium hoc modo ſumptum, & quo modo differt ab alijs morbi temporibus; quia, cum dixerit, quòd oportet medicari, & mouere concocta, & non cruda, ſubiunxit, *Neque in principijs*, vt explicaret, tūc eſſe morborum principia, quando adeſt cruditas. Sed diceret aliquis, ad quid addidit, *Neque in principijs*. ſi enim dixerat, quòd non ſunt medicanda, & mouenda cruda, & in principijs omnia ſunt cruda, ſequebatur, quòd in principiis non erat medicandum, neque mouendum. Dici poteſt, illud addidiſſe, primò, vt explicaret, quid ſit morbi principium, & ſimul, & ſemel purgans medicamentum eo tempore interdiceret: ſecundo, ut contra ſui temporis medicos aliter ſentientes, aliam, quæ ex prædicta, vt dictū eſt, ortum habet, ſententiam exprimeret: & eſt, quòd in principijs morborum, quamquam materia ſit cruda, licet purgare, quando turget: tertiò addidit, *Neque in principijs*, ad maiorem claritatem: erat enim in re admodum neceſſaria, & in his eum non piguit, idem bis, & ter repetere, ut ſupra dictum eſt: *Niſi turgeat*. In Græco codice eſt, ἢν μὴ ὀργᾷ, & ὀργᾶν, ſignificat concitari, ſtimulari, ſe continere non poſſe, & ſuopte impetu moueri, & huiuſmodi: & ideo diuerſimodè hoc uerbum interpretantur: aliqui, vt Leonicenus, Niſi turgeat: aliqui, Niſi materia ſit furioſa: aliqui, Niſi concitatiori motu moueatur. Sed, quomodocunque interpretetur, parum refert: dummodo rem ipſam intelligamus. Galenus inquit in Commento, quòd Turgere ſumptum eſt ab animalibus ad coitum incitatis, &, ſicuti ea, dum libidine quadam laſciuiunt, adeo ſtimulantur, vt non poſſint ſe continere: ſic & humores, dum motu feruntur concitatiori, & de loco ad locum mouentur in morbi principio infeſtantes, ægros quieſcere non permittunt, & iſtos humores conuenit ante coctionem, etiam in morbi principijs euacuare. Clarius idem pauciſſimis verbis expreſſit, octauo de compoſitione medicamentorum per loca: vbi inquit, Concocta medicanda, rectè cenſet Hippocrates, non cruda, neque in principijs, niſi turgeat: hoc eſt niſi motus ad excretionem fiat, qui nondum firmam aliquam inclinationem, ac ſtationem ad unam partem habeat, & in libro quos, quibus, & quando, humores inquit prurire, vel turgere dicūtur, cum, motu vehementiori agitati, &

Comm. 24. Cap. 9.

à particulis in particulas transfluentes, per morbi initia hominem molestant, dolore afficientes, irritantes, & quiescere non permittentes: tales igitur, hoc est qui in motu sunt, agitatione, & fluore, euacuare conuenit. & sexto Epidemion dicebat, quòd Hippocrates vsus fuit uerbo ὀργᾷν, idest turgere, in humoribus ad excretionem promptissimis, & ad euacuationem plurimum propensis. Et sententia est, quòd tunc tantum licet à principio purgare, quando humor peccans turget, hoc est, (vt exponunt) inordinato motu mouetur, & nullam habet sedem permanentem, ac suo motu ægrum affligit. *Plurima uerò non turgent*. Ideft, sed, vt plurimum materia non turget, quia, vt plurimum est in vno loco firmata, & non mouetur de loco ad locum, & per consequens, ut plurimũ oportet euacuare concocta, & raro debent purgari cruda, & in principijs: hoc enim facere non licet, nisi quando materia turget, & raro turget. Et ideo ex hoc Aphorismo, iuxta hanc sententiam, licet hanc distinctionem colligere: humores vel turgent, & de loco ad locum mouentur, vel sunt in vno loco firmati: si mouentur de loco ad locum, debent statim à principio purgari: si uerò sunt in vno loco firmati, debent purgari, facta maturatione, siue concoctione, & hoc est illud, quod diuinissimè dicebat Galenus quarto de ratione uictus, inquiens, Nam uel statim a principio, priusquam in aliqua parte firmentur, oportet humores euacuare, uel postquàm maturuerint: quia, quãdo firmati sunt, oportet expectare concoctionem, ut dictum est. Sed diceret aliquis, unde est, quòd in materia turgente conuenit a principio purgatio, & in alijs non conuenit? Ad hoc dici potest, quòd in materia turgente conuenit à principio purgatio, primò ob maximum periculum, quod ex humorum turgentia imminet: quia (ut habemus quinto Methodi) quando est maximum periculum in mora, non est a leuioribus incohãdum: sed statim maxima oportet aggredi remedia: nam extremis morbis, extremæ, & exquisitæ curationes optimæ sunt: cum uerò maximum ex turgente materia immineat periculum: ideo illam protulit sententiam quarto Aphorismorum: Medicari in valde acutis eadem die, tardare enim in istis, malum. Et Galenus declarat pericula, quæ ex ea imminẽt; & inquit, quòd debemus euacuare, antequam uirium robur dissoluatur: vel febris nimium augeatur: aut qui per corpus mouetur humor, repat ad partem aliquam principem: quæ omnia possunt facillimè in turgente materia accidere, tum propter morbi excitati magnitudinẽ, tum propter materiæ inordinatiorem motum. Secundo licet in materia turgente à principio purgare, quia, etsi sit cruda, tamen, si educitur, nullum sequitur incõmodum; quod erit manifestum, si animaduertuntur incõmoda, quæ in alijs, nulla præcedente concoctione, sequuntur,

Comm. 2. *Comm. 9.*

Comm. 76.

Quare licet à principio turgẽte materia purgare, & in alijs non licet.

Cap. 15.

Aphor. 10.

quia,

quia, si, materia non turgente, sed quieta, & firma, ante concoctionem euacuamus; sequuntur duo effatu digna incommoda: ultra alia multa, quæ possent aggregari: primum est, quia, si euacuamus, quo tempore natura concoquere, & non euacuare intendit, non potest felix fieri eua cuatio, quia medicamentum attrahit, & natura reluctatur, quia tunc re tinet, vt concoquat: & sic sequitur, quod dicebat Hippocrates quarto de ratione victus, vbi inquit: Quicunque autem ea, quæ inflamman- tur, statim morborum inter initia soluere conantur: hi non solum ab intensa, inflammataque particula nihil adimunt: cum non cedat, obsequaturque, quæ adhuc cruda est affectio; uerum quoque, & quę mor bo resistentia, & sana sunt absumunt, & contabefaciunt, &, ducto ad im becillitatem corpore, morbus superior euadit: & non est remedio locus. Et, quamuis videatur loqui de solis crudis inflammationibus, & non de alijs, in quibus est cruditas, tamen Galenus quarto Aphorismorum sententiam ampliauit ad omnes morbos, in quibus cruda, & firma est materia: quia, sicut in inflāmatione, vt in parte quadam circū- scriptus continetur humor, ita in alijs morbis, continetur in locis, in quibus redundat, & retinetur a natura, quæ pro tunc non intendit eū expellere, sed retinere, vt possit concoquere. Secundum incommodum est: quoniam, si euacuamus humores non turgentes ante concoctionē, non est possibile eos solos euacuare; sed oportet, vt multa fiat bonorum succorum cum illis euacuatio: tunc enim boni sunt cum malis humoribus permisti, ut haberi etiam potest ex libro de optima secta; natura enim non secernit bonos à malis, nisi facta concoctione. Hæc autem incommoda non sequuntur in materia turgente: hæc enim nec conti- netur in aliqua parte circumscripta, vt in inflammatione, nec etiam re tinetur à natura, vt concoquatur, sed est in continuo motu: & sic in eua cuatione natura non reluctabitur, sed potius, cum propter maximam humoris acrimoniam, & mordacitatem sit irritata, habebimus ipsam adminiculantem: quia iam expellere tentat; & non indiget nisi aliquo manum porrigente; & hunc humorum motum ad aluum attrahente, vt habemus quarto Aphorismorum, quia, cum humor sit tenuis, & huc, & illuc facilè moueatur, à medicamento humorem à proprietate attrahente, facilè dirigetur ad aluum: & optima poterit sequi purgatio, natura propellente, & medicamento attrahente. Et sic, in materia tur- gente, si purgamus à principio, non sequitur primum incommodum. Nec etiam sequitur secundum; quia humor turgens non est alijs permi- stus, quia permistus non posset, sic concitatiori motu moueri; mouetur autem, quia tenuis, & ab aliorum permistione segregatus: vt conuinci possit; rationabiliter statim a principio in materia turgente conuenire purga-

Tex. 22.

Comm. 1.

Cap. 39.

Comm. 1.

purgationem: etenim talis materia educi potest, absque quòd bonorũ etiam succorum fiat euacuatio: &, si fieri non posset, ut aliquid boni etiam cum hac materia à principio non educatur, adhuc debemus eo tempore purgare; quia, vltra quòd pauca quantitas bonorum succorũ educitur, cum turgẽtes humores sint ferè omnino segregati, multò maius etiam est iuuamentum, quod sequitur ex euacuatione, quàm nocumentum, quod sequi posset ex bonorum succorum, simul cum turgentibus aliquali eductione, & maximè in principijs morborum, quando virtus est valida, & potest sufferre euacuationem, etiam si cum malis aliquid boni educatur, vt habemus libro de optima secta: & ideo, si à principio, in materia turgente purgamus, non sequuntur incommoda, quæ in alijs: vt etiam licet colligere ex primo de crisibus. Cum igitur ad eius euacuationem non sequantur dicta incommoda, & imminens ex purgatione euitetur periculum, vt ex quarto Aphorismorum dictum est: erit absque dubio, in turgente materia, statim a principio purgandum, & in firma, & quieta, naturæ exemplo, est expectanda concoctio. Et, quamuis concoctio sit naturæ opus, tamen potest etiam à medico iuuari, cum, teste Aristotele quarto Meteororum, possit iuuari à modice calefacientibus; non quòd illa propriè concoquere possint, sed adiuuant, & fouent calidum innatum, quod principaliter concoquit: & ideo dicebat quinto simplicium: Mouentia pus, siue suppurantia, debent esse calida, & humida moderatè: talis enim est natiuus calor, quem debent fouere, & augere, non in qualitate, sed in quantitate, & substantia: & ideo iuuant, si cum hoc, quòd sunt calida, & humida, sint etiam emplastica; vt, poros obturando, calorem innatum diffla ri prohibeant. Quo loco, clarè innuit, quòd puris generatio, quæ est maturatio, & concoctio morbi, efficitur à calido natiuo: sed potest ab extrinseco cum his, quæ illi similia sunt, adiuuari. sed, ne extrinsecus applicata, ob calorem, quem habent aperiendo, difflationis, & caloris dissipationis sint causa; inquit, quòd illa, ultra quòd debent esse calida, & humida, debent etiam esse emplastica, hoc est debent habere in substantia aliquam lentitiem, cuius ratione poros obstruendo, difflationẽ prohibeant. Et, cum concoctio possit ab extrinseco adiuuari, Galenus quarto de ratione uictus, & primo Epidemion, & libro de constitutione artis, posuit multa, quæ adiuuando calorem concoquendi vim habent, vt cibi, fomenta, cataplasmata, frictio modica, & balneum: præcipit etiam Hippocrates quarto de ratione victus ipsam quietem, quæ re quiritur ad concoctionem. Quo ex loco colligit Galenus aliam rationem, quare, crudis existentibus humoribus, non licet euacuare; & est, quia ad concoctionem requiritur quies, & motus, ac purgatio perturbant,

Cap. 39 *Cap. 6.* *Comm. 10.* *Cap. 8.* *Comm. 44.* *Comm. 2.* *Comm. 43.* *Cap. pen.*

bāt,& sic coctionē impediunt: & ex agitatione morbus (Hippocrate te ste) magis redditur crudus. Concoctio ergo est caloris innati opus: sed, vt dictum est, potest ab extrinseco adiuuari: & hoc pacto est intelligenda Galeni sententia quinto Aphorismorum, quando inquit, quòd calor extrinsecus facit hæc omnia nonnulla concoquendo &c. non enim intellexit, quòd calor extrinsecus uerè concoquat; sed quod, fouendo, natiuum calorem coctionem adiuuet. Et, si quandoque dixit coctionē iuuari ab immodice calefacientibus, vt dicit etiam de febre, quarto, & quinto Aphorismorum, non est intelligendum, quòd illa principaliter concoquant, nec quòd foueant, & adiuuent natiuum calorem: quoniā ad hoc deseruiunt solum modicè calefacientia; sed adiuuant ad concoctionem alio modo, &; per accidens, quatenus humorem, qui ob eius crassitiem, & lentorem, erat naturæ rebellis, attenuant, & dissecant; & sic ad naturæ actiones paratum reddūt: & hoc pacto etiam febris iuuare potest, vt allegata consideranti patere potest. Cum autem concoctio fiat à natura, & iuuetur à modice calefacientibus: colligere licet, quantum vulgus medicorum aberret, qui per vocatos syropos, humorem educendum concoquere existimant: & adeo inualuit consuetudo, ut apud matronas habeatur pro inscientissimo, qui aliter dixerit, aut senserit: & medici isti, ne purgetur corpus materia existente cruda, arripiunt occasionem propinandi tres syropos: illos sufficere ad cōcoquendum existimantes. Quæ omnia sunt à ratione aliena: dictum est enim, quòd calidum natiuum concoquit, & iuuatur à modice calefacientibus, & maximè si fuerint emplastica. &, si quis discurret per vocatos syropos, inueniet eos vel alterantes calefaciendo, refrigerādo, humectando, & exiccando, vel dissecantes, uel aperientes, vel euacuātes, uel quiduis aliud potius facientes, quàm coctionem adiuuantes; præter paucissimos, vt est syropus de corticibus citri, qui, ob modicam eius, & caliditatem, & astrictionem, coctionem adiuuare, & caloris difflationem prohibere potest. Sed tales, qui per se coctionem adiuuare possint, paucissimi sunt: & dixi Per se: quia multi alij possunt coctionem adiuuare per accidens; vt, qui somnum prouocant, qui astringendo faciunt, vt pars, quæ sunt concoquenda, melius amplectatur; qui nimiam humorum caliditatem contemperant, & acrimoniam obtundunt: & isti possunt iuuare, tum reducendo partes ad suam symmetriam: & sic melius, & coctionem, & omnes alias actiones perficientes: tum etiam reducendo humorem ipsi naturæ obsequentiorem, vt dicemus etiam inferius: sed dicta omnia iuuant ad concoctionem per accidens: ut hinc patere possit, quantum aberrauerint Plusquam commentator, & sequaces, qui existimauerunt frigida concoquere, contra quos potest etiam

Loco alleg.

Comm. 22.

Comm. 57.
Comm. 70.

addi,

addi, quod dicebat Galenus tertio de ratione victus in acutis, calidum scilicet perpetuò coctioni opitulari, & conferre, frigidum verò reniti, & aduersari: diximus enim, quòd, si frigida quandoque iuuant, hoc est per accidens, coctio etenim fit per se à calore. Sed aliquis dubitaret, quia non videtur necessarium, vt in euacuatione expectemus cōcoctionem: quæ enim concoquuntur, (teste Aristotele) efficiuntur ficciora, & crassiora: quoniam, calido agente in humidum, tenuiores partes semper euaporant, & sic concoctum remanet crassius, & ficcius: quod Galenus in omnibus excrementis inductiue probat, libro de totius morbi temporibus, afferens, quòd, à principio, morbo existente crudo, excrementa sunt tenuiora; & postea per concoctionem efficiuntur crassiora: &, si hoc est verum, frustra in euacuatione facienda expectamus coctionem, quia per coctionem humores fiunt ad euacuationem inepti: dicebat enim Galenus tertio Prognosticorum, quanto humores sunt tenuiores, tanto sunt paratiores ad euacuationem: humores etenim calidiores sunt eductioni paratissimi: & ideo, si ex coctione humores redduntur crassi, frustra expectatur. Ad hæc omnia respondeo, quòd, etsi verũ sit, quòd crassiora fiunt, quæ concoquuntur; & verum etiam sit, quòd humor, ratione sui, quanto est tenuior, tanto faciliùs educitur: tamen adhuc verum est, quòd humores, antequam educantur, debent concoqui: oportet enim imitari naturam, quæ concocta, & secreta materia, euacuat; & tunc medicus habet naturam adminiculantem; &, si ante coctionem euacuat, sequuntur, quæ prius dicta sunt incommoda: natura namque euacuationi reluctabitur, & simul cum malis boni humores educentur, & ideo fœlix, ac bona non potest succedere euacuatio. Vt ergo dicta incommoda euitentur, oportet expectare coctionem, in qua, etsi concocta reddantur crassiora, tamen crassities illa non est multa: &, cum proueniat vi caloris natiui, non reddit humorem ad expulsionem ineptum: &, si quodammodo noceret, maius, immò multo maius est cōmodum, quod sequitur: ex quo habemus tunc naturam adminiculantem, & manum porrigentem, quàm sit incommodum: si incommodũ dici potest, quod sequi potest ad crassitiem in coctione acquisitam. Sed in hoc etiam est notandum, quòd crassities in humore fieri potest, tum ex immodico calore, tum ex immodica friditate, vt habemus secundo Prognosticorum. & non est dubitandum, vtranque nocere ad euacuationem: sed, quæ acquiritur in concoctione, non fit à calore immodico, sed moderato, & mediocri: & ideo mediocris etiam sequitur crassities, & quæ expulsioni non admodum repugnat. Quocirca, iuxta Hippocratis sententiam, debemus materiam sic crassam euacuare: oportet enim medicari concocta, & non cruda. Est etiam circa dicta notandum,

Comm. 29.

Quare expectanda concoctio, si ex ea humores redduntur crassiores.

Cap. 4.

Comm. 23.

Comm. 38.

dum,

dum, quòd, quamuis vera sit Aristotelis, & Galeni sententia, quòd ea, quæ concoquuntur, efficiuntur crassiora; tamen, nisi benè animaduertatur, in hoc contingunt errores; cum contrarium appareat in fructuũ maturatione; qui, quando sunt acerbi, sunt crassæ, & lignosæ substantiæ: &, cum maturantur, fiunt tenuiores; concreta etiam, quando concoquuntur, fiunt tenuiora, vt apparet in melle, & similibus: vinum, & mustum per coctionem efficitur etiam tenuius, vt alicui ex his persuaderi possit contra dictorum auctorum placita, quòd aliqua per coctionem efficiuntur tenuiora. Sed, si benè aduertitur, semper concoctio procedit incrassando; &, si in fructuum maturatione acquiritur aliqua tenuitas, est, quia calidum natiuum plantæ, attrahit semper nouum humorem, & illum cum substantia fructus lignosa permiscet, & sicca, &, quod resultat ex vtriusque permistione, redditur tenuius. Hac etiam ratione chilus in ventriculo ex potus, cum cibo permistione, est assumpto alimento tenuior. accidit hoc & ob aliam causam, quia, iuxta Galeni sententiam, in libro de optima secta, antequam fiat in ventriculo ciborum concoctio, efficitur ipsorum fusio, & (vt ita dicam) attritio quædam, & ciborum eliquatio, quæ differt à concoctione: hæc enim incipit facta eliquatione. Hoc idem accidit in concretis, vt in melle, quod prius eliquatur, deinde concoquitur, & facta eliquatione concoctio semper procedit incrassando: & hac ratione humores crassi, & lenti, ad hoc vt possint concoqui, sunt attenuandi, & incidendi: &, ipsis attenuatis, & incisis, in concoctione postea natura semper reddit illos quodammodo crassiores. Sanguis etiam est chilo tenuior: sed hoc euenit, quia in chili distributione fit, vt in vino musto, quod per crassarum partium à tenuibus separationem, & non per concoctionem, redditur tenuius: residet enim fex in fundo: vnde est, quòd illud, quod remanet, facta residentia, quanto postea est vetustius, tanto, ex calidi concoctione, redditur crassius. Sanguis similiter est chilo tenuior, tum propter ipsarum fecũ separationem, tum propter separationem sanguinis crassi, feculenti, & melancholici. Et hæc omnia debent referri ad calorem, qui est aptus natus separare etherogenea, & congregare homogenea: sed hęc nõ pertinent ad concoctionem, quæ est actio ab illis distincta. Sed aliquis dubitabit de humore bilioso, an ante euacuationem cõcoctione indigeat; cum sit tenuis, & eductioni paratus; & Galenus præcipit libro quos, quibus, & quãdo, quòd humores tenues sunt statim circa morborum initia educendi: & in crassis, & lentis est expectanda concoctio. Præterea bilis est uerè excrementum, & non potest verti in substantiam aliti; & per consequens frustra tentamus illam concoquere. Ad hæc dicimus, quòd, quamuis nec bilis, nec pituita salsa, & atra bilis possint ve-

An omnis concoctio incrassando procedat.

Cap. 4.

An bilis cõcoctione indigeat.

rè concoqui, quia non possunt verè assimilari; tamen possunt concoqui modo, quo supra dictum est; sumendo communiori modo concoctionem, vt sit idem, quod morbi maturatio, & naturæ victoria; quia noxios humores, quantum potest, assimilant, vincit, ac superat: &, dum hoc facit, eos retinet, & assimilat, ratione affinitatis, quam cum partibus habent, non quòd illi humores assimilari omnino possint; sed quia sunt vtilibus permisti; natura agendo in ea, quæ sunt vtilia simul, & semel in humores illos agit; & tandem, omnino assimilatis vtilibus, alia tanquam inutilia expellit. Et, de hac concoctione loquendo, dicimus, quòd in bile est expectanda concoctio, quando morbos peracutos non excitat, & huc, & illuc non vagatur; sed est firma in aliquo loco, & quie ta: quia, quamuis sit tenuis, & hac ratione ad euacuationem parata; tamen, quòd hæc etiam indigeat concoctione, habemus apud Galenum primo Epidemion, vbi asserebat, ex libri Præsagiorũ, didicimus, tenues omnes esse crudos, & vt concoquantur, robustam desiderare naturam: &, quamuis de omnibus tenuibus humoribus sententia possit intelligi, tamen ibi principaliter loquitur de bile. Et sic non valet, est excrementum tenue, ergo potest à principio euacuari: cum etiam tenuia cõcoqui debeant, immo, vt concoquantur, robustiorem desiderent naturam, quàm alia: &, quamuis contrarium videatur asserere libro quos, quibus, & quando; vbi ait, quòd tenues humores sunt statim circa principia euacuandi; tamen aliqui dicunt, quòd litera est corrupta: &, vbi ait; quòd sunt euacuandi circa initia morbi, debet legi antè initia morbi; ut intelligenda sit sententia de præseruatione, non de curatione. Vel, & melius, dici potest, quòd non loquitur de omnibus tenuibus, sed solum de his, qui sunt in continuo motu, & turgent, ac furiunt. quod potest persuaderi ex eo; quòd paulo post in eodem libro adducit hunc Aphorismum, & in eius expositione expresè fatetur, quòd non licet purgare in principio morbi, nisi materia sit concitata, & ab vno loco ad alium confluat; adducens etiam in testimonium Aphorismum uigesimumquartum: &, nisi Galenus eandem sententiam afferret primo de humoribus, liceret etiam dicere, quòd liber ille non est Galeni, sed Oribasij. Quocirca, stando in his, quæ sunt prius declarata, & ut saluemus adductam sententiam, dici potest, quòd, ut benè aliqui senserunt, loquitur de illis humoribus tenuibus, qui turgent: quia in alijs non sufficit solum considerare tenuitatem, & crassitiem: cum ad hoc, ut bona sequatur euacuatio, non requiratur solum actio medicamenti attrahentis, & tenuitas, ac promptitudo humoris attrahendi; sed etiam, vt humor sit ab alijs secretus, & per consequens à natura concoctus, & euictus. Sic enim habebimus naturam

Comm. 1.
Comm. 24.

Comm. 2. Lib. 1.

adminiculantem, & manum porrigentem : quia, facta concoctione, & secretione, solet euacuare: & euacuatio sequitur optima, quando fit medicamento attrahente, & natura expellente, vt in Commento Galenus asserit. Vt iam concludere liceat, quod tum in bile, tum in alijs humoribus, quando sunt in aliqua parte firmati, oportet ante purgationem expectare coctionem: quia, etsi humores per eam reddantur quodammodo crassiores, tunc tamen concurrunt aliæ condiciones, in euacuatione summopere necessariæ. Sed, cum multi, inter probatissimos medicos, inter quos fuit Auicenna, aliter de concoctione senserint, turpiter cum concoctione, alterationem, & præparationem confundentes: dixit enim Arabum princeps, quòd digestio (vt eius verbis vtar) est subtilium incrassatio, & crassorum attenuatio: & hæc adinuicem distinguere, & eorum naturam bene dignoscere, multum confert ad artem medicam: ideo, vt nihil desideretur, aliqua etiam de alteratione, & præparatione dicamus. Alteratio quandoque apud Galenum adeò largè sumitur, vt etiam concoctionem includat; immò concoctio definitur per alterationem; & facultas concoctrix, alteratrix ab ipso multoties nominatur. Includit etiam omnium medicamentorum actionem; siue sint deleteria, siue sint purgantia, siue quomodocunque alterantia: immo primo simplicium, & tertio de temperamentis, inquit, quòd in hoc differt alimentum à medicamento; quia medicamentum alterat; alimentum verò auget caloris innati substantiam. Quando verò sumitur alteratio magis propriè, pro mutatione solum in qualitate: quo modo dicebat Aristoteles, quòd est mutatio in qualitate, & generatio secundum quid: quia in ea solum in accidentibus mutatio fit, & non in substantia: & hoc pacto Galenus accipit, quando inquit, morbos in intemperie curari per alterationem, factam per contrarias qualitates. Sed pro nunc non est loquendum de istis: sed videndum, vtrum, respectu causæ morbificæ, conueniat quandoque alteratio, & quando conuenit, & quomodo fieri debeat. Notandum est autem, quòd de causa morbi possumus loqui, uel antequam morbum generare cœperit, vel morbo incepto, & introducto: si adhuc morbus non est genitus, habemus libro de constitutione artis, quòd debemus ipsam euacuare, vel, si speratur, quòd possit ad naturalem habitum reduci, oportet, ipsam per contrarias qualitates alterare, quæ crassa sunt attenuando, & quæ tenuia sunt incrassando. Quibus verbis deceptus Auicennas, dixit, quòd digestio est subtilium incrassatio, & crassorum attenuatio: nō animaduertens, quòd, vltra quòd Galenus eo loco loquitur de humoribus, qui possunt ad naturalem habitum redire, non loquitur de concoctione, sed de alteratione: vt ex his, quæ subiungit, patere potest. cum enim dixerit,

Alteratio quid.

Cap. 1.
Cap. 2.

Cap. pen.

xerit, quòd oportet crassa attenuare, & tenuia incrassare, subiungit, vtraque verò sunt concoquenda: per hoc manifestans, concoctionem esse ab incrassatione, & attenuatione distinctam. Si vero morbus est introductus, dicimus, quòd causæ morbificæ alteratio, potest multis nominibus conuenire: & primò, ut natura eam citius superare possit, quia, quando humor est admodum feruens, tenuis, acris, & mordax, exhibendo refrigerantia, & humectantia, redditur frigidior, crassior, & obtusior; & sic naturæ actionibus obsequentior, & magis paratus. Et hac ratione dicebat Trallianus, quòd, antequam bilis purgetur, oportet adhibere refrigerantia, & humectantia, vt ipsa dometur: quoniam, nisi fuerit domita, non potest facilè euacuari, cum non fuerit prius ob sui acrimoniam, & tenuitatem à natura euicta. Propter hoc etiam Actuarius in febribus ardentibus, ante euacuationem, vtitur Zulapijs, & dicere possumus, quòd hæc iuuant etiam ex parte naturæ, reddendo ipsam robustiorem: quia, cum in febre ardente ob calorem immodicum sit redacta imbecilla: omnis namque intemperies operationem exoluit: frigida, calorem temperando, reddunt naturam robustiorem: & ideo dicebat Galenus nono Methodi: ex frigidę potione, robustior facta natura, prętenuatos humores aggreditur, atque ad nutriendum habiles, hos quidem ad se trahit, inutiles verò per uentrem, vel per cutim expellit, & sic in febre ardente alterantia iuuabunt, tum quia humores calidos infrigidant, tenues quodammodo incrassant, acres, & mordaces obtundunt, & illos naturæ actionibus reddunt obsequentiores: tum etiam, quia intemperiem oppugnantes, naturam quodammodo roborant, & sic tum coctionem, tum excretionem accelerant: alteratio enim est, quid à concoctione distinctum. Præparatio vero includitur sub alteratione; sed, si particulatim, & ab alteratione distinctam volumus ipsam considerare, nihil aliud erit, nisi dispositio illa, quæ fit in corpore, quando ex imparato ad purgationem, paratum facimus; vt testatur Galenus infra: & hæc cōsistit primo circa præparationem humorum, secundo circa præparationem uiarum, per quas debet fieri euacuatio. Quo ad humores, non consistit in alio, nisi quòd, quando humores sunt crassi, debent attenuari; &, quando sunt lenti, debent incidi: oportet enim humores educendos esse tenues, &, quàm maximè fieri potest, fluxui paratos: ut habemus loco allegato, & secundo Aphorismorum. Sed est animaduertendum, quòd hæc pręparatio non semper est ratione illorum humorum, quos medicus intendit principaliter euacuare: sed multoties est respectu humorum, qui sunt in vijs, per quas fieri debet euacuatio, & sua

Cap. 5.

Præparatio quid.

Comm. 24.

Comm. 9.

crassitie, vel lentore, eas obstruendo, euacuationem impediunt: & de his asserebat quarto de tuenda valetudine, quod, quando humores crassi, & viscidi abundant in primis venis, non oportet vti purgante medicamento: quoniam tales humores sunt inepti ad euacuationem, & sunt impedimento, ne alij possint euacuari: & sic sequuntur tormina, uertigines, pulsuum deperditiones, &c. quia humor, à venis educendus, oportet vt per uenas mesenterij ad intestina trahatur, & uentriculum, & inde expellatur. Quòd si in illis venis abundat crassus, & lentus humor, medicus debet ab euacuatione abstinere; quia non solum humor ille non est aptus educi, sed est impedimento, ne alij possint euacuari. Ideo, hoc stante, debet corpus prius præparari, incidendo, & attenuando tales humores, deinde debet fieri euacuatio: & hoc pacto debet intelligi, quod in sequentibus Galenus dicit, vt eo loco explicabimus, & dicto modo est facienda præparatio respectu ipsorum humorum. Et, si aliquis quæreret, utrum hæc præparatio sit necessaria in qualibet euacuatione. Dicerem, quòd non: quia, quando humor, qui debet euacuari non est crassus, & tenax, nec etiam crassus humor, & tenax impedit vias, per quas facienda est euacuatio, medicus, si cætera permiserint, nulla facta tali præparatione, potest, & debet euacuare: & ideo, si in vijs non adest ex crassis, & lentis humoribus impedimentum, bilis non indiget tali præparatione. Præparatio verò, quæ attenditur penes uias, nihil aliud est, nisi quòd sunt reddendi fluxiles meatus, per quos fieri debet euacuatio: nisi enim meatus illi sint liberi, nulla poterit fieri euacuatio: adeò quòd, si cum febre ardente adest maxima alui siccitas, ita vt feces excerni non possint; & quando cum difficultate excernuntur, sunt admodum siccæ, & duræ, non debet purgans exhiberi medicamentum, nisi præparentur prius intestina, ita, ut reddantur fluida: & hac ratione medici vtuntur clysterijs, leniendi vim habentibus: & multis in locis hac etiam ratione exhiberi solet bolus pulpæ cassiæ. Et in hoc est animaduertendum, quòd, quando Galenus præcipit, quod ante euacuationem debemus aperire meatus, intelligit solum de illis meatibus, per quos debet fieri euacuatio: si enim intelligeret de omnibus meatibus, sibi manifestè contradiceret: quia apertio debet ad euacuationem subsequi, & non pręcedere, ut in febre putrida, quę subsequitur ad obstructionem: & nos prius euacuamus, deinde ad aperientia deuenimus: sed, si in purgatione facienda adest in intestinis impedimentum, per quæ facienda est euacuatio; si illa sunt obstructa, non debet corpus purgari, nisi prius intestina

Cap. 5.

inteſtina fluida redacta fuerint : & hoc apertè innuit Galenus ſecundo Aphoriſmorum, & multò apertius vndecimo Methodi, vbi aſſerit, quòd in purgatione debemus reddere fluxilia inteſtina; in prouocatione vrinæ debemus aperire meatus vrinæ deſtinatos: ſic & in alijs euacuationibus debemus præparare meatus, per quos facienda eſt euacuatio. Et, ſi aliquis quæreret, ſi hæc præparatio eſt neceſſaria in bilis purgatione. Dicerem, quòd eſt neceſſariſſima, quando viæ ſunt obſtructæ, non quòd bilis fecerit obſtructionem, vt multi exiſtimant, ſed quia viæ, per quas bilis debet purgari, ſunt, vel ex fecibus duris, vel ex flatu, vel ex qualibet alia cauſa impeditæ. Et hæc de præparatione dicta ſufficiant. Ex quibus patet, eam multum à concoctione differre; & poſſe effici à medico per incidentia, attenuantia, & aperientia; cum concoctio ſit opus ipſius naturæ, vt ſuperius dictum eſt. Sed, antequam ad alium Aphoriſmum accedamus, rationi conſonum eſt, aliquid in medium afferre, de quæſtione admodum famoſa, quæ ſolet hoc in loco examinari; an ſcilicet in morborum principijs, etiam ſi non turgeat materia, liceat quandoque purgare. & ratio difficultatis eſt, quia, quamuis Hippocrates præcipiat, vt circa principia non purgemus, niſi materia turgeat, hoc eſt (vt communiter exponunt) niſi moueatur de loco ad locum, & ſedem permanentem non habeat: tamen quotidiana experientia eſt in contrarium: quia noſtri temporis medici purgant, & fœliciter in morborum principijs, non ſolum in materia turgẽte, ſed in multis alijs caſibus: & rationes, & auctoritates, quibus talis conſuetudo tueri poſſit, non deficiunt. Sed, cum multa de his ſint exquiſitè pertractata à præceptore noſtro Altimaro in ſuo libello de alteratione, præparatione, & concoctione, & à Manardo libro decimotertio ſuarum Epiſtolarum: ideo, ad illos auctores lectores relegantes, circa præpoſitam quæſtionem ea tantum conſiderabimus, quæ tum ad veram Hippocratis, & Galeni mentem intelligendam, tum ad artem particulariter exercendam maximè vtilia videbuntur. Et, quoniam, qui tenẽt, multoties, etiã ſi materia non turgeat, à principio conuenire purgationem; hoc confirmant ex illo Aphoriſmo ſecundi libri, Cum morbi incohant, ſiquid tibi videtur mouendum, moue. Et, qui tenent oppoſitum, & tuentur, quòd non licet purgare à principio, niſi materia turgeat; inquiunt; quòd Aphoriſmus ille non præcipit quid diuerſum ab hoc; quia intelligitur de materia turgente: ideo, antequam aliquid de prædicta quæſtione dicamus, quid Hippocrates in illo Aphoriſmo præcipiat, explicare intendimus; & ſi ab hoc differt, & quo modo. Præcipit eo loco Hippocrates, quòd medicus in principijs morborum debet mouere, ſi quid eſt mouendum: quia, ſuperueniente morbi vigore, melius eſt

Comm. 9.
Cap. 19.

An non turgante materia ſit ĩ principio purgandum.

Epiſt. 1.

Aphor. 29.

quiescere. Et circa eius expositionem aliqui dicunt, quòd præcipit, vt moueamus in principiis morborum, siquid est mouendum; hoc est, si materia turget, in qua, esse à principio mouendum, in hoc Aphorismo præceperat: asserunt enim, quòd Aphorismus ille debet intelligi de materia turgente, & non de alia. Alij verò dixerunt, quòd Aphorismus ille est vniuersalis; sed intelligitur de sanguinis missione in alijs morbis: de purgatione verò in materia turgente: inquit enim Galenus in Commento, quòd, in quibus speratur salus, debemus a principio maxima adhibere remedia: hæc vero sunt maximè, sanguinis missio: nonnunquam verò & purgatio: hinc dicunt, quòd per hæc Galenus uoluit, quòd Aphorismus maximè verificatur de sanguinis missione; nonnunquam verò, idest quando materia turget, de purgatione. Sed, meo iudicio, vtraque expositio a uero aberrat: quia, quæ tenet, quòd sit solum de materia turgente, est erronea, & falsa, propter multas causas. Primò, quia Hippocrates esset superfluus: si enim hìc præcipit, quòd in materia turgente debemus purgare à principio, ad quid oportuit addere illum Aphorismum? Secundo, Si ibi locutus esset in materia turgente, aliquam fecisset de turgentia mentionem: &, si Hippocrates tacuit, aliquid ad minus dixisset Galenus; vt fecit infra in Aphorismo vigesimoquarto: quem exposuit de materia turgente: quam quàm Hippocrates non fecerit de turgentia mentionem. Tertiò, si Aphorismus esset intelligendus de materia turgente, non esset uera Galeni sententia in Commento; quando inquit: Debemus circa principia euacuare, quo minorem iam factam materiam facilius possit natura concoquere: quia materia turgens non debet minorari: sed, si est possibile, debet eradicari: nam, etiamsi fuerit minorata, excretione, non concoctione indiget, cum sit semper in motu; &, quæ concoqui debent, oportet, vt quiescant. Quartò, in materia turgente debemus omnino circa principia euacuare: tardare enim in his malum: vt habemus quarto Aphorismorum: & ideo, si in illo Aphorismo locutus esset de materia turgente, non pronunciasset condicionate: Si quid tibi videtur mouendum, moue. Quintò, secunda pars Aphorismi non esset tuta: materia enim turgens non solum in principio, sed quolibet alio tempore debet euacuari; cum tardare sit malum: & maximè, quia, si sumus in alio tempore à principio, vel fit coctio, vel non: si fit coctio, non est materia turgens: hæc enim huc, illuc mouetur, &, cum non sit firma, non potest concoqui: si verò non concoquitur, indifferéter quolibet tempore est euacuanda, propter multa, & maxima pericula, quæ impendent. Nec etiam est uera alia positio, quæ asserebat, quòd Aphorismus intelligitur vniuersaliter de sanguinis missione, de purgatione

ne

ne verò solum in materia turgente: potest enim eisdem medijs impugnari: Sed, ne remaneat dubitationi locus, ad hanc positionem abolendam, addi potest Galeni sententia libro de optima secta: vbi Aphorismum illum exponit: & inquit: Non morbi initium propositum sibi faciens, tunc admouenda esse præsidia præcepit, sed quòd ab initio nondum vires infirmas esse, significatur, posseque eas inanitionem ferre, conijcitur. At morbi summus impetus, facultatis imbecillitatem manifestat. Et parum infra: Verum, si innoxiè omnino adhiberi posset remedium, id planè fieret: at non ita se habet: siquidem remedia, cùm in primis omnia præter naturam sint, necessario, & facultatem adhibita uexant. Secundò, cum morbosis causis naturalia permista sint, in recidendis causis, nihilominus bonorum, quàm uitiosorum, fit detractio. Et statim postea: Ipsa namque per se auxilia causas extirpare nequeunt: sed naturæ adminiculum requirunt. Ex quibus patet, quòd Galenus Aphorismum exponit de purgatione: quamuis possit etiam ampliari ad sanguinis missionem: vt ex Commento illius Aphorismi haberi potest. Patet etiam, quòd non intelligitur de sola materia turgente: quoniam non ideo esse purgandum à principio præcepit, quia materia est in motu, & potest habere raptum ad membrum princeps, & alia causari incommoda, posita de materia turgente quarto Aphorismorum: sed ob hoc, quia facultas est valida: in principio enim non est adhuc a morbo fatigata. Præterea inquit, quòd, cum non sit facta secretio, non minus bonorum, quàm vitiosorum fit excretio: quæ nullo pacto intelligi possunt de materia turgente: quia, cum hæc moueatur de loco ad locum, est segregata; & in eius excretione, semper habemus naturam adminiculantem: vltra quòd ex se est excretioni paratissima: & natura, ab eius acrimonia irritata, est intenta ad eius expulsionem, non concoctionem. Et sic non est uerum, quòd in eo Aphorismo intendat loqui solum de purgatione materiæ turgentis; sed uidetur ampliasse sermonem; asserens, quòd non solum in illa, sed etiam in alijs casibus, in quibus eadem impendent pericula, licet à principio purgare. & ideo dixit: Si quid tibi uidetur mouendum, moue. &, quando à principio purgare liceat, infra declarabimus. Sed ex dictis licet colligere, quòd, nisi coacti simus, debemus à purgatione abstinere, dum boni succi sunt simul cum malis permisti: & sic nec in principio, nec in augmento, nec in principio uigoris purgare licet, sed facta concoctione, & secretione: tunc etenim solet natura euacuare. Sed aliquis diceret, si hoc esset uerum, purgatio nunquam conueniret: quia, si conueniret, hoc esset in declinatione: sed in ipsa non oportet purgare: quia natura uicit morbum, & in declinatione non

Cap.

Comm. 10.

oportet purgare: quia natura vicit morbum, & in declinatione non moritur æger, vt habemus tertio de crisibus. Ad hæc dicimus, quòd medicus *debet* purgare, quo tempore natura solet, & non euacuat; & ideo *debet* purgare in fine vigoris, vel in principio declinationis: &, quamuis verum sit, quòd natura vicit in concoquendo, hoc tamen non sufficit ad curationem; sed est etiam necessarium, vt morbifica causa expellatur: & natura ad hoc faciendum est pigra: ideo oportet arte supplere, in quo natura deficit: & maximè, quia quandoque natura est adeo fatigata, vt nullo pacto nec perfectè, nec imperfectè iudicet morbos: nullo enim pacto euacuationem aggreditur, & tunc indiget artis auxilio, quæ eo tempore debet euacuare, quando natura debuisset hoc facere, & non potuit, vt habetur ex libro de venæ sectione contra Erasistratum. Et, quamuis verum etiam sit, quòd in declinatione non moritur æger ratione morbi, in quo est in declinatione; tamen, nisi materia retenta educatur, vel fiet recidiua, quæ enim relinquuntur in morbi*s*, recidiuam facere consueuerunt; vel alium excitabit morbum; vt in abscessus suppuratione accidit, in quo natura generat pus in vigore; quia, dum pus conficitur, dolores, & febres magis fiunt, quàm iam confecto: & sic, confecto pure, est declinatio; & tamen oportet educere pus, aliter acredine, & mordacitate, quàm ob præter naturam calorem acquisiuit; potest erodendo sæuissima causari symptomata, & quandoque etiam mortem: vt sæpe quotidiana experientia comprobatur. Ideo, antequam hæc succedant, in fine vigoris, vel declinationis principio concoctam, & secretam materiam debemus euacuare. Et, si aliquis quæreret. Si ob vrgentiam est ante concoctionem purgandum; quando est tutius purgare in principio, vel in augmento, an potius in principio vigoris? Et multi probatissimi viri, inter quos est Fernelius, Montanus, & Cenomanus, qui est Aphorismos interpretatus, dixerunt, quod semper melius est eligere tempus, in quo natura morbificam causam magis vicit, & superauit: &, cum in augmento coctio fit manifesta, melius erit (eorum sententia) tunc, quàm in principio, purgare; & in vigore melius, quàm in augmento; tunc enim apparent signa coctionis perfectæ: & subiungit Cenomanus; Si aliter Hippocrates secundo Aphorismorum præcepit, illud fecit ratione vehementiæ symptomatum, quæ in uigore sunt maxima. Sed, salua pace tantorum virorum, eorum positio est omnino contra Galeni, & Hippocratis placita. Hippocrates enim inquit, quòd, dum consistit morbus, quietem habere melius est: & Galenus in libro de optima secta, inquit, quòd in vigore non debemus euacuare, ob virium imbecillitatem. Sed ad rectè intelligendam Galeni senten-

tiam,

riam, est memoriæ reuocandum, quòd debemus medicari concocta, propter duas causas: prima erat, quia, facta concoctione, natura expellit, & sic eo tempore habemus naturam adminiculantem. Secunda erat, quia, facta concoctione, fit secretio bonorum succorum à malis: & ideo mali humores secreti tunc possunt facilius euacuari. Quibus habitis, est sciendum, quòd ob easdem causas nec licet purgare in augmento, nec in principio vigoris: natura enim non attendit ad secretionem, nisi perfecta coctione; & ideo tum in principio, in quo est cruditas; tum in augmento, in quo est manifesta concoctio; tum etiam in principio vigoris, in quo est perfecta, & perficitur magis coctio, humores boni sunt cum malis permisti, & natura eos retinet, vt, quantum fieri potest, assimilet; quod patet ex libro de optima secta, vbi ait, quòd in morbi consistentia oportet quiescere: quoniam naturalia morbosis causis sunt permista; & sic in illis decidendis non minus bonorum, quàm vitiosorum, detractio fit. Eadem ratione, in duobus præcedentibus temporibus bona, & perfecta purgatio fieri non potest: quia vsque ad secretionem mali humores sunt cum bonis permisti. Et, si bene aduertimus, ex illo loco habemus, quòd, quamuis humores in tribus illis temporibus sint permisti, tamen minus nocuum est euacuare in principio, quàm in augmento, & vigore; quia tunc, vltra quòd natura non est adeo occupata circa concoctionem, est etiam multo fortior, quàm in augmento, & vigore: in principijs enim symptomata omnia, quæ vires dissoluunt, sunt multo minora, quàm in alijs temporibus: & ideo dicebat Hippocrates, circa initia, & fines omnia imbecilliora. Et ideo, cum adsit eo tempore virium robur, quod potest euacuationem impedire, & ab ea non reclamat, cum adsit etiam causa morbifica, quæ euacuationem indicat, licet in aliquibus casibus euacuare. etsi nanque, non facta prius concoctione, & secretione, educantur boni humores simul cum malis; tamen natura tunc est valida, & optimè resistit, etiam si bona simul cũ malis educantur, vt eodem loco Galenus asserit. Et ideo ex eius sententia concludere licet, quòd tutius est purgare in principio, quàm in augmento, & principio vigoris. Sed, expeditis his, videamus, quo modo debeat intelligi præpositus Aphorismus, & in quibus casibus verificetur. Manardus, Altimarus, & multi alij fuerunt huius sentẽtiæ, quòd Aphorismus ille verificatur tum de materia venenosa, tum de materia multa, tum etiam de materia, quæ mouetur ad membrum princeps, etiam si fuerit crassa, & lenta. Hæc omnia multis, & pulcherrimis rationibus, & auctoritatibus corroborant, ita, vt posteà concludant, quòd, quãuis, iuxta huius Aphorismi sententiam, solum in materia turgente, quæ mouetur de loco ad locum, purgare liceat à principio: tamen ex Aphorismo

Loco alleg.

2. Aph. 30.

Aph. 29.

mo illo secundi libri,& multis alijs tum Hippocratis, tum Galeni locis, hoc debet, & potest ampliari ad omnes prædictos casus, in quibus à principio purgare licet; & maximè nostris temporibus, cum habeamus multa medicamenta benignissima, quibus antiqui carebant. Et, vt verum fatear, quæ isti determinant, sunt verissima, maximè si, vt dicemus, fuerint limitata: sed mihi non placent, in quantum præsupponūt præpositos casus non fuisse ab Hippocrate inclusos, sub Canone assignato in hoc Aphorismo; & sic tacitè Hippocratem,& Galenum reprehendunt, cum eorum Canones ad multa intendant ampliare, ad quæ ipsi non ampliarunt. Sed nos prius cum illis multis medijs demonstrabimus, qualiter, stando in Hippocratis,& Galeni doctrina, licet in illis casibus à principio purgare. Deinde, quidquid ipsi dicant, explicabimus, quòd omnes illi casus includuntur sub exceptione data ab Hippocrate in hoc Aphorismo de materia turgente: quia, quando dixit, Nisi turgeat, voluit innuere omnia prædicta. Sed iam declaremus, quo modo in illis casibus conuenit à principio purgatio; & primò in materia multa. Est autem sciendum, quòd, quando materia est multa, ita, vt minimè possit à natura euinci, sed quasi grauata à multitudine opprimitur, & ferè suffocatur, tunc incohantibus morbis, debemus mouere, secando venam, si sanguis redundauerit, vel aliquis alius humor cum sanguine: &, si est cacochimia, & redundantia prauorum succorum, purgās medicamentum exhibendo: sed tunc ex purgatione minimè sperari potest omnimoda morbi curatio: quia, ad hoc, vt curatio sit perfecta in hac materia, quæ non est (vt ea, quæ turget) ab alijs segregata, oportet, vt natura prius concoquat,& secernat; deinde fiat euacuatio: & ideo, si purgamus à principio, cum nec concoctio, nec secretio sit facta; est impossibile, vt optima,& exquisita succedat euacuatio: sed, quando coacti purgamus, hoc facimus, vt materia minorata facilius possit, quod reliquum est, natura euincere: & hinc est, quòd citius postea fiunt coctiones: & sic, in illo Aphorismo, dat quasi complementum huius Aphorismi. Quoniam, si concocta sunt medicanda, vt perfecta fiat euacuatio,& in materia multa, ob multitudinem naturam opprimentem, concoctio fieri non possit, debemus à principio, materiam minorando, naturam exonerare, vt minorem redactam materiam possit concoquere; &, concoctione facta, vel natura perfectè morbum iudicabit; vel nos, purgante medicamento, naturæ opitulabimur: & sic fiet totius morbificæ causæ sublatio. Et, si quis diceret, hoc non respondere Aphorismo, in quo exceptuauit solam materiam turgentem, & sic in omnibus alijs præcepit expectare coctionem. Ad hoc dicimus, quòd Hippocrates, per Materiam turgentem, intellexit etiam materiam multam, quando

Propria positio.

excitat

excitat morbos valde acutos: vt dicemus. Et, si instaret à Galenus exponit materiam turgentem solum de ea, quæ mouetur de loco ad locum. Respondemus, quòd, quamuis, iuxta Galeni sententiam, vt infra dicemus, præcipuum significatum turgentiæ sit de materia, quæ mouetur de loco ad locum; tamen includit etiam alias materias, quando morbos germinant valde acutos. &, cum Turgere præcipuè dicatur de materia, quæ mouetur de loco ad locum, de illa etiam præcipuè verificatur exceptio: vltra enim, quòd semper in materia, quæ mouetur de loco ad locum, purgare licet in principio, adest etiam aliud: quia solum in illa materia licet à principio purgare, adeo fœliciter, vt tota morbi causa educatur, &, nulla coctione præcedente, curetur morbus: est enim segregata, & ad euacuationem paratissima; & natura, ab eius acrimonia irritata, est intenta ad expulsionem, non concoctionem. Quando verò in materia multa, purgans à principio exhibetur medicamētum, totius morbi causæ eductio fieri non potest; sed, minoratione facta, oportet coctionem, & naturæ victoriam procurare; qua habita, si natura ad expellendum fuerit pigra, sumus coacti in principio declinationis, vel in fine vigoris iterum purgare. Hac ratione, verificatur, quòd solum in materia, quæ de loco ad locū mouetur, licet à principio morbi causam omnino per purgationem auferre, & per consequens omnino morbum curare. In alijs verò perfecta curatio succedere non potest, nisi concoctio præcedat. Quòd verò, quando materia multa excitat morbos valde acutos, debeat corpus à principio purgari, hoc modo conuincitur: non potest fieri concoctio, nisi natura superet causam morbificam; sed in materia multa natura grauatur, & opprimitur à multitudine; ergo vel oportet expectare, quod nunquam veniet, vel oportet, materiam minorando, naturam exonerare; & hoc non licet facere per inediam, & alia huiusmodi: morbi enim magnitudo vrget, & præsentaneum requirit remedium; & sic medicus est coactus, effatu digna vti euacuatione; nec sufficit sanguinem mittere, quando est redundantia prauorum succorum: ergo debemus à principio purgare; quia Hippocrates præcipit, vt coctionem expectemus, in quibus expectari potest: aliter præciperet impossibilia. Ideo, vt fieri possit concoctio, cum incohant morbi, quādo materia est multa, & morbum excitat acutum, debemus à principio purgare, materiam minorando: vt, quod remanet, possit à natura concoqui, & euinci. Hoc confirmat Manardus, hac ratione: si, stante sanguinis multitudine, Hippocrates præcipit, quòd statim bonum habitū soluere expedit, & tamen humor, qui redundat, est cōueniens partium alimentum, & naturæ familiare; quanto rationabilius est à principio prauorum succorum redundantiam, eo modo, quo fieri potest, remouere,

Aphor. 3.

uere,

uere; &, si hoc fieri non potest, ad minus minorare; & maximè, quia ex tali multitudine eadem impendent pericula, quæ ex materia turgente; & ideo, vt nos dicemus, hæc reponitur (quidquid dicant alij) inter turgentes. *Incommoda*, & pericula materiæ turgentis, iuxta Galeni sententiam, erant tria: ratione quorum statim opus erat purgare, antequam scilicet virium robur dissolueretur, vel nimium febris augeretur, vel materia raptum haberet ad membrum princeps. Quæ omnia etiam imminent in materia multa, quando morbum excitat acutum: clarissimum est enim, quòd viriũ robur in ea potest dissolui. facillimè etenim ex prauorum succorum multitudine natiuum calidum suffocari potest; & ob multitudinem, & paucitatem vehementissimos potest excitare morbos, & prauissima symptomata, quæ facilè possunt virium robur dissoluere. Sic etiam, magna existente causa, validissima potest excitari febris: &, quamuis videatur, quòd, quando multa materia excitat morbos acutos, sit firma, & in vno loco quiescat, tamen, cum sit tanta, vt nõ possit à natura regulari, effatu dignam concipit putredinem, & adeo efficitur naturæ rebellis, vt ad membrum princeps facilè moueri possit. Immo, si volumus verum fateri, quando adest in corpore cacochimia, & multorum prauorum succorum redundantia, impossibile est, principalia membra à talium humorum consuetudine esse omnino libera: & ideo in materia multa non solum periculum imminet, vt raptum habeat ad membrum princeps; sed aliqua eius portio in principibus partibus continetur. Quocirca, cum immineant in materia multa pericula illa, quorum ratione statim in materia turgente purgans medicamentum exhibetur, vtique & in illa à principio purgandum est. Et, si aliquis instaret, quòd, quamuis eadem immineant pericula, tamen in ea non conuenit purgatio: quoniam materiam illam, cum sit quieta, natura intendit concoquere, & sic eam retinet, & per consequens euacuationi reluctabitur: & succedet potius eorum, quæ sunt secundum naturam, absumptio, & tabefactio, quàm bona prauorum humorum euacuatio. Præterea in principio non est facta secretio: & sic bonorum simul cum vitiosis humoribus fiet eductio; purgatio enim exhibetur in materia turgente à principio, non solum quia dicta pericula imminent; sed etiã, quia ad eius euacuationem nõ sequebantur dicta incommoda: vt prius dictum est. Ad hæc respondemus. & primò ad primum. & dicimus, quòd in materia multa non habebimus naturam repugnantem, vt esset, si materia non esset multa; quia, cum sit multa, natura non potest eam amplecti, &, vt concoquat, retinere, & sic euacuationi non reluctabitur: immo hac ratione debemus purgare, ut minorem redactam materiam natura amplectatur, & retineat; & sic citius fient coctiones. Ad secun-

dum

4. *Aph.* 10.

dum dicimus, quòd, existente materia multa, non multa fiet bonorum simul cum prauis humoribus detractio; nec oportet, vt sequatur consumptio, & corporis tabefactio: tunc enim Medicamenta eliquant sanguinem, & carnem, (vt Galenus testatur secundo Aphorismorum) quãdo proprium non inueniunt humorem: & hoc, vel quia non adest, vt in his, qui salubritatem corporis habent, vel, etsi adsit, tamen ita retinetur, vt non possit educi, vt in materia crassa, impacta, & agglutinata. At, quãdo materia est multa, & morbum excitat acutum, vt hac ratione etiam non possit admodum esse crassa, & lenta: cum humor medicamẽto proprius in multa copia in corpore redundet, & adeo, vt à natura non possit retineri, sequitur illius humoris euacuatio, & non corporis tabefactio: &, quamuis ratione, qua non præcessit concoctio, boni etiam succi, cum malis educantur, tamen non ob id debemus in tanta materia à purgatione abstinere. ab initio enim virtus est valida, & potest sufferre euacuationem, etiam si aliquid boni cum malo euacuetur: quia multò maius est iuuamentum, quod sequitur ex malorum purgatione, quàm sit nocumentum ex bonorum detractione. Conuenit etiam à principio purgare in materia venenosa, & praua affecta qualitate, & in statu pestilenti, tum quia in materia omnino rebelli, & quę non potest naturæ gratiam recipere, frustra concoctionem expectaremus, tum etiam, quia, nisi statim euacuauerimus, non solum non succedit coctio, sed adeo augebitur corruptela, vt spiritus omnes, & humores inficiat, & tãdem etiam carnẽ, & adipem colliquet: & hac ratione ab hac febre fluxus colliquatiuus est ferè inseparabilis: vt habemus decimo Methodi. Ne ergo adeo increscat corruptela, debemus à principio purgare, & maximè, quia in tali materia frustra vt plurimum expectaremus coctionem, & crisim: cum in pestilenti constitutione, crises, vt plurimum, fiunt ad malum, vt habemus secundo Aphorismorum: vltra quòd ipsemet Galenus primo de differentijs febrium, & quinto Methodi, corpora in pestilenti constitutione exiccanda esse præcipit: illa enim dixit euadere, quæ per aliquã euacuationem fuerunt reddita ficciora. Præterea dicebat vndecimo Methodi, ꝙ ita est in viuentibus curanda putredo, vt ei, in exterioribus, & non viuentibus prouidetur: &, quemadmodum in illis, quod est omnino putridum, separant, & excidunt, quod remanet in frigidum sublatũ ventilant, & refrigerãt: ita & putredinẽ, quæ in viuis orta est, sanabimus; quod corruptũ est omni ratione euacuantes; quod reliquũ est, moderatis motibus, & refrigerante pspiratu; ad exactã symmetriã reducẽtes. Ex quibus voluit omnino putrida, cũ non possint amplius naturæ gratiã recipere, esse statim euacuanda; semiputrida verò esse vẽtilanda, refrigerãda, &, si fieri põt, à natura cõcoquenda; & ideo eodẽ libro dicebat, ꝙ putredini

Comm. 37. *Cap. vlt.* *Comm. 13.* *Cap. 5.* *Cap. 12.* *Cap. 8.* *Cap. 13.*

tredini opponitur excretio, ventilatio, refrigeratio, & semiputridorum concoctio; & prius dixit, excretio; quia, quæ sunt omnino putrida, debent excerni; semiputrida verò debent refrigerari, ventilari, ac concoqui. *Istis* habitis, habemus sexto Epidemion, quòd febris pestilens differt ab alijs putridis; quia in eis est insignis putrefactio, & summus gradus putredinis: & ideo ex dictis in hac materia debemus statim ab initio purgare, vt humor adeo naturæ inimicus remoueatur; & posteà, quæ sunt semiputrida, quantum fieri potest, corrigantur, ventilando, refrigerando, & concoquendo. Vt concludere liceat, quòd Aphorismus ille, Cum morbi incohant, siquid tibi videtur mouendum, moue; verificatur etiam de materia venenosa, quam etiam turgere infra dicemus. Conuenit etiam à principio purgatio, quando humores fluunt ad partem principem, & in ea morbum acutum excitant, & non solum quando humores sunt tenues, sed etiam si fuerint crassi, & lenti, vt in apoplexia, caro, & lethargo: in quibus, vt imminenti periculo succurramus, statim à principio purgare oportet: quia, quando isti affectus vlterius procedunt, & confirmantur, maximè in apoplexia, lethargo, & caro, cura est cassa, & desperata est salus: non enim est amplius remedio locus. Et, quamuis aliqui dicant, quòd in istis materia turget, quia mouetur de loco ad locum, tamen non est verum: quoniam illo modo dicuntur turgere humores, quando huc, illuc propter ipsorum acrimoniam, & tenuitatem per corporis partes vagantur, ægrum quiescere non permittentes; sed ipsum molestantes, cum non habeant firmam sedem: quod nō accidit, quando materia mouetur ad sedem determinatam, & non inordinatè per corporis partes vagatur, nec cum illa molestia. Et in omnibus prædictis casibus, Manardus, & alij tenuerunt, quòd, etsi materia non turgeat, liceat tamen à principio purgare; aliter, vt dictum est, multa impendent pericula. Et, cum, ex ipsiusmet Hippocratis, & Galeni doctrina, pluribus medijs demōstratum sit, quòd in omnibus dictis conuenit à principio purgatio, sumus coacti alterum duorum fateri; vel scilicet, quòd Hippocrates, & Galenus, assignando exceptionem de materia turgente fuerunt diminuti; & sic eorum doctrina erit imperfecta; vel oportet asserere, quòd sub turgentia non solum intellexerunt materiā, quæ mouetur de loco ad locum, sed etiam multas alias. Et, vt circa hoc dicam, quod sentio, etsi prima facie videatur Galenus exposuisse turgentiam, solum de materia, quæ huc, & illuc vagatur; tamen, si intimius eius sententiam examinabimus, inueniemus eum sub turgentia inclusisse multa alia: inquit enim primo de crisibus, Turgere dictum est de animalibus incitatis ad coitum, translatum verò ad morbos, qui properant, & celeriter mouentur ad finem; præcipuè verò cùm laborantis sen-

Cap. 9.

sus,

ſus, ab inordinata humorum, & ſpirituum agitatione irritantur. Qui-
bus in verbis vult, quòd Turgere dicatur in omnibus morbis acutis, qui
celeriter terminantur; quamuis præcipuè dicatur pro illis, in quibus ma
teria mouetur de loco ad locum: ſed hoc præcipuum ſignificatum non
excludit, quòd Turgere non dicatur etiam in alijs acutis. & hanc ſen-
tentiam ſic ad verbum confirmat libro ſecundo de humoribus. Ex qui- *Comm. 15.*
bus locis habere poſſumus, omnes illos morbos turgere, qui citiſſimè
ad finem properant, & per conſequens ſunt acuti: quia, quamuis non
in omnibus, materia, quæ eſt morbi cauſa, videatur moueri de loco ad
locum, ita, vt non poſſit ſe in vno loco continere, vt animantia incitata
ad coitum: tamen morbi ipſi turgent, cùm citiſſimè, & velociter ad finē
moueantur, vt animalia, ad coitum incitata, mouentur huc, & illuc. Et
ideo (meo iudicio) cum dixerit, quòd debemus medicari concocta, niſi
turgeat, & rarò turget, ſubiungit, In acutis paſſionibus rarò, & in princi
pijs, medicinis purgantibus vti; innuēs, quòd in acutis materia turget;
immo illud Turgere poteſt referri non ſolum ad cauſam morbificam;
ſed etiam ad morbum. Hippocrates enim non dixit, Niſi materia tur-
geat; ſed abſolutè, Niſi turgeat; vt vtrunque includeret. Et, ſi aliquis
diceret, Si hoc eſſet verum, non dixiſſet, quòd in acutis paſſionibus ra-
rò debemus vti medicinis purgantibus; quia, ſi debemus purgare, quā-
do morbus, vel materia turget, & in acutis ſemper adeſt turgentia; ergo
ſemper in illis à principio conueniret purgatio. Ad hoc dicimus, quòd
Hippocrates non dixit, rarò eſſe purgandum in acutis, quia non ſemper
morbi acuti turgeant, ſed quia, quamuis turgeant, multoties ſanguinis
miſſione prouidere poſſumus; &, cum medicamenta purgantia, & ma-
ximè quibus ipſi vtebantur, calida ſint, & ſicca; & augendo febrem cō-
tinuam, quæ acutos comitatur morbos, poſſint offendere; iubet, vt ab
ipſis, quantum poſſibile eſt, abſtineamus; & vtamur ſanguinis miſſio-
ne, quando poteſt pro purgatione ſupplere: quod aperte Galenus iuſſit
ſecundo de ratione victus in acutis. Dixit etiam, quòd raro debemus *Comm. 12.*
à principio purgare propter corporis ineptitudinem: vt ibi explicabi-
mus: quoniam raro à principio corpus eſt ad euacuationem paratum,
etiam quòd materia turgeat. Et ideo, ad id, vnde diſceſſimus, reuerſi,
dicimus, quòd Turgere non ſolum debet intelligi de materia, quæ mo-
uetur de loco ad locum; ſed debet ampliari ad omnes morbos valde
acutos; & in quibus maximum periculum eſt in mora: dicebat enim
Galenus quinto Methodi, quòd non ſemper à leuioribus eſt incohan- *Cap. 15.*
dum; mox aggredienda maiora: ſed, in quibus eſt maximum periculū
in mora, debemus à maioribus incipere: optimè nanque pronunciauit
Hippocrates, ſicut & multa alia, ita & illud, Extremis morbis, extrema,
&ex-

& exquisita remedia optima sunt. Et hac ratione, in sputo sanguinis, statim à principio nulla coctione præcedente, purgauit: & ideo non esset ab ratione fateri, quòd vrgere non solum debet ampliari ad morbos acutos, in quibus est periculum in mora; sed etiam ad alios quosdam morbos, in quibus si expectamus, maximum vitæ periculum impendet: vt in sanguinis sputo. Sed, quidquid existimetur de hoc, Hippocrates (meo iudicio) sub turgentia inclusit morbos valde acutos: & iuxta hanc sententiam, inquit Philotheus in huius Aphorismi expositione, quòd materia turget, idest vrget in morbis, qui velocissimo motu mouentur, & sunt peracuti. Adeo quòd, iuxta eius sententiam, dicitur materia turgens, quæ morbum valde acutum excitat. Et omnia dicta iuxta hanc expositionem limitari possunt, & optimè: non enim est verum, quòd in materia multa conuenit semper à principio purgatio, vt existimarunt Manardus, & alij: sed tunc tantum, quando excitat morbum acutum, & est periculum in mora. sic etiam non est verum, quòd, quando materia mouetur ad membrum princeps, vel est in membro principe, debemus semper à principio purgare: quia sic, & in melancholia, & capitis dolore, ex pituitoso, & crasso, & ex melancholico humore conueniret à principio purgatio: quod non est verum: sed tunc tantum, quando humor morbum excitat acutum: &, nisi cito succurratur, maximum est periculum in mora. Immo ipsamet natura hoc docet, quæ, quando princeps membrum ab acuto, & magno morbo molestatur, etiam si materia sit cruda, & crassa, non ad concoctionem, sed potius ad expulsionem est intenta; vt in apoplexia, & epilepsia. Concludamus ergo, quòd debemus à principio purgare, quando materia turget; idest quando excitat morbos acutos, qui purgatione, & non solum sanguinis missione indigent: & hoc obseruandum est, siue materia moueatur de loco ad locum, siue sit apta moueri, siue quouis alio modo morbum excitet, qui celerrimè ad finem properet, & sit acutus: in quibus verò materia est in vno loco firmata, & veluti impacta, & agglutinata, vel est tenuis, & quieta, & morbum non generat acutum; debemus expectare concoctionem: quia nō est periculum in mora: & ideo debemus naturæ ordinē obseruare, quæ in istis non expellit morbificam causam, nisi coctio, & secretio præcesserit. Sed adhuc aliquis dubitaret, Si medicus est naturæ minister, & ipsam debet rectè operantem imitari, quare euacuat quandoq; in morborum principijs, si hoc nūquam natura facere consueuit: inquit enim Galenus quarto Aphorismorum, quòd, cum in principijs sit cruditas, tunc aliquid bene euacuari est impossibile: natura enim prius concoquit, secundò secernit, & tertiò expellit. Ad hanc difficultatem sic communiter respondent, quòd, quamuis natura non euacuet in principijs,

Comm. 22.

quia

quia adhuc non concoxit: tamen, quia solet euacuare facta coctione, & hæc fieri non potest nec in multa, nec in venenosa, nec in urgente materia; ideo medici à principio euacuant, vt natura possit postea concoquere, & suo tempore euacuare. Sed hæc responsio, vltra, quòd non currit in omnibus æqualiter, quoniam; si fieri potest, medicus debet materiam urgentem educere totam, & nihil de ea relinquere: cum enim sit in motu, pauca, eodem modo est rebellis, vt in multa; non tollit etiã difficultatẽ; quia non explicat, qua ratione medicus hoc facere potest, si semper debet naturam rectè operantem imitari. Et ideo dicerem falsum esse, ꝙ nunquam natura à principio, non præcedente coctione, euacuet: cum in morbis pessimis, quandoque si fuerit valida, non præcedente coctione, expulsionem aggrediatur: & adeo vtiliter, vt quandoque criticè morbi causam expellat, & morbum curet: quod etsi paradoxon videri possit, potest tamen multis Hippocratis, & Galeni locis comprobari: & primò habemus tertio de locis affectis, ꝙ in epilepsia, cùm cerebrum, membrum principalissimum, obstruatur, & nõ possit ferre noxam; quatitur, vt expellat, quod noxium est, & causatur conuulsio, quæ durat, quousq; obstruens humor expellatur; & inde accidit, quòd epilepsia subitò fit, & subitò soluitur: aggreditur enim in ea natura expulsionem, nulla coctione præcedente. Idem dicebat de epilepsia, & apoplexia, secundo de symptomatum causis; quia in apoplexia etiam natura non ad concoctionẽ, sed ad expulsionem est intenta. Et descendendo ad febres, Hippocrates primo Epidemion ponit historiam de Metone, quem ignis corripuit, cum sæuissimis symptomatis, & quinta die, non præcedente coctione, immo præcedente vrina subnigra, per fluxum sanguinis narium fuit iudicatus: quod pulchrè notat Galenus in Commento. Præterea in eodem, habemus historiam de muliere, quæ vtero gerebat, & erat trimestris, quam ignis corripuit; & cum signis adeo prauissimis, vt mirum sit, quo modo euaserit, eo magis, quòd vtero gerebat, & tamẽ quinta die, nulla præcedente coctione, fuit per sudorem iudicata, & à febre liberata: & Galenus notat in Commento, quòd tam hæc ægra, quam ille, de quo prius meminimus, fuerunt morbo existente crudo iudicati. Et est notandum vnum, quod multum facit pro his, quæ dicta sunt de materia multa: & est, ꝙ Galenus vult, ꝙ hæc iudicia fuerunt ad bonum; sed nõ perfecta, quia morbus erat crudus: vnde post iudiciũ, facta eorũ, quę remanserant, maturatione, tandẽ per aliud iudiciũ fuerunt perfectè iudicati; & sic, nisi prius materia fuisset minorata, nõ potuisset sequi cõcoctio, & perfecta curatio. Habemus etiam tertio Epidemion historiam de Pericle, qui à prima die non præcedẽte coctione cępit iudicari. Vt ex dictis patere possit, ꝙ ẽt natura, qñ est à maximo morbo oppressa, ita vt

Cap. 7.

Cap. vlt.

Comm. 3. Tex. 24.

Tex. 30.

Comm. 3. Tex. 77.

non possit ordinatim procedere, non præcedente coctione, ad expulsionem insurgit. Et, si bene aduertimus, in materia, quæ sic turget, vt moueatur de loco ad locum; nos purgantes à principio naturã imitamur, quæ, à prauitate materiæ irritata, eam huc, & illuc expellit; quia, quamuis materia turgens sit tenuis, & ad motum parata, tamen nõ ipsa se ipsam mouet, vt multi credunt; sed facultas expultrix irritata, ipsam ab vna parte ad aliam protrudit, vt innuit Galenus quarto Aphorismorũ, & apertè explicat sexto Epidemion. Sed aliquis diceret: Si natura quandoque iudicat morbos & ad bonum, nulla præcedente coctione, ergo sequitur non esse veram Galeni sententiam quarto Aphorismorum, vbi asserit, ꝙ, cùm in principio materia sit cruda, aliquid bene euacuari est impossibile. Ad hoc respondent multi, ꝙ sententia intelligitur in quibus natura potest ordinatim procedere: sed in aliquibus, licet raro, quãdo est admodum stimulata, insurgit ad expellendũ, nulla coctione præcedente: & ideo, quando ait, Materia existente cruda, aliquid bene euacuari est impossibile; per Impossibile non intelligit, quod omnino fieri nequit; sed quod est admodum difficile, vt fiat: vtroq; enim modo Impossibile apud Aristotelem accipitur. Et ideo, quãuis propositio videatur vniuersaliter prolata, tamen verificatur non semper, sed vt plurimum; nec debet videri mirum, quia multa alia sic ab Hippocrate prolata, sunt intelligenda, vt plurimum: dicebat enim Galenus sexto Aphorismorum, ꝙ illud, quod magna ex parte, veluti si perpetuò sic fieret, figura dictionis, ab Hippocrate pronunciatur; & secundo de difficultate respirationis ait, ꝙ raro accidit in arte medica, non destruit sententiã vniuersalem. Sed hæc responsio mihi non omnino quadrat: quoniam à principio posse aliquid vtiliter euacuari, non est adeò rarum, vt debeat sic, absque consideratione prætermitti, & eius oppositum vniuersaliter pronunciari; & maximè, cum hoc sit ad artem medicam summopere necessarium. Et ideo dicerem, ꝙ Galeni sentẽtia est intelligenda de perfecta euacuatione, & perfecta crisi, quæ non potest fieri, nisi præcesserit naturæ victoria: quod magis patebit, si dictas historias cõsiderabimus: quia, etsi illi fuerint, morbo existente crudo, iudicati, tamen crisis non fuit perfecta: vnde & indiguerunt eorum, quæ remanserant, maturatione, & expulsione. Et, quòd possit à principio, materia existente cruda, fieri à natura vtilis aliqua, sed non perfecta euacuatio, & per consequẽs crisis ad bonum, sed imperfecta; colligere licet ex Hippocrate primo Epidemion, vbi ait, ꝙ coctiones celeritatem iudicij protendunt, securitatemq; salubrem: cruda verò, aut acrisias, aut dolorem, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidiuas. Si ergo cruditates inter alia significant recidiuas, de necessitate crudorum humorum euacuatio, prius iuuauerat

Comm. 1.
Comm. 2.
Comm. 33.

Cap 6.

Comm. 2.
Tex. 45. & 46.

rat ægrum à morbo liberando: sed, quamuis iudicium fuerit vtile, non fuit fidum: quia sequitur recidiua. Verum est ergo, ꝙ ad perfectã crisim, de necessitate debet præcedere concoctio, & ꝙ in principio aliquid à natura bene, idest perfectè euacuari est impossibile: & ideo hoc ponebatur inter condiciones ad bonam, & perfectam crisim necessarias: sed cum hoc stat etiam, ꝙ aliquando natura possit à principio vtiliter, sed non perfectè euacuare; & ꝙ tunc possit fieri crisis ad bonum, sed imperfecta, absque quo signa coctionis præcedant, vt dictum est. Et hæc de proposito Aphorismo dicta satis.

APHORISMVS XXIII.

Deiectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deijciantur, qualia conueniunt, & ægri facilè tolerant. Atque, vbi vsque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, si æger possit tolerare.

MVlti in hoc Oribasium insecuti, hunc aphorismũ hoc pacto introducunt. Cum declarauerit Hippocrates, per quã regionem, & quo tempore debet medicus euacuare; remouet in hoc Aphorismo errorem, in quem artis ignari solebant incidere, qui factam euacuationẽ bonam, vel malam, ex multitudine, & paucitate excretorum, iudicabant: & in hoc, adhuc errat Medicorum vulgus, qui illam laudat euacuationem, quæ est admodum copiosa. Hos, iuxta istorũ sententiam, reprehendit; inquiens, ꝙ excretiones non sunt æstimãdæ, & iudicandæ multitudine eorum, quæ excernuntur; sed, si talia educantur, qualia educi debent, & ægri facilè tolerant. Quæ expositio, propter multa, mihi non placet: primò, quia, sic intelligendo Aphorismum, Hippocrates recederet ab eo, quod intẽdebat in hac vltima libri parte, & erat, loqui de euacuationis vtendi modo, ad quem nihil facit, hũc medicorum errorem considerare. Secundò, Aphorismus esset superfluus, & nõ necessarius; quia ex secundo Aphorismo erat clarum, ꝙ non quælibet euacuatio confert, sed tantum illa, quæ est humoris peccantis, & nõ alterius. Montanus verò inquit, ꝙ Hippocrates in hoc Aphorismo considerat euacuationis quantitatem. &, cum aliquis potuisset dicere, ꝙ euacuationis quantitas fuit considerata in Aphorismo tertio; &, si eandem hìc consideraret, esset superfluus: Ad hoc respondet, ꝙ quãtitas euacuatio-

nis pōt considerari vno modo ante euacuationē, & sic indicatur ab hu-
moris peccantis quantitate, si vires nō repugnant; & hoc modo fuit cō-
siderata in illo Aphorismo. Alio modo cōsideratur quātitas in euacua-
tione, *dum* fit, & postquàm facta est; & tunc indicatur à specie humoris,
qui educitur, & ab ægri tolerantia, & hoc modo, euacuationis quantita-
tem considerauit in hoc Aphorismo. Sed hæc, propter multa etiam, non
placet: primò, quia recederet à tractatione de vtēdi modo, vt etiā prius
diximus: secundò, quia secūda pars Aphorismi, nullo modo pacto huic
expositioni respōdet; aliud enim est dicere, ꝙ debemus considerare quā-
titatem excrementorum ex qualitate humoris euacuati, & ægri toleran-
tia; & aliud, immò multū diuersum, est, subiungere, & vbi oportet, vsq;
ad animi defectum euacuare, faciendū, si virtus tolerat. Multa etiā alia
dici possent contra istorum sententiam. sed, quia omnia ex nostra posi-
tione patere poterunt, ea relinquimus. Circa huius Aphorismi introdu-
ctionem, & expositionē (vt dicam, quod sentio) oēs expositores hucusq;
fuerunt alucinati; & Hippocratis, ac Galeni mentē minimè perceperūt:
quia, cū Hippocrates in Aphorismo vigesimo cœpisset loqui de vtendi
modo euacuationis, qui consistit in electione regionis, per quam debet
fieri euacuatio, ideo pronunciauit illam sentētiam, Quò natura vergit
eò ducere oportet, & per conuenientem regionem: consistit etiā in ele-
ctione tēporis, in quo euacuatio fieri debet; & ideò dixit in Aphorismo
præcedenti, Concocta medicari, atq; mouere, non cruda, neq; in princi-
pijs, nisi turgeat. Et, cū vtendi modus consistat etiā in euacuationis parti-
tione, vtrū scilicet vnica vice, & simul, vel pluribus vicibus, & partita fie-
ri debet euacuatio; hoc, iudicio meo, nō recedens ab eo, quod explicare
cœperat, cōsiderat in hoc Aphorismo; in quo intēdit explicare, qn̄ vnica
vice, & simul tota debet fieri euacuatio; & qn̄ potius in plures vices de-
bet partiri. Quòd verò partitio ad vtendi modū pertineat, patet ex ipso-
met Hippocrate, qui, in vtendi modo ipsius alimenti, hoc præcipuè cō-
siderauit; inquiēs, Et quibus semel, aut bis, & quibus plura, vel paucio-
ra, considerare oportet. Et absq; dubio, si in vtendi modo euacuationis
hoc non explicasset, fuisset diminutus: hoc etenim scire non est minus
necessarium in euacuatione, quàm in victus ratione: multū enim inter-
est, vt medicus animaduertat, an, quod euacuari debet, sit vnica vice, vel
pluribus, & partitis vicibus euacuandum. &, quoniam partitio consistit
circa quantitatem particularim obseruādam; ideo inquit Hippocrates
quòd euacuationes faciendæ, & quæ fiunt, non quæ factę sunt, non sunt
æstimandę ex copia humorum peccantium; sed, si talia deijciantur, qua-
lia oportet, & ægri facilè tolerant, idest in euacuatione facienda, medi-
cus debet ad duo respicere, vt humor scilicet, qui peccat, educatur, &

Propria expositio.

virtus euacuationem facilè toleret. Et, si virtus, ob sui imbecillitatem, non potest sufferre omnium redundantium humorum simul factam euacuationem, debet euacuationem partiri, & pro eo tempore debet ei sufficere, si tantum humoris educit, quantum virtus tolerat: & hoc docebat Galenus secundo de ratione victus in acutis, & nono Methodi. Quod si virtus valida quamlibet sufferre possit euacuationem, medicus debet vnica vice totum redundantem humorem educere. Et ideo subiungit Hippocrates, quòd, quando oportet vsque ad animi defectum euacuare, faciendum, si æger possit tolerare: ac, si diceret, ex dictis iam potest patere, quòd totum illud, quod est superfluum, & præter naturam, debet euacuari; &, si virtus non reclamat, potest educi vnica vice. Si verò simul factam euacuationem non suffert; debemus illam in plures vices partiri, & in qualibet vice euacuare, cum virtutis tolerantia. Adeo quòd Aphorismi sententia est, quòd circa particularem euacuationis quantitatem, si virtus est valida, & potest sufferre euacuationem vnica vice factam, simul tota debet fieri euacuatio, etiam vsque ad animi defectum, si oportuerit: si verò virtus fuerit quodammodo imbecilla, debemus euacuationem partiri, & euacuare humorem peccantem, ea quantitate, vt virtus possit sufferre: &, si postea oportuerit, pluries reiterare, vt, quod intendebatur, compleri possit. Sed singula verba intimius consideremus. *Deiectiones*. Græcus codex habet τὰ χωρέοντα, quæ dictio significat non solum deiectionē, quæ fit per aluum, sed omne id, quod è corpore recedit, & vacuatur. & ideo hunc locum melius interpretatur Cenomanus, qui traducit, Quæ euacuantur. Et circa hanc particulam est sciendum, quòd Hippocrates non loquitur de euacuatione, quæ facta est, vt multi existimarūt; sed dat methodum, & modum exercendi artem in euacuatione facienda, & quæ fit: & sic vult, vt consideremus, quæ sunt euacuanda, antequam euacuentur; & dū euacuantur, & ex consequenti; sed non adeo principaliter, quæ sunt euacuata. Quod declarat Galenus in Commento, dum dicit, quòd medicus debet considerare humoris peccantis quantitatem, veluti considerat qualitatem: quoniam, quemadmodum à qualitate habet, ꝙ hic humor debet euacuari, & non alius, ita à quantitate habet, ꝙ tanta debet esse euacuatio, aut maior, vel minor; quia oportet totum peccantem humorem educere: cum, quæ relinquuntur in morbis, recidiuam facere consueuerint. Sed Galenus subiungit, Cum Hippocrates non haberet signa talia in quantitate, qualia habebat in qualitate, refugit ad facilem tolerantiam, & conferentiam. Quæ verba sunt pulcherrima, & multa indigent perscrutatione. vult enim Galenus, quod Hippocrates hic voluit considerare quantitatem euacuationis faciendæ, &

Comm. 10. Cap. 10. & 13.

ipsius signa nobis assignare; vt cognoscere valeremus, quanta deberet esse euacuatio: sed, cum non haberet talia signa in quantitate, qualia habuit in qualitate, confugit ad facilitatem tolerantiæ. Sed, vt omnia reddantur clariora; aliquis quæreret, quare dixit, quòd non habemus signa in quantitate, vt in qualitate, & postea non solum posuit in quantitate signa similia, sed penitus eadem: dixit enim de qualitate, Si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt: & in hoc Aphorismo de quantitate inquit, quòd debemus educere qualia oportet, & æger facilè toleret; & sic eadem signa in qualitate, & quantitate considerauit. Ad hæc dicimus, quòd Hippocrates in qualitate habuit signa duplicia, quorum quædam præostendebant speciem, & qualitatem humoris peccantis, & hæc erant propria cuiuslibet humoris indicia, vt color: &, vltra illa, regio, anni tempus, ætas, & ipsi morbi; quæ omnia in illis paucissimis verbis fuit complexus: inspicere autem oportet, & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conueniat, aut non: vt in eius loci expositione diximus. Quædam alia erant qualitatis signa, quæ declarabant humoris peccantis qualitatem, at non ipsam præostendebant, sed potius sequebantur, ita, quòd in tantum erant signa, in quantum præcedentem euacuationem fuisse humoris peccantis, ex effectu declarabant, & sic iuuabant, ad confirmandam, ex præcedentibus signis, habitam coniecturam. At in quantitate non habuit signa, quæ euacuationis quantitatem præostendere possent, & ideo confugit ad ea, quæ subsequuntur; & vult, quòd, cum fuerit notum, quòd euacuatio debet esse huius humoris, & non alterius, per hanc regionem, & non per illam, hoc tempore, & non in alio; cum circa quantitatem non habeantur signa, quæ ipsam præostendendo, euacuationis quantitatem definiant; ad minus debemus aduertere, vt euacuetur humor peccans, & in tanta quantitate, quanta in æger facilè toleret. Et sic habemus, quid sibi voluit Galenus in Commenti principio in adducta sententia: habemus etiam, quòd, iuxta eius expositionem, Hippocrates non voluit vituperare eos, qui ex copia excretorum iudicabant factam euacuationem, esse bonam, vel malam: si enim hoc voluisset, non indiguisset alijs signis, hæc enim, quæ hìc adducuntur, erant certissima, & optima: si enim aliquis, post factam euacuationem, voluerit cognoscere, vtrum bona, vel mala sit euacuatio: certiora, meliora, & vtiliora signa his, quibus vsus est Hippocrates, habere, esset impossibile: & tamen Galenus inquit, quòd, cum non habuisset signa in quantitate, vt in qualitate, fecit, quod potuit: & sic confugit ad facilem tolerantiam: innuens per hoc, quòd desiderasset signa meliora, sed habere non potuit: & hoc non ob aliud, nisi quia desiderabat signa

Aphor. 2.

gna quantitatis euacuationis faciendæ, & non factæ, vt [illegible] existimarunt. *Non multitudine.* in Græco codice eſt, [illegible]. & ſignificat multitudinem, copiam, ſiue plenitudinem. *Sunt æſtimandę.* Græca dictio eſt, τεκμαίρεσθαι, quòd verbum ſignificat æſtimo, menſuro: & ſententia eſt, quòd ea, quæ euacuantur, non debent menſurari multitudine. quod poteſt intelligi duobus modis: primò, vt multitudo referatur ad id, quod euacuatur; & eſſet ſenſus, quòd ea, quæ euacuantur, non debent æſtimari, & menſurari multitudine, vtrum ſcilicet ſint multa, vel pauca; quia poſſunt eſſe multa, & mala, & poſſunt eſſe pauca, & bona; ſic etiam pauca, & mala, & multa, & bona. ſecundò, vt multitudo referatur ad multitudinem, quæ eſt in corpore, ex qua ſumitur indicatio euacuandi: & ſententia ſit, quòd ea, quæ euacuantur, non ſunt æſtimanda, & menſuranda ex multitudine, quæ exiſtit in corpore, ita, vt tanta debeat eſſe euacuatio, quanta eſt in corpore repletio: & hic intellectus eſt pulcherrimus: quia, quamuis multa ſit in corpore repletio, tamen euacuatio non debet à quantitate repletionis menſurari, niſi virtus permittat. Et, cum loquatur de euacuationis vtendi modo, ſatis eſſet ad propoſitum, ſic textum intelligere: quia in euacuationis partitione, debemus tantum de repletione euacuare, quantum vires ſufferunt. &, ſi hoc pacto non poteſt vna vice remoueri, debemus in plures vices euacuationem partiri. *Sed, ſi talia educantur, qualia oportet, & ægri facilè tolerant.* Ideſt, ſed in menſura euacuationis ſatis eſt, vt medicus educat humores noxios, & in ea quantitate, vt virtus toleret: virtus enim eſt illa, quæ debet principaliter euacuationis quantitatem metiri: indicatio nanque, quæ ab ipſa ſumitur, eſt omnium principaliſſima; &, quamuis vires in euacuando non primò, & principaliter indicent, ſed potius conſiderantur, vt contra indicant, tamen earum contraindicatio eſt tanti momenti, vt poſſit quandoque euacuationem etiam omnino impedire, quia virium cuſtodia, eſt indicationum omnium principaliſſima; & cum ea, quæ euacuant, poſſint (vt ſuperius diximus) vires diſſoluere: in qualibet euacuatione, vires conſulimus; & tantum, quantum ipſæ permittunt, euacuamus; &, ſi omnino reclamant, omnino etiam ab euacuatione abſtinemus. Sed, quia ex dictis videbatur ſequi, quòd in euacuationis quantitate, nullo pacto ſumitur indicatio à quantitate redundantiæ, ſed ſolum à viribus, quod erat non ſolum ambiguum, ſed falſum; cum dictum ſit ſecundo de ratione victus in acutis, quod debemus ſanguinem mittere vſque ad coloris mutationem; ſumpta indicatione à viribus, ſed à redundantis humoris quantitate; & Galenus aſſerit tertio artis medicinalis, quod immodicæ repletioni competit immo-

Aph. 3.

Tex. 18.

Tex. 60.

dica euacuatio; & prius declarauimus, quòd idem indicat genus, qualitatem, & quantitatem, sub illo genere ex libro de optima secta; ideo, si euacuatio indicatur à repletione; & qualitas euacuationis, & humoris euacuandi sumitur à qualitate repletionis, idest à specie, & differentia humoris redundantis; ergo quantitas euacuationis sumi debet à quantitate redundantiæ; quia, vt supra diximus, oportet totum humorem redundantem euacuare. & ideo, ne aliquis putaret, quòd in euacuationis quantitate, oportet solum vires respicere, Hippocrates subiungit. *Et vbi oportet ducere usque ad animi defectum, faciendum; si uirtus possit tolerare.* Et sententia est, quòd, sumendo indicationem à repletionis quantitate, totus humor peccans debet euacuari: sed, quia euacuantia vires dissoluunt, non solum metienda est euacuatio à redundantiæ quantitate, sed oportet etiam vires, vt contraindicantes, & potentes impedire considerare; &, si vires, vt vnica vice, quod peccat, educatur, permiserint; faciendum, etiam si vrgente necessitate, vsque ad animi defectum euacuare oportuerit. Et sic ex dictis habemus, quòd euacuationis quantitas primò sumitur à quantitate redundantiæ. & secundò habemus, quòd sumitur à viribus, quæ contraindicantes tantam habent vim, vt possint euacuationem non solum diminuere, sed etiam omnino impedire. habemus etiam ex dictis euacuationis partitionem: quia, si virtus non reclamat, potest totus peccans humor vnica vice euacuari: si verò non fuerit adeò valida, & quod est præter naturam, necesse est, vt educatur, tunc oportet euacuationem in plures vices partiri, vt virtus toleret: vna enim euacuatione facta, licet alimentis vires instaurare, & postea iterum ad euacuationem redire: quia sic ex pluribus complebitur, quod facere intendebamus. *Vsque ad animi defectum*. Græcus codex habet μέχρι λειποθυμίης: & Lipothimia dicitur ἀπὸ τῦ λείπο καὶ θυμῦ: & λείπω significat idē, quòd deficio, θυμὸς verò significat animum; & sic Lipothimia est animi defectio: dicitur etiam Liposichia, quæ significat defectum non animi, sed animæ; vt habemus septimo Aphorismorum: &, quamuis nomina sint diuersa, Hippocrates tamen & Galenus idem per vtrunque intellexerũt; quia Galenus, loquendo de animi defectu, Liposichiam duodecimo Methodi; & primo de arte curatiua ad Glauconē, Lipothimiā appellauit. Est tñ animaduertendum, q, vt habemus duodecimo Methodi, animi defectus, quomodocunq; nominetur, differt à syncope, quanquā fieri possint, & fiant ab eisdem causis, sed differentibus, secundum magis, & minus: multo enim fortior ad syncopim, quàm ad lipothimiam, requiritur causa: quoniam lipothimia est quidam virium lapsus, cum pulsus perseuerantia: & ideo libro de curatione per sanguinis

Apb. 16. Cap. 45.

Aph. 8.

Cap. 5. Cap. 14.

missionem Galenus inquit, quod medicus, dum usque ad animi defectum euacuat, debet tangere pulsum, & euacuare, quousque pulsus deficere incipiat, & tunc statim ab euacuatione cessare, ne pro animi defectu, & lipothimia sequatur syncope, quæ est omnium virium lapsus, & subito facta concisio. Et, ne in hoc aliquis decipiatur, Hippocrates, hanc usque ad animi defectum euacuationem, limitauit, inquiens: *Si uirtus potest tolerare*. per quæ voluit significare, quòd, in quibus casibus medicus ad summum euacuat, debet ægrum ad illum animi defectum ducere, qui est cum aliqua virium perseuerantia; & ideo facilè recuperabilis; & non ad syncopim, in qua omnes uires subito concidunt, & ad quam facillimè sequitur mors, quod esset cum maxima artis, & artificis infamia: quoniam, etsi in omni animi defectu uires cadant, & quodammodo dissoluantur, tamen in principio cadunt cum uitalis facultatis perseuerantia, & talis defectus potest facilè recuperari; sed, si, vlterius procedens, facultas etiam vitalis ceciderit, succedit syncope, quæ est omnium uirium subito facta concisio, & cum maximo uitæ discrimine. Sed, cum lipothimia fieri possit & ex multitudine acriũ humorum in ore ventriculi, & ex nimia euacuatione, inquit Galenus in Commento, quòd ab Hippocrate non ponitur pro termino euacuationis ille animi defectus, qui fit ex acrium humorum presentia; quia multi statim, etiam antequam fiat uenæ sectio, hac ratione animo deficiũt: & ideo præcipit, vt, his in lecto decumbentibus, & non sedentibus, sanguis mitti debeat; quia sic non adeo facile animo deficient. Sed Hippocrates posuit pro euacuationis termino illum animi defectum, qui ad immodicam sequitur euacuationem: & Galenus in Commento inquit, quòd hanc euacuationem vsque ad defectum animi licet facere per uenæ sectionem in tribus casibus; in febribus scilicet ardentissimis, in maximis inflammationibus, & in vehementissimis doloribus; & Montanus addit quartum casum in febre synocha, sed satis ineptè; putat enim Galenum hìc per febres ardẽtissimas intellexisse febres causodes, & ardentes ex bile. Quod non esse uerum, his potest rationibus conuinci: quia, si per febres ardentes intelligeret febres biliosas, sententia esset falsa, & contra omnium medicorum placita: debet enim euacuari peccans humor, & non alius, unde, si peccat bilis, debet educi bilis, & non sanguis. Non negamus tamen, quòd in febre ardente biliosa, non conueniat etiam sanguinis missio; tum ratione magnitudinis morbi, tum etiam quia sanguis potest esse morbi cõcausa; cum ex eius ebullione generetur bilis; tum etiam, & tertio, quia in omni febre excitata ex humore putrescente, saluberrimum est sanguinem mittere, ex vndecimo Methodi: sed in febribus, quæ fiunt ex humore, quàm à sanguine,

Cap. 15.

quamuis

quamuis sanguinis missio conueniat ob dictas causas, tamen non debet esse copiosa, quoniam per venæ sectionem educitur sanguis; sub qua proportione in venis reperitur, & quod relinquitur, relinquitur etiam sub eadẽ proportione; & sic, si bilis ante venæ sectionem, in massa sanguinis redundabat, illud idem erit post sectionem, quia, quamuis aliqua portio bilis sit cum sanguine educta, fuerunt etiam educti alij humores: & ideo remanet eadem proportio: quoniam, si sanguis est, vt debet esse vt octo, & bilis, quæ deberet esse vt duo: aucta est vt quatuor, & fiat euacuatio, ita, ut dimidiũ sanguinis euacuetur: tunc sanguis remanet, vt quatuor, & bilis, cum sit etiam per dimidium euacuata, remanet ut duo, & sic remanet eadem proportio: eadem enim est proportio suorum ad quatuor, quæ erat quatuor ad octo: &, sicut bilis erat aucta præter naturam, quia debebat esse respectu sanguinis vt duo, & erat vt quatuor: ita etiam, sanguine redacto vt quatuor, bilis deberet esse ut vnum: vt naturalis seruetur proportio, & est ut duo. Hinc sequitur, quòd eadem inconuenientia causabitur bilis vt duo, respectu sanguinis vt quatuor: quæ causabitur bilis vt quatuor, respectu sanguinis vt octo: eadem enim (vt diximus) seruatur proportio. Immo addi potest, quòd bilis vt duo, facta euacuatione, morbum efficiet peiorem, & multo, quàm prius, peiora excitabit symptomata: quia nihil uidetur esse euacuatum de causa morbi, cum remanserit eadem in humoribus proportio: & propter sanguinis euacuationem, uires sunt redactæ multo imbecilliores, & sic, morbo, & causa in eadem magnitudine perseuerantibus, & virtute redacta imbecilla, & non potente, ut prius, redundãtem bilem regulare, sequitur, quòd ipsa bilis ebullit, & furit, & huc, & illuc impellitur. Et hoc est illud, quod animaduertẽs Auicennas dicebat, in euacuando, Caue, ne ægrum ad alterum duorum ducas; vel ad calidorum ebullitionem, vel ad frigidorum incrudationem: sed putauit, quòd bilis ebullitio sequatur, quia euacuatur sanguis; qui est bilis frenum; quod est valde à ratione remotum: sequitur enim ob id, quòd, ex multa sanguinis euacuatione, virtus redditur imbecilla, &, eadem humorum proportione perseuerante, morbus remanet in eadem magnitudine, & uires redactas imbecilliores facilius superat: ut dictum est. Vt ex dictis iam concludere liceat, quod in febre ardente ex bile nullo pacto copiosa, & usque ad animi defectum facta sanguinis missio competere potest. Præterea dicebat Galenus secundo Aphorismorum, quòd, cum duplex sit repletio, quarum vna dicitur plethora, alia cacochimia: Hippocrates vti consueuit in plethora, sanguinis missione: & in cacochimia purgatione: & ideo, cum in febre ardente peccet bilis, & per consequens adsit cacochisma, proprium eius remedium erit

Comm. 8.

purga-

purgatio, non sanguinis missio. Ideo, quidquid dicat Montanus, oportet fateri, quòd Galenus in Commento per illas febres, quas interpretes interpretati sunt ardentissimas, intellexit non illas, quæ fiunt ex bile, sed febres synochas: & ideo non oportet addere febrem synocham, tanquam quartum casum. Sed aliquis instaret: uidetur enim, quòd nõ possit stare, quod dictum est: quia Galenus uocauit illas febres ardentissimas. Ad hoc respondet Valeriola in suis enarrationibus, dicens, quòd non est mirum, si febres synochas vocauit ardentissimas, quoniam febris synocha est ardens, ut illa, quæ fit ex bile, immò magis, Galeno teste secundo de crisibus, vbi asserit, quòd synochos est ex genere deurẽtium, & ab illis differt sola acutie, idest quia synocha (inquit Valeriola) est magis acuta, quàm quę fit ex bile: cum post pauca uerba Galenus eodem loco subiungat; quòd synochos est genere biliosa, & peracuta febris: & sic, si est peracuta, à nulla in acutie superatur: erit ergo synocha peracuta, & ardentissima ex Galeni uerbis. Et hoc Valeriola pluribus medijs confirmat: & ego circa hoc tempus non conteram; sed solum dicam, quòd Galenus hìc, per febrem ardentissimam, uoluit intelligere febrem synocham, & non ardentem ex bile. Et errauit Leonicenus, & etiam Cenomanus in huius loci expositione: quoniam Galenus non vsus est illa dictione, qua vti solet, quando febres ardẽtissimas nominare uoluit: eas enim vocat καυσωδεστάτους, vt videre licet octauo de placitis; hìc uerò non dixit in ardentissimis febribus, sed in calidissimis; quia in Græco codice in uno loco Commenti est, καὶ πυρετῶν δυσκαιεστάτων, hoc est, in febribus maximè inflammantibus, & parum infra, quasi, quod dixerat, explicans, dixit ἔστι γὰρ τοῖς θερμοτάτοις πυρετοῖς, hoc est, in calidissimis febribus. θερμὸν enim significat calidum, & θερμότατον est superlatiuum, & est idem, quòd calidissimum, & ideo debebant interpretari, in calidissimis febribus; quia non est idem dicere, febrem calidissimam, & ardentissimam. Nam Galenus nono Methodi, febrem synocham, uocauit calidissimam; &, cum hoc in iuuene illo, de quo exemplificat, non erat ad tactum calor admodum acris, & mordax; & sexto Epidemion, enumerando febrium differentias, dicebat, quòd calidum, quod occurrit tactui, potest esse multum, & non acre: acre etenim est, quod eleuatur a materia sicca, & multo magis si fuerit etiam calida: quod uerò eleuatur à materia multa, & humida, non est acre: & sic febris synocha erit calidissima; quia illud, quod eleuatur, est multum, cum eleuetur à materia multa, & humida ac facilè euaporabili; cuius etiam ratione non est acre. At in febre biliosa, cum id, quod eleuatur, eleuetur à materia, & substantia sicca, & calida, est acre, & mordax: & hac ratione Galenus secundo de differentijs febrium docebat, cognoscere

Cap. 6.

Cap. 6.

Comm. 1.
Comm. 28.

Cap. 10. fecere febres ex sanguine, ex eo, quòd eius caliditas est simplicior, & mitior, quàm caliditas febris biliosæ: sed, quamuis non sit adeo acris, & mordax, est tamen multa, ita, ut nono Methodi in illo iuuene dixerit, q aderat æstus intolerabilis: quod (iudicio meo) respondet, ei, quod dicitur in hoc Commento de febre, διακαιςικώς, quæ maximè accendit, vel inflammat ob caloris copiã: sed, cum non habeat originem à materia sicca, & calida, ad tactum non est adeò acris, & mordax. Et sic etiam potest exponi Galeni locus secundo de crisibus; *Cap. 6.* quia, quando dicit, quòd febris synocha est de genere deurentium, sed ab illis differt acutie: non est intelligẽdum, quòd differt acutie, quia sit magis acuta; sed accipiendo per acutiem acrimoniam, & mordacitatem ad tactum, est intelligendum, quòd differt ab ardentibus ex bile, acutie, etenim eius caliditas non est adeo acris, & mordax vt illius, quæ fit ex bile, sed est multo mitior. Et illud satis rationabiliter addidit, quoniam febris ardens duo habet signa pathognomonica, calorem vrentem, & situm perpetuam. & Galenus inquit, quòd synochos febris est de genere deurentium; quamquam in ea non sit adeo urens calor, & acris caliditas, ut in his, quæ fiunt ex bile: & hoc videtur sentire Paulus libro secundo; vbi iudicio meo trãscribit allegatum Galeni locum: & inquit: *Cap. 36.* Continens quidem febris ea est, quæ ad infebricitationem, priusquam ex toto soluatur, nõ desinit; cum autem nulla declinatio apparuerit, quæ sensibus percipi queat, hæc quoque ex ardentium genere habetur; sed acrimonia ab ipsis euariat. Quo loco, uolens exponere, quòd Galenus, sed acutie ab alijs differt, inquit, quòd acrimonia ab ipsis euariat: & sic per acutiem intellexit caloris acrimoniam. Potest etiam Galeni locus alio modo exponi, vt dicebat Valeriola, per acutiem, non intelligendo mordacitatẽ ad tactum, sed morbi motum celeriter ad magnitudinem, & suum finẽ properantis. Et sic, synocha acutie superat alias ardentes: quia, ut dicebat Galenus tertio de crisibus, ista febris terminatur vt plurimum quarta die, & sic est reponenda inter exquisitè peracutas: *Cap. 4.* *Cap. alleg.* vt ipsemet asserebat secundo de crisibus; est enim, ex genere biliosa, synocha febris, & ex genere deurentium, & peracuta, quia, ultra, quòd citissimè terminatur, sanguis in ea efferuescit, & quodammodo accedit ad naturam bilis: & hac ratione, ne nouum putridarum febrium genus introduceret, inter eas, quæ sunt genere biliosæ, reponendam esse Galenus existimauit, vt habemus secundo de differentijs febrium; & clarius secundo de crisibus. *Cap. 2. & 9.* *Cap. 12.* Et hæc expositio satis consonat Græco codici, qui, vbi nos habemus, quòd synochos est de genere deurentium, sed ab illis differt acutie, ipse habet, ὀξύτητι δ᾽ αὐτῶν διενήνοχεν, hoc est (vt quidam vir doctissimus animaduertit) easdem acutie superat: quia, cum in ea usque ad

omni-

omnimodam morbi solutionẽ, non solum non adsit infebricitatio, sed nulla penitus remissio, aut declinatio; citius ardentibus aliis terminatur: &, cum fiat ex multi sanguinis ebullitione, & incidere soleat in bene temperatis corporibus, & multo sanguine præditis, ut habemus nono Methodi: Galenus in ea sanguinem mittit usq; ad animi defectum; ut superfluum omnẽ tollatur; & ad contrarium habitum corpus mutetur, refrigeretur scilicet, nimia caliditate remota. Secũdus casus, in quo conuenit mittere sanguinem vsque ad animi defectum, est in maximis inflammationibus, & dixit, in maximis, & non in magnis; quia morbi magnitudo requiritur ad quamlibet sanguinis missionem, cum scopus mittendi sanguinem, sit morbi magnitudo: quia, iuxta Hippocratis sententiam quarto de ratione victus, oportet mittere sanguinem in morbis magnis, si uirtus fuerit valida, & ætas florens: sed, quando inflammatio, quæ, vt morbus magnus indiget uenæ sectione, fuerit maxima, non solum debemus sanguinem mittere; sed etiam, si virtus potest tolerare, vsque ad animi defectum per venæ sectionem euacuare. Et habemus clarissimum exemplum decimoquarto Methodi, ubi in cura carbunculi, qui Græce dicitur Anthrax, mittit sanguinem usque ad animi defectum: & hoc, ne, ob inflammationis magnitudinem, & fluentis humoris copiam, suffocato calore, pars corrumpatur, & in gangrenam incidat, & tandem mortificetur. Sed dicet aliquis, Si hæc uenæ sectio esset facienda, vel competit in principio, & eo tempore nunquam fieri debet usque ad animi defectum; tunc enim inflammatio non est maxima; & in uigore, quando inflammatio est maxima, non conueniet, quia per sanguinis missionem non tollitur id, quod iam est influxum, & in parte inflammata continetur: sed tunc sufficiet, quod redũdat in toto euacuare, & quod influit reuellere; deinde attendere ad id, quod est in parte affecta, per peculiaria adhibita auxilia. Ad hæc dicimus, quòd hæc sanguinis missio adeo copiosa, si fieri potest, est facienda in principio, vel parum post; & licet eo tempore cognoscere, si inflammatio futura est maxima; considerando corporis plenitudinem, incrementi celeritatem, quòd scilicet pauco tempore multum est aucta; considerando etiã dolorem vehementem in parte affecta, & calorem immodicum, ut non deficiat, in parte affecta, quòd multum attrahat, nec deficiat in corpore, quod in multa copia possit ad partem attrahentem peruenire; quorum omnium ratione, maxima excitabitur inflammatio. Et, quamuis, incipientibus inflammationibus, non solum quando adest plenitudo, debemus totum corpus euacuare, sed etiam debemus à parte inflammata reuellere; & reuulsio, teste Galeno libro de curatione per sanguinis missionem, ut melius fiat, debet in plures uices partiri: illud tamen intelligi

Tex. 19

Cap. 10.

Cap. 12.

intelligi debet, quando non eſt periculum in mora, & morbi magnitudo non admodum urget: urgentia enim exiſtente maxima, quod in alijs pluribus uicibus fieri ſolet, debet unica uice adimpleri, euacuando ſimul, & reuellendo; ut imminens vitæ periculum euitetur. Quòd ſi inflammatio non fuerit in principio, & cum multa redundantia in corpore, fuerit in ſuo genere maxima: ſanguis copiosè eſt mittendus, & vſque ad animi defectum, ſi oportuerit: quia, ultra quod euacuatur multitudo, & humorum defluxus prohibetur, trahitur etiam aliquid a parte inflammata: quoniam, etſi, quod è uenis in partium cauitates excidit, recurrere non poſſit, recurret ad minus, quod in ipſius affectæ partis venis etiam paruiſſimis continetur. Tertius caſus, in quo licet uſque ad animi defectum ſanguinem mittere, eſt in uehementiſſimis doloribus: & huius habemus exemplum libro de curatione per ſanguinis miſſionem: quo loco Galenus inquit, ſe in iuuene, qui laborabat oculorũ inflammatione, & maximo cruciabatur dolore, unica vice abſtraxiſſe tres ſanguinis libras: & poſt quatuor horas aliam libram; &, ut ex eo loco licet colligere, nocuit unica uice totã quantitatem euacuare, & animi defectum inducere; quia ille diu laborauerat, & tantam ſanguinis euacuationem, unica uice factam, non poterat ſufferre. Sed circa hanc copioſiſſimam ſanguinis ductionem in uehementiſſimis dolorib. ſunt aliqua conſideratione digna: & primò, quia hæc uidetur, quòd nõ poſſit ſtare cum eo, quod Auicennas præcepit, qui inquit; Et cum euacuare volueris, dolorem prius ſeda. Adeo quòd vult, vt ante euacuationem ſedetur dolor: & Galenus hic uult, quod ad uehementiſſimos dolores ſedandos, debet mitti ſanguis. Montanus tentat hos adinuicem conciliare, & nihil dicit: refugit enim ad curam coactam, & regularem, & aſſerit, quòd cura regulari eſt procedendum, præcepto Auicennæ, & cura coacta præcepto Galeni. Quod nihil eſt: quoniam, quando uſque ad animi defectum ſanguinem mittimus, adhuc eſt cura regularis. Et nos, antequàm ſoluamus difficultatem, ipſam augere intendimus; quia nõ ſolum eſt pugnantia inter Auicennam, & Galenum; ſed Galenus ſibimet in hoc contradicit; quia tertio Epidemion inquit, quod, quando dolor prouenit à multitudine, nullo pacto debemus fouere partem ante euacuationem; & ſexto Epidemion, ipſe, & Hippocrates inquiunt, quòd, ad hoc, ut bona fiat à parte doloroſa reuulſio, debemus ante euacuationem partem fouere, ut dolore mitigato, pars, quæ prius ratione doloris attrahebat, reuulſioni cedat, & non reluctetur. Quid ergo eſt dicendum? Dici poteſt, quòd in rei ueritate, quando adeſt manifeſta plenitudo, ut etiam diximus ſupra, debemus ante euacuationem à fotibus abſtinere; quia magis attrahunt, quàm diſcutiant: ſed, quia vehemens

Cap. 17.

Comm. 3. Comm. 76.

Comm. 2. Tex. 9.

Aph. 12.

dolor

dolor in parte inflammata, poteſt reuulſionem, & euacuationem optimam impedire, ideo, quando dolor adeo vrget, ne eius ratione pars attrahendo, reuulſioni reluctetur, optimum eſt, ut tempore, quo facienda eſt euacuatio, pars affecta aliquo relaxante, & dolorem leniente, foueatur, vt melius fiat à parte reuulſio: & tunc non vtimur fotibus, quia ſperamus ex fotibus curationem: quia, cum magis attrahant, quàm euacuent, temporis progreſſu lædunt potius, quàm iuuent: ſed fouemus, vt, mitigato dolore, melius fiat à parte affecta reuulſio, & euacuatio. Secundò eſt animaduertendum, quia in his, quæ dixit de ſanguinis miſſione, uſque ad animi defectum uidetur eſſe contradictio: quia in primo ad Glauconem aſſerit, quòd in venæ ſectione conſideranda ſunt accidentia: ſi enim vehementiſſimæ uigiliæ, aut dolor intenſus, ægrotum infeſtant, cauendæ ſunt ſubitæ, ac multæ euacuationes. Ex quibus ſequitur, quòd in doloribus vehementiſſimis nullo pacto copioſa ſanguinis euacuatio competit, & maximè uſque ad animi defectum, ut in hoc loco præcipit. Et hæc ſunt multum aduertenda, cum ſint ad artem ſummopere neceſſaria. Et dicerem, quòd hæc poſſunt hoc pacto conciliari: quoniam dolor quandoque ſequitur ad aliquem affectum, cuius curatio tota ferè cõſiſtit in ſanguinis miſſione; ita, quòd ex ſanguinis miſſione ſperatur, quòd dolor poſſit ex toto remoueri, ut in poſito exemplo de dolore ex inflammatione oculorum: & tunc poſſumus, ſi oportuerit, & uirtus conſentiat, dolore ſummopere vrgente, ſanguinem mittere, etiam vſque ad animi defectum, & maximè circa morbi initia, quando virtus eſt valida, & quamlibet euacuationem ſufferre poteſt. Quandoque verò dolor ſequitur ad affectum, cuius curatio non principaliter conſiſtit in ſanguinis euacuatione, cum per eam non poſſit affectus in totum curari, nec dolor in totum remoueri, ſed alijs indiget auxilijs: & tunc ſeruanda eſt regula aſſignata primo ad Glauconem; quoniam debemus moderate euacuare, vt virtus ſeruetur, & ſufferre poſſit moleſtiam doloris, & morbi adhuc poſt euacuationem permanſuri: & ideo ibi præcepit, vt, ſi oportuerit in neruorum diſtentione ſanguinem mittere, non eſt euacuanda tota multitudo, ſed eſt aliquid relinquendum; ut uirtus poſſit ſufferre ſudores, & immodicam uigiliã; quæ ſolent ad conuulſionem ſuccedere. hac etiam ratione practicantes præcipiunt; vt, ſi eſt facienda ſanguinis miſſio, fiat parca, vt uirtus ſymptomatis uehementiam ſufferre poſſit. Sed eſt animaduertendum, ꝙ, quando Galenus inquit, quòd in uehementiſſimis doloribus conuenit vſque ad animi defectum ſanguinem mittere, addit, Adhibita tamen diſtinctione, utrum per ſanguinis miſſionem, an per purgationem, hãc euacuationem uſque ad animi defectum facere conueniat. In quibus

Cap. 14.

verbis primo habemus, quòd dicta sententia non verificatur in omnibus vehementissimis doloribus, sed in illis tantum, qui ortum habent ex multitudine, & sic vel ex redundante sanguine, vel ex alijs humoribus permistis cum multo sanguine. In his verò, qui ex alijs humoribus, & cacochimia ortum habent, oportet euacuare potius per purgationem. Ideò in expositione tertij artis medicinalis dicebamus, quòd non in omni morbo magno necessariò debemus sanguinem mittere; tametsi scopus mittendi sanguinem sit morbi magnitudo: sed ante omnia distinguere oportet, utrum affectus, quem curare intendimus, indigeat purgatione, vel omnium humorum euacuatione, &, si indiget omnium humorum euacuatione, cum plenitudo possit euacuari per inediam, per exercitium, balneum, purgationem, sanguinis missionem, & alia; quando morbus est magnus, morbi magnitudo suadet, ut potius per sanguinis missionem, quàm per alios modos, multitudinem euacuemus; quia morbus magnus requirit remedium præsentaneum, & sola sanguinis missio citò, & perfectè potest multitudinem euacuare; vt licet videre in libro de uenæ sectione contra Erasistratum. Idem etiam confirmat in libro contra Erasistrateos: &, si morbus non solũ est magnus, sed maximus, supponendo tamen, quòd sit ex plenitudine, non solum sanguis est mittendus, sed etiam vsque ad animi defectum, si virtus potest tolerare. Et ideo Galenus in principio libri de curatione per sanguinis missionem inquit, quòd ante omnia distinguere oportet, an affectus curandus indigeat sanguinis missione, vel purgatione; &, in quibus cõuenit sanguinis missio, considerat postea omnia, quæ ad venæ sectionẽ sunt necessaria. Secundo debemus circa dictam sententiam animaduertere, quòd Galenus non intendat explicare, quòd medicus quandoque sanguinem mittere, quandoque purgare debet vsque ad animi defectum: ipse enim hoc nunquam consentiret. &, quamuis eius verba in Commento illud uideantur significare, tamen, cum referat se ad id, quod dixit in libro de curatione per sanguinis missionem, inde accipiẽda sunt omnia, quæ ad huius loci intellectum sunt necessaria. ipse autem inquit in eo libro, quòd nihil facit artẽ in agendo æquè coniecturalem, vt vniuscuiusque remedij quantitas. Nam, quòd laboranti præbendum sit purgans medicamentum, nouimus: cæterum, quantum pręberi debeat, nescimus. Atqui talis exhibitio corrigi postea nequit. Nã, quod semel in ventrem deuoratum est medicamentum, quò minus omne deuoratum sit, fieri nõ potest; neque possibile est, ubi plusquam conueniat iam purgetur homo, partem oblati auferre. At in sanguinis missione summum id bonum est, euacuationem, dum voles, posse sistere. Ex quibus colligere licet, quod, quamuis in sanguinis missione liceat

Tex. 40.

Cap. 4. & 8.

Cap. 3. & 9.

Cap. 12.

ceat vſque ad quandam uirium diſſolutionẽ euacuare, tamen hoc non licet in purgatione: quia in ſanguinis miſſione poſſumus ſiſtere quãdo volumus, in purgatione verò, ultra quòd medicamenti quantitas eſt cõiecturalis, cum fuerit deuoratum , non eſt in noſtra poteſtate, vt ceſſet purgatio, quando libuerit. Et hac ratione, ſi eſſet aptum euacuare vſq; ad quandam uirium diſſolutionem, poterit ulterius progredi, & pro uirium diſſolutione, ſuccedere poſſet ſyncope, & mors. Et, ſi aliquis inſtaret, quòd Galenus in hoc cõmento concedit hanc purgationem, vſque ad animi defectum : ad remouendam omnem ambiguitatem dici poteſt, ꝙ, quemadmodum in affectibus maximis, qui fiunt ex plenitudine, eſt neceſſaria ſanguinis miſſio vſq, ad animi defectũ, ita ẽt in affectibus maximis, qui fiunt ex cacochimia, multoties eſſet neceſſaria purgatio vſque ad animi defectum: ſed veluti in ſanguinis miſſione, etiã, quòd requirat affectus hanc euacuationem, non facimus, niſi, iuxta Hippocratis ſententiam, virtus poſſit tolerare. eodem etiam pacto, non eſt facienda ad extremum purgatio, niſi uirtus conſentiat. Et, quoniam medicus non poteſt à purgatione ceſſare quando vult, & cum remediorum quantitas ſit coniecturalis; & ſic medicamenta poſſent pluſquàm oportet euacuare: Ideo, cum non ſimus certi, quòd virtus poterit talẽ, & tantam euacuationem ſufferre : nunquam vſque ad animi defectum debemus purgare: hoc enim licet facere in ſanguinis miſſione, quia, incipiente in pulſu defectu, quando libuerit, poſſumus ab euacuatione abſtinere. Sed, quòd nec in ſanguinis miſſione liceat hoc facere; tenuit ſtimulus medicorum Auerroes, qui contra Hippocratem, & Galenum ſeptimo ſui Colliget, hanc extremam euacuationem pluribus rationibus damnat: & primò inquit, Medicus debet naturam rectè operantẽ imitari: ſed natura nunquam euacuat vſque ad animi defectum: ergo nec medicus tali debet euacuatione uti. Secundo, in morbis, qui euacuatione indigent, medicus debet euacuare ſolum illud, quod præter naturam redundat, & ſuperfluum eſt: ſed in euacuatione vſque ad animi defectũ non ſolum euacuantur ſuperflua, ſed etiam, quod eſt infra mediocritatem: ergo nullo modo fieri debet. Tertiò, medicus debet habere pro ſcopo non ſolum ſanitatem, ſed uitæ cuſtodiam: ergo nunquam debet his vti, quæ ad extremum vitæ periculum, vel ad mortem ægrum deducunt: ſed ad hæc deducitur per talem euacuationem vſque ad animi defectum: ergo nullo pacto fieri debet. Et explicans periculum, inter alia inquit, quòd ad minus uirtus ex tali euacuatione remanet ſatis labefactata, & morbus non tollitur, quia remanet putredo: & poſtea uirtus non poterit ſufficere, pro putredinis curatione. Ideo concludit, quòd euacuatio illa extrema, & uſque ad animi defectum, nullo pacto

An liceat ſanguinem miſtere uſque ad animi defectũ. Cap. 8.

fieri debet. Sed nos, in hoc loco defendentes tantorum virorum sententiam, facilè ad Auerrois rationes respondemus. Et, quò ad primã, dicimus, ante omnia, quòd assumpta propositio nõ est omnino vera, quòd scilicet semper medicus debet imitari naturã rectè operantem: quia in libro de constitutione artis Galenus inquit, quòd medicus potest multa facere, quæ non potest facere natura: vt luxatos articulos reducere, & carnem superexcrescentem diminuere, & remouere. Secundò, dicimus, quòd nec est omnino verum, quòd particulariter dicitur de euacuatione, quòd scilicet natura nunquam euacuet vsque ad animi defectum; cum quotidiana experientia pateat, in multis naturalibus euacuationibus, etiam vtilibus, & iudicatorijs, ægros quandoque venire ad tantã imbecillitatem, vt sæpe sæpius exoluantur, & in animi defectum incidant; & de his dicebat Auicennas decimaseptima fen. tertij canonis, quòd, quando sanguis per hæmorroidas defluit, non est sistẽdus, priusquam ęger debilitetur, & animo deficiat. Ad secundam dicimus, quòd non est omnino verum, quòd medicus in euacuatione intendit solum euacuare quod est superfluum; quoniam principalis medici intentio est, curatio morbi; &, vt morbum curet, educit morbi causam; &, sicut in his, qui cadunt ab alto, venam incidimus, etiam si plenitudinis signa non adsint; vt prohibeamus futuram in parte affecta inflãmationẽ, & repletionẽ: eodem modo in febre synocha, & alijs affectibus calidissimis ex sanguine, sanguinem educimus, & in maiori quantitate, quàm redundet; vt ex euacuatione non solum remoueatur, quod est superfluum, sed etiam morbus curetur, cum per talem euacuationem corpus refrigeretur, & in contrarium habitum ducatur: educitur enim sanguis, & qui remanet, & erat efferuescens, refrigeratur, & contemperatur. Ad tertiã dicimus, quòd minimè verum est, quòd per sanguinis missionem, factã vsque ad animi defectum, æger ducatur ad maximum uitæ discrimen: quoniam, aliud est animi defectus, & aliud syncope; quod ipse non intellexit: quia animi defectus est cum vitalis facultatis perseuerantia: & ideo, ut supra diximus, illa uirium dissolutio, potest facilè recuperari: quod non accidit in syncope: & hac de causa est summopere periculosa. Ad id uerò, quod dicit de putredine, possumus respondere, quæ Galenus asserit vndecimo Methodi, vbi inquit, quòd, cum putredo nõ tollatur sanguinis missione; debemus aliquid de sanguine reseruare, vt virtus possit sufficere usque ad putredinis remotionem, & morbi curationem: quia oportet considerare uires, non solum quales sunt, sed etiam quales futuræ sunt post euacuationem. Ex quo loco, & ex his, quæ dixit nono Methodi, colligere licet, quòd, quando febris synocha est à à principio, & quamuis sit putris, tamen putredo non est admodum

Cap. 12. *Cap. 2.* *Cap. 14.*

aucta,

aucta, debet, & potest fieri sanguinis missio, usque ad animi defectum: quia illud paucum, quod de putrido remanet, facilè postea educi potest per paucos aliquos sudores; vel bilis vomitum, aut alui deiectioné, quæ necessariò in his postea superueniunt: vt eodem loco Galenus testatur. Si uerò febris synocha ulterius processerit, & putredo fuerit effatu digna, & multum aucta, tunc non debemus sanguinem mittere in tanta copia; sed aliquid de ipso reseruare, vt uirtus, usque ad omnimodam morbi solutionem, sufficere possit: relinquitur enim post euacuationem putredo, & febris, quæ, ut in totum abijciantur, particularibus, & proprijs indigent auxilijs. Et de his hactenus.

APHORISMVS XXIIII.

In acutis passionibus raro, & in principijs medicinis purgantibus uti; & hoc cum præmeditatione faciendum.

QVid faciat in hoc Aphorismo Hippocrates, non est facilè comprehendere: cum Galenus non apertè loquatur: & alij expositores auctoris mentem non attingant: inquiunt enim, quòd, cum dixisset, quòd oportet medicari concocta, non cruda, neque in principijs, nisi turgeat: in hoc Aphorismo explicat apertius exceptionem ibi positam, scilicet, quòd, turgente materia, licet à principio purgare: & inquit, quòd in acutis passionibus raròdebemus vti medicamentis purgantibus, & hoc debet fieri in principijs, quando scilicet materia fuerit turgens: & hoc etiam faciendum est cum multa præmeditatione. Cui introductioni, & expositioni uidetur astipulari, quod inquit Galenus in Commenti principio, asserens, paulo ante dictũ erat concocta medicari, atque mouere: non cruda, neque in principiis, nisi turgeat: nunc autem, quòd circa principia acutarum ægritudinum tantum contingat purgare, vtiliter nos docet; & hoc ipsum debet cũ multa cautione, & præmeditatione fieri. Sed, ut uerum fatear, istorum sententia non omnino mihi placet; quoniam, si iuxta Galeni sententiam, Hippocrates hìc solum vellet explicare, quòd in acutis passionibus raròdebemus uti medicinis purgantibus; & quod hoc debet fieri in

principijs morborũ; tunc nihil penitus Galenus diceret in expositione illius particulæ, & hoc cum præmeditatione faciendum. Vbi inquit, quòd Hippocrates, per Præmeditationem, intellexit, diligentem examinationem, vel recti iudicij expectationem, vel ægri præparationem, vel omnia hæc simul. Quibus non correspondet, quòd Hippocrates intendat solum explicare, quòd raro debemus uti medicinis purgantibus in morbis acutis, & hoc debet fieri in principio: quia, si in principio, non poterit fieri cum recti iudicij expectatione, hoc est cum expectatione crisis, quæ non fit à natura, nisi in fine vigoris, præcedente coctione. Præterea, Aphorismo sic intellecto, semper tutius esset in morbis acutis purgare in principio, quàm quolibet alio tempore. quod minimè uerum est; quia, si potest expectari concoctio, melius esset purgare in fine uigoris: quod ipsamet natura docet, quæ non euacuat, nisi eo tempore, facta prius coctione. Ideo, si in morbis acutis apparerent omnia signa saluberrima, qualia ab Hippocrate describuntur tertio Prognosticorum; medicus tutò posset naturæ actionem expectare; &, si, facta coctione, non fuerit valida ad expellendum, tunc arte supplere. Et propterea ab istorum sententia recederem; & maximè, quia, si hoc modo hunc Aphorismum intelligimus, in tractatu de vtendi modo, quem Hippocrates in hac libri parte circa euacuationem intendit explicare; aliquid summopere necessarium esset ab eo derelictum: ad vtendi enim modum euacuationis attinet, non solum, per quam regionem debet fieri euacuatio, quo tempore, & utrum vna vice, uel pluribus; sed etiam utrum corpus euacuandum sit ad euacuationem præparatum, vel potius ineptum: quia oportet scire, tum ex parte humorum, si sunt fluxiles, & ad euacuationem parati; tum etiam ex parte uiarum, per quas debet fieri euacuatio, si sunt apertæ, & aptæ, vt per eas noxij humores educi possint. &, meo iudicio, Hippocrates in hoc Aphorismo à suo instituto non recedens, nil aliud intendit principaliter explicare, nisi quòd ad euacuationis utendi modum, vltra alia, medicus debet animaduertere, utrum corpus euacuandum sit paratum, uel non paratum ad euacuationem: &, si est paratum, cæteris consentientibus debet euacuare; si verò non fuerit paratum, debet, si fieri potest, parare; &, si hoc non est possibile, debet à vacuatione abstinere. &, uolens Hippocrates hoc docere, simul, & semel inculcat, & docet, quàm necessarium sit hæc omnia considerare; ex eo, quòd purgantia medicamenta sunt admodum periculosa, & maximè in morbis acutis, in quibus illis raro debemus uti, & non

Tex. 2.

solum

ſolum raro in alijs temporibus, ſed etiam in principijs, quia aliò mate-
ria turget: &, quādo turget, & poſſumus alijs præſidijs ſupplere, melius
eſt, vt à purgatione abſtineamus; &, quando neceſſaria eſt medicamenti
adhibitio, aliquādo etiam abſtinere oportet ob corporis purgandi ine-
ptitudinem. Ideo (meo iudicio) Hippocratis ſententia in hoc loco eſt, q
vniuerſaliter in quolibet morbi tempore, debemus raro medicamentis
purgantibus vti: & hoc oportet obſeruare etiam in principijs; in qui-
bus, ſi turget materia, ſuperius dictum fuit, conuenire, & quando a ne
ceſsitate coacti purgamus, tunc eſt faciendum cum maxima præmedi-
tatione; omnia ſcilicet examinantes, & rectum iudicium, ſi fieri poteſt,
expectantes: &, ſi hoc non eſt poſſibile, animaduertentes, ſi corpus eſt
ad purgationem paratum, & , ſi non eſt paratum; debemus conari, vt
ex imparato, paratum fiat; arripientes occaſionem ipſum præparandi;
vt inquit Galenus in Commento. Et hæc, quoad craſſam literæ miner-
uam. Sed iam ſingula verba ponderemus. *In acutis paſſionibus*. De-
claratum eſt in præcedentibus, quid ſit morbus acutus, & quotuplex: *Aphor. 4.*
&, ſi bene conſideramus, quæ inquit Ariſtoteles ſecundo de anima,
& tertio de generatione animalium, acuties, ſiue conſideretur in ta-
ctu, in quo propriè dicitur acutum, & graue, ſiue obtuſum; ſiue conſide *Tex. 86.*
retur in auditu, ad quem poſtea hæc nomina ſunt translata; conſiſtit *Cap. 7.*
in velocitate motus: dicitur enim acutum, quod velociter mouet ſen-
ſum; & graue, quod tarde; ſed non propter hoc, idem eſt velox, & acu-
tum. Plato in Theaeteto inquit, illos eſſe acutos, uel acuti ingenij, qui
velociter omnia diſtinguunt, & ſeparata iudicant: Et Galenus, ſtan-
do in eodem ſignificato, dicebat ſexto Epidemion, exponens uerba
Hippocratris, Febrium quædam ſunt acutæ, & ſtatim à manu uincun- *Comm. 1.*
tur: quòd illæ febres, quo ad tactum, ſunt acutæ, quarum calor ſta- *Comm. 25*
tim, manui tangentis, ſe offert, & ſui velocem motum oſtendit: & ſub-
iungit: Sic acutos aliquos dicimus, quod perinde eſt, ac ſi cele-
res diceremus: & morbos dicimus acutos, qui ſua tempora, uſque
ad finem cito pertranſeunt. Ex quibus patet, quòd acuties in om-
nibus, in quibus uel propriè, vel per tranſlationem dicitur, conſi-
ſtit in motus uelocitate. Et hac ratione Galenus primo Epidemion
dicebat, Acutiſſimi ſunt morbi, qui ſatis velociter ſua tempora per-
tranſeunt: & ſecundo de diebus decretorijs, Multis nominibus lau- *Comm. 3.*
dandus eſt Archigenes, qui non numero dierum, ſed motu, & natu- *Cap. 12.*
ra, acutos morbos iudicabat. & ſubiungit, quòd ipſe multoties di-
ſtinxit acutos à non acutis, ſolo motu: quod confirmauit tertio de
diebus decretorijs: quo loco etiam perbelle declarat, non eſſe *Cap. vlt.*
idem cito terminari, & velociter ad finem moueri: eſt enim motus

Tex. 96. velox (teste Aristotele quarto Physicorum) qui in pauco tempore multum spatium pertransit; & ideo, illi morbi, qui citò terminantur, quia paucum spatium percurrunt, debent dici breues, & non acuti; quia ad acutiem requiritur non solum, ut cito terminetur; sed etiam, vt, in toto illo pauco tempore, velociter moueatur; & sic multum spatium pertrã seat; &, quia hoc non potest esse sine violentia, cum fiat mutatio affatim, & subito ad habitum præter naturam; ideo dicebat Aristoteles primo Problematum, *Probl. 6.* Morbi acuti, sunt uiolenti; & ob violentiam comitantur sibi febrem. Et sic habemus, in quo consistat acuties. ad quod *Comm. 19.* exprimendum Galenus secundo Aphorismorum dixit, quòd ad morbum acutum requiritur, vt citò terminetur, & magnitudinem habeat: quæ duo includuntur in motus velocitate: quoniam, si uelociter moue tur, oportet, vt citò terminetur: oportet etiam, ut habeat magnitudinẽ: mutatio enim tanto est maior, & violentior, quanto est magis repentina, & fit citius: quia est naturæ magis inimica, cum non patiatur repentinas mutationes: & ideo mutatio cum uelocitate motus, non potest esse sine magnitudine: & hac ratione, quãuis ephemera citò terminetur, quia tamen non habet hanc velocitatẽ in motu, caret magnitudine, & nõ est morbus acutus. Et morbi dicuntur magis, aut minus acuti, per id, quòd magis, vel minus velociter per sua tempora mouentur; ideo illi, qui terminantur quatuor diebus, dicuntur exquisitè peracuti, quia maximam habent in motu velocitatem, & citissimè sua tempora per- *Comm. 23.* currunt; quia in istis, vt inquit Galenus secundo Aphorismorum, ob alterationis violentiam, natura est coacta, cum morbo cito aggredi pu- *Aph. 4.* gnam, in qua vel superabit, vel superabitur; & sic citò morbus finietur, vel ad salutem, vel ad mortem. *Passionibus.* Dictum est etiam suprà, ꝙ, quamuis pathos, siue passio, differat à morbo, quia pathos est in fieri, & morbus est in facto esse; pathos consistit in alterari, & morbus est illud alteratum, quod post alterationem remanet: tamen antiqui vtebantur *Comm. 28.* nomine Passionis etiam in ipsis morbis, sicut dicitur causa, quę fecit, & nunc non facit; &, vt inquit Galenus tertio Aphorismorum, Hippocrates vtitur nomine Passionis, non solum in morbis diutinis, sed etiam in acutis: vt in hoc Aphorismo: & sic per acutas passiones, hìc intelligit morbos acutos. *Raro, & in principijs.* Præcipit, vt in acutis morbis raro vtamur medicinis purgantibus: & hoc propter multas rationes: primò, quia, vt inquit Galenus in Commento, omnia medicamẽta purgantia sunt calida, & sicca; & morbi acuti habent secum cõiunctam febrem continuam; &, cũ simile à simili in maiori gradu augeatur, medicamenta semper ratione febris nocebunt, & ideo exhiberi non debẽt; nisi adeo magnum ex euacuatione speretur commodũ, vt omnino su-

peret

peret incommodum; quod ſequitur ratione febris, quæ ex medicamentorum exhibitione augetur: &, cũ hoc raro contingat, raro etiam debemus medicinis purgantibus vti. Secundo raro debemus illis vti, præcipuè in illis acutis, in quibus aliqua pars eſt phlegmone affecta; quia, vt inquit Galenus ſecundo de ratione victus in acutis, ſatis periculoſum eſt in morbis exhibere purgans medicamentum in minori quantitate, quàm oportet: cum moueat, & non educat, & ſic humores agitati facilè repunt ad aliquam partem principem, & facillimè ad partẽ affectã: humores etiam, cum ſint in motu, & non poſſint à natura ſic in agitatione regulari, facilius putreſcunt: periculoſum eſt etiam exhibere medicamentum purgans in maiori quantitate, quàm oportet: quia ſequitur corporis conſumptio, & tabefactio, ac virium diſſolutio. Quæ omnia facilius in alijs morbis corriguntur, quàm in acutis; in quibus, ob eorũ velocitatem, & vehementiam, occaſio eſt præceps, & non datur ſic faciliter remedio locus. Tertio debemus raro in acutis vti purgantibus medicamentis, ob id, quod hæc omnia ſunt à natura noſtra aliena, & deleteria, ac venenoſa; &, cum veneni ſapiant naturam, debemus, quantum poſſibile eſt, ab eis abſtinere, vt habemus libro quos, quibus, & quando, & ſecundo de ratione victus in acutis, tertio ſimplicium, & ſexto Epidemion. Concludendum ergo, quòd raró in acutis debemus purgantibus vti: & illud Raró erit, quando probabili coniectura aſſequimur, multo maius ad euacuationem ſecuturum eſſe commodum, quàm poſsit eſſe incommodum, quod ſequi poſſet ad medicamentũ. Et Hippocrates, vt vis medicamentorũ deleteria, & venenoſa corrigatur, iubet ſecundo de ratione victus in acutis, vt cum eis admiſceamus odorata, & aromatica: & Galenus in hoc Commento inquit, quòd tunc ad euacuationem ſequitur maxima vtilitas, quando humor, qui eſt noxius, facilè poterit euacuari: & hoc ſuccedet, ſi ipſe fuerit ad euacuationem paratus, & nõ adſit in corpore impedimentum; in vijs ſcilicet, per quas fieri debet euacuatio: & hoc eſt, quod docet in hoc Aphoriſmo; quod in euacuatione eſt maximi momenti. *Et in principijs.* Iubet Hippocrates, quòd etiam in principijs debemus raro vti medicinis purgantibus; quia eo tempore nõ licet purgare, niſi turgeat; & in omnibus caſibus a nobis explicatis, in quibus demonſtrauimus, vel morbum, vel materiã turgere: nec ſemper quando turget, eſt purgandũ; quia, ſi corpus non eſt ad euacuationem paratum, etiam ſi turget, à purgatione abſtinendum. &, cum medicamenta purgantia, maximè quibus vtebantur antiqui, ſint adeo periculoſa, quando poſſumus ſanguinis miſsione ſupplere, etiam ꝙ purgatio fuiſſet magis conueniens, Galeno, ſecundo de ratione victus in acutis, præcipiente, debemus à purgatione abſtinere. Et ideo hac etiam ratione

Comm. 11. Comm. 12. Cap. 23. Comm. 6. Comm. 8. Loco alleg. Comm. 11.

debem[illegible] in acutorum principijs purgare: tenemus enim, quòd benè verum est, quòd non sit purgandum à principio, nisi morbus, aut materia turgeat, sed non valet è contra, quòd, quando morbus, aut materia turget, est necessariò à principio purgandum: potest enim esse corpus ineptum, & potest etiam quandoque medicus, loco purgationis, alijs auxilijs supplere, ut dictum est, & [illegible] hoc, & [illegible]; quandoque morbus, etsi peracutus sit, & turgeat, tamen sanguinis missione, & non purgatione indiget, & maximè per medicamenta, quibus ipsi vtebantur. Et est animaduertendum, quòd per Principium non intelligit primum morbi insultum, nec principium, vt est morbi tempus, & contra distinguitur ad augmentum, vigorem, & declinationem; sed per Principium intelligit primos morbi dies. Ideo Galenus inquit in Commento, quòd in quibus oportet, debemus purgare in primo morbi die, vel nõ vltra secundũ, iuxta Hippocratis sententiam quarto Aphorismorũ: Medicari in valde acutis, si materia turget, eadem die; tardare enim in his malum. Hinc patet, quantum aberrent nostri temporis medici, qui, in propinandis à principio medicamentis, semper expectant quartam diem: contra quos exclamat etiã Galenus quarto de ratione victus, qui, reprehendens illum auctorem, inquit, quarta die medicandũ indistinctè pronunciauit: neque enim inter initia aliquod remediorũ huiusmodi ægro iniungere oportet, desumpto à numero dierũ scopo; sed, quod Hippocrates recensuit, est exequendum. Nam vel statim ab initio priusquam in partem aliquam confirmentur humores, medicandum; vel postea, cum ad maturitatem perducti fuerint. Quam ob causam, & prima interdum die, & secunda, & quarta, & interdum quinta medicamenta dedimus, & nõ in quarta solum, quo modo is dixit. *Medicinis purgantibus vti.* Per Medicinas purgantes intelligit medicamẽta, quæ à proprietate aliquẽ humorẽ educunt: & hoc ratione similitudinis, siue familiaritatis totius substantiæ: & propriè debemus intelligere illa, quibus tunc vtebantur, vt peplium, elleborũ, collocynthis, elaterium, & alia huiusmodi, quæ sunt admodũ laboriosa, & veneni naturam redolẽtia; &, quo ad primas qualitates, in quarto ordine calefacientia, & exiccãtia. Ideo Galenus dicebat secũdo de ratione victus in acutis, medicamenta soluẽtia omnia esse præter naturam, & deleteria; & in hoc Cõmento inquit, quòd illis rarò debemus uti, quia sunt calida, & sicca; & quarto Aphorismorũ asserebat, ꝗ sub cane, & ante canẽ difficiles sunt medicationes; quia exusta tunc natura non suffert medicamentorum acrimoniam. Vt ex istis etiam liceat concludere, ꝗ (vltra quod prius multis rationibus probatum est, esse à principio purgandum in aliquibus casibus, etiam quòd materia non moueatur de loco ad locum) nostri temporis medici,

Aph. 10.

Comm. 76.

Comm. 11.

Comm. 5.

dici, ob medicamentorum benignitatem, quibus nunc ars medica abundat, sæpius, & tutius possunt ad purgantium medicamentorum exhibitionem descendere; & non esse mirum, si Hippocrates in purgando, fuit adeo timidus: sic & Galenus: cùm non haberent nisi medicamenta laboriosissima, & quibus in morbis acutis erat impossibile vti, sine maximo vitæ discrimine. At nostri temporis medicamenta, non solum non sunt laboriosa, & deleteria, sed maior illorum pars est apta nutrire, & conuerti in substantiam aliti, quod ex diametro pugnat cum deleterijs; & hoc patet de manna, cassia fistula, saccharo violaceo, syropo de nouē infusionibus violarum, & rosarum, & de thamarindis: rhabarbarum verò, etsi non possit assimilari, & nutrire, tamen esse medicinam, vt aiunt, benedictam, quæ potest dari omni tempore, & ætate, & etiam prægnantibus, testatur Mesues; qui medicorum euangelista fuit nuncupatus: & Aueroes quinto sui Colliget inquit, ꝙ solum rhabarbarum, inter medicamenta purgantia, caret venenositate; & non solum est tutum, & cōfortandi vim habet omnes corporis partes; sed etiā, si cum alijs miscetur, corrigit venenositatem omnium aliarum medicinarum: & medici quotidiana experientia hæc omnia vera esse obseruant. Ideo, si nostri tēporis medici, sunt ad purgationem antiquis promptiores, non sunt reprehendendi: quia ad eorum, quibus vtuntur, exhibitionem, non possunt incommoda adeo multa succedere, vt ad antiquorum medicamenta facilè sequebantur. Non tamen propter hoc laudo, quod plures medicorum faciunt, qui statim à principio quasi indifferenter in omnibus morbis purgant, & postea, tribus adhibitis syropis, purgationem reiterant: adeo ꝙ difficile erit, videre ægrum, qui per sexdecim dies morbo laborauerit, & tres, aut etiam quatuor purgantes potiones non ingurgitauerit. quod est omnino erroneum. quia, etsi nunc, ob medicamentorum benignitatem, tutius, quàm apud antiquos, purgare liceat: tamen hoc licet facere in principio, quando natura est valida, & nondum labefacta: & facta minoratione in principio, non conuenit purgationem reiterare, nisi in fine vigoris, facta coctione. si post coctionem natura fuerit pigra in expellendo, vel etiam in intermedio tempore, si aliquod summoperè vrgens symptoma superueniat, vt delirium, sopor profundus, & aliquid huiusmodi: tunc enim, vt magnitudo affectus inhibeatur, & ne nouus introducatur, & confirmetur morbus, purgans medicamentū exhiberi potest: quod non licet facere, si augentur symptomata, quæ solum sequuntur morbi naturam, & tempora: quoniam in istorum augmento, Hippocratis præcepto, melius est abstinere: dicebat enim, dum verò consistunt, ac vigent, quietem habere melius est. Et hic asserit, ꝙ in acutis passionibus, raró, & in principijs debemus vti medicinis purgantibus.

Cap. 42.

2. Aph. 29.

gantibus, quod quamuis principaliter intelligatur de venenosis, & laboriosissimis medicamentis; tamen verificatur etiam quodammodo in istis, quibus nunc vtimur: quia, etsi tutiora sint, negari tamen non potest, ꝙ corpus turbent, & quòd vires reddant imbecillas, & quòd etiam mouendo, & agitando coctionem impediant, tamen si nō adeo, vt illa. *Et hoc cum præmeditatione faciendum.* Vult per hæc Hippocrates, quòd, quando vti oportet medicamentis purgantibus, quia morbus vrget, & id requirit, adhuc oportet illis vti cū præmeditatione, & cautione multa: & hoc est illud, quod principaliter intendebat in hoc Aphorismo: vt prius dictum est. Per Præmeditationem autem, iuxta Galeni sententiā, possumus, & debemus intelligere diligentem examinationem, recti iudicij expectationem, & corporis euacuandi præparationem. Quò ad primum, debemus diligenter examinare, an medicamentū exhiberi debeat: scimus enim, quòd, ratione febris, quæ est passio calida, & sicca, & à calidis exacerbatur, nocebit: & ideò, in morbis qui associant sibi febrē continuam, non debemus talia exhibere medicamenta, nisi adeo multū speretur ex euacuatione iuuamentum, vt sine dubio nocumētum, quod sequitur ratione febris, superare possit: vt asserit Galenus in Commento. Ad cuius sententiæ intellectum est sciendum, quòd in febribus acutis, & in morbis acutis cum febre, aliam indicationem sumimus à morbo, & aliā à causa: &, quia morbus auferri non potest, non sublata prius causa, vt habemus decimo Methodi: ideo oportet prius attendere ad id, quod indicatur à causa, & eam abscindere; deinde, abscissa causa, venire ad id, quod indicatur à morbo, & est eius curatio, quæ per contrarium efficitur; ideo dicebat tertio artis medicinalis, quòd in morbis fientibus, qui habent partem factam, & futuram, oportet prius attendere ad futuram, abscindendo morbi causam; deinde venire ad partem factam, per contraria curando morbum: semper enim indicatio, quę in curatione sumitur à causa, est ratione partis futuræ, & non ratione partis factę, vt diximus in expositione tertij artis medicinalis: & clarius explicabimus in secundo Aphorismorum. Ideo dicebat Galenus duodecimo Methodi, quòd indicatio, quæ sumitur à causa, semper est præseruatiua; quoniam, attendendo ad causam, & ipsam abscindēdo, prohibemus, ne morbus foueatur, & augeatur, sed non remouemus morbum factū, qui non euacuatione, sed alteratione curatur: febris enim est intemperies, & per contrariam qualitatem reducitur ad symmetriam, & remouetur. Et hac ratione Galenus dixit, quòd, cum purgantia medicamenta sint calida, & sicca ratione febris, & facti morbi: non solum non iuuant, sed nocent; quia ipsam augent, sed iuuant ratione causæ, quia ipsam remouent, & foras educunt. Quocirca talia medicamenta sunt exhibenda,

Cap. 1.

Tex. 41.

Aph. 22.
Cap. 6.

quando

quando iuuamentum multum superare potest nocumētum: & hoc erit, (inquit Galenus) si totus humor poterit commodè educi, & nullū adsit in vijs impedimentum. Debemus etiam purgare cum præmeditatione, hoc est cum recti iudicij expectatione: quia, cum medicamēta hæc sint admodum periculosa, si ex signis rationabiliter sperari potest, quòd natura morbum, & morbificam causam superabit, & morbum iudicabit, debemus ab illis abstinere. Sed, si, expectato recto iudicio, vel nulla, vel imperfecta sequitur crisis, tunc purgans debet exhiberi medicamentū, vt suppleamus, in quo natura deficit. Sed hæc non sunt intelligenda de purgatione facienda in morbi principio, sed in fine vigoris, quando natura, facta concoctione, deberet euacuare, & non euacuat. Et nostris tēporibus circa id, quod nunc dictum est, possunt medici à principio esse quodammodo securiores in purgatione exhibenda, & non expectare naturæ actionem, & futurum morbi vigorem: non sequuntur enim ad medicamenta, quibus nunc vtimur, incommoda, quæ sequebantur ad illa, quibus vtebantur antiqui. Et propterea non est mirum, nec reprehensione dignum, si sæpius, quàm antiqui, à principio purgamus. Oportet etiam cum præmeditatione à principio purgare: animaduertētes, si corpus euacuandum est aptum, vel ineptum, ad purgationem; quod est in arte summoperè necessarium, & est illud, quod principaliter in hoc Aphorismo explicare intendit Hippocrates. Et, quemadmodum, præparatio, vt superius dictum est, consistit in duobus; in humoribus scilicet, qui debent euacuari, debent enim esse fluxiles, & ad euacuationem parati; & in vijs, per quas fieri debet euacuatio, quæ debent esse apertæ, & ab omni impedimento liberæ: ita corpus redditur ad euacuationem ineptum, & imparatum per ea, quæ dictis sunt contraria: si scilicet humores euacuandi sunt crassi, & lenti, ac ad euacuationem inepti; & viæ, per quas fieri debet euacuatio, sunt impeditæ: impediūtur verò, vel propter aliquam obstructionem in præcordijs, vt magna existente obstructione, vel in iocinore, vel in venis meseraicis, vel propter aliquam inflammationem: quia ad inflammationem in eisdem vijs, vel in partibus adiacentibus, sequitur ex meatuum compressione etiam obstructio, siue astrictio, vt habemus primo de tuēda valetudine, & libro de morborum causis. Vijs enim impeditis, est impossibile, vt bona succedat euacuatio. Redditur etiam ad purgationem ineptum corpus, si circa ventriculum, intestina, venas meseraicas, & cauum iocinoris, fuerit inflammatio, ob aliam causam satis consideratione dignam: & est, quia, ibi existente inflammatione ex attractione, quæ fit à medicamento existente in ventriculo, fiet attractio ad partem affectam, & debilem: & sic inflammatio augebitur. Et hac de causa, quando inflammatio est in parte ven-

Cap. 12.
Cap. 7.

tè ventriculo propinqua, vel non oportet purgare, vel debent adhiberi medicamenta purgantia, quæ non sint admodum valida; ita quòd trahere non possint à longinquo, sed educant solum, quæ sunt in partibus propinquissimis, vt præcipiebat Galenus septimo Methodi. Possunt etiam viæ impediri ob præcedentem cruditatem, si ex ea, in primis venis abundant crassi, & crudi humores, & nisi prius fuerint dicti humores attenuati, & incisi, & per consequens viæ, per quas est facienda euacuatio, sint referatæ, non est adhibenda purgatio. Et hæc ex parte viarũ. Ex parte verò humorum iam dictum est, quòd corpus ad purgationem redditur ineptum, si fuerint crassi, & viscidi. Sed, vt diximus in præcedentibus, ex quarto de tuenda valetudine, humores, qui ante euacuationem ob eorum crassitiem, & lentorem sunt attenuandi, & incidendi, nõ semper sunt illimet, qui sunt morbi causa & quorum ratione principaliter instituitur purgatio: sed quandoque sunt alij humores, qui sunt in vijs, per quas fieri debet purgatio, &, illas obstruendo, sunt impedimento, ne humores, qui sunt morbi causa, & in venis abundant, possint euacuari. Et Galenus, quando in materia turgente in Commento, præparat per ea, quæ incidunt, & attenuant, si ex abundantia crassorum, & lentorum humorum, corpus fuerit ad purgationem ineptum: vnde vel oportet à purgatione abstinere; vel oportet arripere occasionem propinandi mellicratum, in quod decoctum fuerit aliquid hysopi, origani, tragorigani, thymi, & pulegij, non præparat, nec talia exhibet ratione materiæ turgentis, præcipuè illius, quæ mouetur de loco ad locum: quia humor ille furens est, & tenuissimus, & nullum habet lẽtorem, aut crassitiem; & ideo attenuatione, & incisione non indiget: sed præparat humores crassos, & lentos, existentes in vijs intermedijs; per quas materia turgens, quæ in venis redundat, debet euacuari. Et hoc est summoperè animaduertendum: quoniã ferè omnes in hoc loco cęcutierunt; existimantes Galenum, ratione turgentis materiæ, attenuantia, & incidentia exhibuisse: & tamen illa tali præparatione non indiget: sed in eius euacuatione requiritur solum præparatio, quæ attinet ad vias, per quas fieri debet euacuatio. Ideo, si in illis adfuerint crassi, & tenaces humores, vel oportet à purgatione abstinere, vel arripere occasionem, vt illos attenuemus, & incidamus ante purgationem: & hac etiam de causa, si materia turget, purgantia medicamenta sunt exhibenda, cum maxima cautione, & præmeditatione. Et, quoniam, ex crapulis, & cruditatibus sępe sæpius, si non multi, ad minus aliqui viscidi, & crassi humores circa ventriculum, intestina, & primas venas facilè reperiuntur; ideo nostri temporis medici, abstinentes à multum calidis, ne febrem augeant, vtũtur aliquibus, quæ quamuis non habeant tantam præparandi vim, tamẽ sunt

Cap. 11.

Propria positio.

sint tutiora; vt est syropus acetosus, & oxisaccharum: quod obseruant præcepto eiusdem Galeni, qui octauo, & vndecimo Methodi, præcipit, vt in febribus eligamus ea incidentia, & attenuantia, quando his indigemus, quæ quantum fieri potest febrem non augeant, eligentes inter ea minus calida, & ipse eligit ptissanam, mulsam, & oximel: & nos vtimur ptissana, & loco mulsæ, vtimur aqua ordei cum saccharo: saccharum enim non æquè vertitur in bilem, & per consequens non inflāmat vt mel: & loco oximellitis, nisi multa crassities, & lentor adsit, vtimur oxisaccharo, & syropo acetoso, qui ex saccharo, & non ex melle componuntur: sed antiqui vtebantur melle; quia carebant saccharo: & ratione aceti incidunt, & attenuant; &, cum acetum infrigidet, febrem non augent, sed curant. Et hac ratione Auicennas adeo extollit, & laudat syropum acetosum, cum possit in febribus exhiberi tū ratione causæ, tum ratione morbi; siue abundent humores crassi, & frigidi, siue tenues, & calidi. Quidam in huius Aphorismi expositione multa dicit: & primò circa id, an purgatio conueniat à principio, tenet, quòd non conuenit, nisi materia turgeat, & de loco ad locum moueatur: sed postea in alijs cōcedit à principio cassiam fistularem, mannam, & omnia alia, quæ nos diximus, præter rhabarbarum. Sed ex his, quæ prius diximus, eius rationes facillimè soluuntur, & maximè, quia non concludunt, nisi quodammodo loquendo de medicamentis laboriosissimis: nec etiam in illis de necessitate: fuit etenim superius demonstratum, quòd in materia multa, venenosa, & quæ tendit ad membrum princeps, si excitant morbum acutum, conuenit à principio purgatio, & debemus esse in purgando liberaliores, quàm fuerint antiqui; cū benignissimis in hoc tempore vtamur medicamentis, quibus exhibitis, non de facili incommoda effatu digna succedere possunt. Et inter alia iste dicit, quòd non debemus purgare à principio, nisi materia turgendo moueatur de loco ad locum: quia, cum ignoremus, an natura intendat per sudorem, per vrinam, per aluum, vel per aliam regionem, euacuare; ex Medicamento exhibito impeditur eius actio. Quod (meo iudicio) fuit satis inconsideratè prolatum: quia, cum natura, post factam coctionem, & secretionem, euacuet, periculum immineret, quando, coctione præcedente, & instante crisi, medicus euacuaret; quòd si euacuat, quando cum non præcesserit coctio, nulla est crisis suspicio, non video, quomodo dictū inconueniens sequi possit. Addit etiam aliud (meo iudicio) satis reprehensione dignum: & est, quod in febre pestilentiali, quando apparent maculæ, quæ vulgo *Petecchie*, siue *Lentechie* appellantur, medicus debet cauere ab omni euacuatione, & solum per eandem regionem prouocando, ad cutim debet naturam adiuuare; insecutus in hoc vulgus

medicorum;

medicorum; qui, prima artis medicæ rudimenta penitus ignorantes, diu in hoc errore versati sunt. Sed animaduertere debuissent, quòd quælibet euacuatio, vel fit natura expellente, quod noxium est; vel ratione magnitudinis, & prauitatis morbi, fit potius casus, & symptomatis ratione: & hæc, vel fit natura ob morbi prauitatem irritata ad expellendum; vel quia non potest continere, vt quarto Aphorismorum Galenus testatur. Et naturalem, siue criticam expulsionem, à symptomatica, Hippocrates in hocmet libro ex conferentia, & tolerantia, quæ sunt in qualibet euacuatione consideranda, distinguere docuit. & ideo eadem regula est procedendum in euacuatione, quæ in febre pestilentiali fieri solet ad cutim; quia, si fit natura regulariter operante, & ad cutim expellente, quod noxium est; sequitur de necessitate conferentia; & tunc debemus per eandem regionem adiuuare naturam: & esset omnino à ratione alienum nouam euacuationem moliri. Sed, si fuerit symptomatica, ita, vt nec conferentia, nec tolerantia sequatur, tunc non est adiuuanda; & satis erit ipsam non impedire: cum dicat Hippocrates quarto Aphorismorum, in medicationibus talia educere, qualia & sponte prodeuntia vtilia: quæ verò contrario modo fiunt, cohibere oportet. Sed, quòd cohibitio fieri debeat solùm, quãdo symptomatica euacuatio fit, non potente continere natura; & non quando ab humorum acrimonia, & prauitate irritata expellit, aliàs declarabimus. Et circa dictarum macularum apparitionem dicendum est, quòd oportet distinguere, &, si sequitur tolerantia, natura est adiuuanda per eandem regionem; si verò nulla conferentia, & tolerantia sequitur, tunc licet purgare, & sanguinẽ mittere iuxta prædominantis humoris differentiam. Et aduersariorum ratio est nulla, quia debemus adiuuare naturam, quando rectè, & regulariter operatur, & non quando est irritata, aut ob imbecillitatem non potest continere. Et, si bene animaduertimus, hac Methodo procedentes, inueniemus faciendum esse totum oppositum eius, quod concludunt: quia vt plurimum illis maculis apparentibus oportet aliquã euacuationem moliri, cum vt plurimum appareant symptomaticè, & cum ægrorum deterioratione; & rarissimè ex earum apparitione huiusmodi febres iudicantur. Nec debet videri mirum; quod enim ad cutim expellitur, non est humor, cum nullum excitet tumorem; sed potius est vapor, & prauæ materiæ quidam veluti fumus: & ideo est potius signũ prauæ materiæ, & malignæ intus latentis, & putrescentis, quàm quòd per illam regionem materia educatur: &, si ex illis dignoscimus prauã, & malignam intus abscondi materiam, debemus noua machinari remedia, per quæ foras possit educi. Et de his hactenus.

Comm. 2. *Aph. 2.*

APHO-

APHORISMVS XXV.

Si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuius ferunt; sin minus, contrà.

CVm Aphorismus iste fuerit ad verbum scriptus in præcedentibus, fuit à multis tanquã superfluus existimatus; vel, vt saluarent Hippocratem, dixerunt, quòd non est mirum, si quandoque idem bis, & ter videtur repetere; quoniam, vt Galenus quinto Aphorismorum asserit, quamuis Hippocrates fuerit breuitatis summoperè studiosus, tamen eum non piguit idem bis, & ter repetere, si illud ad artem fuerit maximè necessarium. Galenus verò, si bene animaduertimus eius verba in Commento, videtur innuere, quòd, quamuis hic includatur in illo, In perturbationibus ventris, & vomitibus spõtinis, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferũt; sin minus, cõtra: Nihilominus ponitur hìc sub alia ratione. quod enim ibi dixit in naturalibus, & spontinis euacuationibus, hìc reperit in his, quæ à medico fiunt, purgationibus. Vt verò intelligatur Galeni sententia, & clarè pateat, hunc Aphorismum non esse superfluum, est, quod pluries diximus, memoriæ reuocandum, quòd scilicet Hippocrates in hac Aphorismorum particula tria intendebat de victus ratione, & euacuatione tractare; qualitatem, quantitatem, & vtendi modum: &, loquendo de euacuatione, ad quã attinet hic Aphorismus, circa eius qualitatem dixit, Si talis fiat, qualis fieri debet, confert, & leuiter ferunt; sin minus, contra: quia in spontinis euacuationibus, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt. De quantitate dixit, quòd extremæ euacuationes, & repletiones sunt periculosæ: &, cum in quantitate non haberet certiora signa in illo Aphorismo, Quæ euacuantur, non multitudine sunt æstimanda: sed, si talia purgentur, qualia purgari oportet; confugit ad conferentiam, & tolerantiam: & vult, vt tantum de humoribus euacuemus, quantum possunt vires sufferre: sufficit enim, vt euacuentur talia, qualia oportet, & virtus toleret. Circa vtendi modum, considerauit, per quam regionem fieri debet euacuatio, quo tempore, & vtrum vnica vice, vel pluribus: & quando non solum alia affuerint, sed etiam corpus sit ad euacuationem paratum: quia scilicet humores sunt apti ad euacuationem, & viæ sunt apertæ vt commodè per eas fieri possit euacuatio. Sed, cùm ad dignoscendũ omnia necessaria fuisse in euacuatione obseruata, nullum habeamus certius signum, quàm testimonium ex euentu; si scilicet ad euacuationem sequitur tolerantia, & con-

Comm. 64.

Aph. 2.

Aph. 2.

Aph. 3.

& conferentia: ideo etiam hìc loquendo de vtendi modo addidit, Si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt: si enim confert, & leuiter ferunt, est signum certissimum, quòd per regionem conuenientem, tempore opportuno, & quantitate viribus proportionata, ac humoribus existentibus præparatis, & vijs apertis, facta est euacuatio; quia, si non affuissent hæc omnia, nõ esset secuta conferentia, & tolerantia. Adeo quòd tolerantia, & conferentia, faciunt nobis innotescere non solum qualitatem, & quantitatem, de quibus habemus manifestissima Hippocratis, & Galeni testimonia; sed etiam vtendi modum: cum, primo de ratione victus in acutis, habeamus apud Galenum, in expositione illorum verborum Hippocratis, Et quæ à pulmone excernuntur, fuerint, qualia oportet; nempe verba qualia oportet, coctionis habent notas, & si quale denotat etiam coctionem: & signa coctionis attinent ad tempus euacuationis: quia oportet medicari concocta; ergo attinent etiam ad vtendi modum, cum tempus euacuationis sub vtendi modo includatur. Præterea habemus tertio artis medicinalis, quòd omnia, quæ considerantur in arte medica, circa causas salubres, & auxilia, reducuntur ad qualitatem, & quantitatem; & in istis includuntur vtendi modus, tempus, locus, & omnia alia, quæ considerari possunt. Et nos ex Hippocrate, & Galeno habemus manifestè, quòd conferentia, & tolerantia faciunt ad qualitatis, & quantitatis cognitionem: ergo nõ est mirum, si faciunt etiam ad vtendi modum, qui in illis includitur, & quandoque additur ad maiorem claritatem: vt de tempore inquit Galenus in eodem loco. Dici etiam posset, quòd hic Aphorismus est vniuersalissimus: cum includat non solum qualitatem, & quantitatem euacuationis, sed omnes alias condiciones ad euacuationem requisitas: & ideo, cum tractasset de euacuatione, in hac parte, tanquam in fine, ponit ipsum quasi epilogum. in eo enim sub paucissimis verbis omnia, quæ hucusque dicta sunt, includuntur. Et hæc de huius libri expositione dicta sint.

Tex. 23.

Tex. 7.

FINIS.

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DE LA FAC. DE MEDICINA